610 14

1805

FACULTAS THEOLOGICA
J. X P.
PONTIFICII SS. ORDINIS


PRO DOMINO DEO
SUM ZELATUS
EXERCI TUUM
ZELO

ENUCLEATIO
MYSTICAE THEOLOGIAE
S. DIONYSII AREOPAGITAE
IN DUAS PARTES DIVISA

P. F. IOSEPH DEL ESPIRITV
CARMELITA DESCALCO

IOSEPH A SPIRITU SANCTO
CARMELITA DISCALCEATUS LUSITANUS (1609-1674)

ENUCLEATIO
MYSTICAE THEOLOGIAE
S. DIONYSII AREOPAGITAE EPISCOPI ET MARTYRIS
PER QUAESTIONES ET RESOLUTIONES SCHOLASTICO-MYSTICAS

tam in librum quem inscripsit De Mystica Theologia, quam in diversas alias sententias illam concernentes ex reliquis eiusdem SS. Doctoris superstitibus libris sedulo depromptas atque in duas partes divisa

IN GRATIAM
FRATRUM EXCALCEATORUM
BEATISSIMAE Virginis MARIAE de Monte CARMELO in sui Ordinis Collegiis utramque theologiam, scholasticam scilicet et mysticam, profitentium

EDITIO CRITICA
A P. ANASTASIO A S. PAULO
ANNALISTA ET CHARTULARIO EIUSDEM ORDINIS ACCURATISSIME EXARATA

APUD CURIAM GENERALITIAM
Corso d'Italia 38, ROMAE (34)
1927

IMPRIMATUR
Romae, die 7 iulii 1927
Fr. Gulielmus a S. Alberto
Praepositus Generalis O. C. D.

IMPRIMATUR
Romae, die 7 iulii 1927
Ioseph Palica, Arch. tit. Philipp.
Vices-gerens.

Ratio huius novae editionis

In *Bibliotheca Carmelitana* (tomo I, operculi dorso) proximam editionem operis *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae* gallico idiomate versi nuntiavi, iamque pars eius prima praesto erat. At quidam e confratribus meis contendebant prius criticam editionem totius operis lingua sua originali publici iuris esse faciendam. Cui iudicio tandem acquievi; et ideo hanc *Enucleationem*, prius Coloniae Agrippinae 1684, nunc autem modo critico accuratissime editam benevolo Lectori offero.

Eadem principia, quibus usus sum in editione *Cursus theologiae mystico-scholasticae* alterius Ioseph a Spiritu Sancto, in hac quoque editione servo; quae principia, ad utilitatem Lectoris, hic repeto.

« In primis ad operum his nostris temporibus modo critico editorum exemplar hanc editionem meam curavi, adhibitis virorum huius rei peritorum consiliis.

« Ut genuinus auctoris textus integer remaneat, tantam huius editionis novae cum antiqua servo similitudinem quantum hodierna censura critica permittit. Quapropter orthographia et interpunctione hodierna utor, abbreviationes verborum obsoletas tollo; innumeris auctorum locis et relationibus prorsus nihil immuto, ne propria argumentorum auctoritas minuatur; perspicuum enim est vim argumentorum omnem non e textu hodierno critico hauriri, sed ex integris textibus ab ipso auctore cognitis et adhibitis. Omnes tamen hos locos ac relationes cum optimis editionibus, ad quas in notis remittitur, contuli. Insuper locos et relationes, in quibus aliquid complendum occurrit aut corrigendum, vel quid aliud notatu dignum, similiter in notis congero. Inter quae notatu digna aestimavi inscriptiones prout in originali lingua operum leguntur, et auctorum nomina in his libellis inscripta. »

Haec quoque, ibidem iam dicta, hic addam: « Faxit Deus ut haec operis eximii nova editio a Lectore benevolo benigne excipiatur, multum S. Theologiae mysticae illustrationi conferat et in omnibus uberrimos fructus afferat. »

P. Anastasius a S. Paulo, C. D.

Romae, calendis maiis 1927.

Vita et opera Patris Ioseph a Spiritu Sancto

§. I. **Vita.**

Augustae Bracarum (Braga) in Lusitania, die 26 Decembris 1609 natus Ioseph a Spiritu Sancto, parentes habuit nobilitate insignes Paulum Barroso et Catharinam Franciscam. Vigesimum tertium annum agens habitum Carmelitarum Discalceatorum induit die festo Pentecostes, 30 maii, anni 1632, votaque emisit Olisippone.

Vitae religiosae observantissimus atque theologiae mysticae studiosissimus, eximia opera mystica conscripsit. Admirabili discretione spirituum praeditus animarumque zelo fervens, innumeras animas ad sublimem virtutum gradum direxit. Verbi divini praedicator acerrimus omnium plausus excitavit multosque peccatores ad paenitentiam revocavit. Conventum B. V. Mariae de Monte Carmelo Augustae Bracarum fundavit die 21 Novembris 1654; et, licet invitus ac reluctans, primus eiusdem vicarius priorque factus est. Alia quoque coenobia ab ipso in urbibus « Bahia » et « Cascaes » erecta gubernare coactus est. Attamen episcopatum a rege sibi oblatum constantissime recusavit (1). Tandem meritis plenus in Domino

---

(1) Martialis a S Ioanne Baptista, C. D., *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum*, Burdigalae, P. Sejourne, 1730, p. 268, num. 86 (quem transcripsit Cosmas de Villiers, *Bibliotheca Carmelitana*, Aurelianis, 1752, t. II, col. 191, num 208), Patrem Ioseph a Spiritu Sancto ad episcopatus gradum evectum fuisse ac postea illum dimisisse asserere videtur dicendo: *Post Epicopatum dimissum obiit Matriti, anno* 1674. Certissimum tamen est ipsum reapse episcopum non fuisse, quia dignitatem episcopalem fortiter constanterque recusavit; ad quod probandum hic quaedam documenta afferam: a) Ioseph a S. Theresia, *C. D., Reforma de los Descalzos*, t. IV, lib. XVIII, cap. 41, num. 924, Madrid, Julian Paredes, 1684, apertissime hoc declarat: *Pues ofreciendole el Principe un obispado, no fue possible admitirlo*, i. e., At rex obtinere non potuit ut oblatum a se episcopatum acciperet. — b) Idem opus *Reforma* refert catalogum religiosorum qui extra ordinem aliquod officium obtinuerunt; at in hoc catalogo de Ioseph a Spiritu Sancto nulla fit mentio — c) Barbosa (Diogo —), *Bibliotheca Lusitana*, Olisippone 1741-1747, t. II, pp. 846b-848a, in biographia Ioseph a Spiritu Sancto ipsum episcopum fuisse non dicit; e contra textum supra citatum Patris Ioseph a S. Theresia refert (p. 847a). — d) In *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana, historica, critica, chronologica, auctore P. N. N. Carmelitano*, Romae, 1754, num. 125, p. 159, solum habetur translatio eorum quae scripsit Ioseph a S. Theresia quaeque supra refero. — e) Opus ineditum *Elogios de los Varones y Mugeres ilustres de la Reforma de la Serafica Me Sta Theresa de Jesus*, sect. XI, num. 14, p. 96 (Ms. in-4o anno 1777 probabiliter ab Emmanuele a S. Thoma (Traggia), C. D., compositum, asservatum vero Abulae in bibliotheca Marchionis de Benavites y de san Juan de Piedras Albas) sequentia habet: *Por unas, y otras prendas tan estimado del Monarcho, que le ofrecio una Mitra, pero su humildad no le permitio admitirla*, i. e. Propter has aliasque animi dotes tanto fuit a rege aestimatus, ut iste ei obtulerit episcopatum, quem tamen ex humilitate recusavit. — f) Inscriptio, qua ornata fuit ipsius effigies in conventu Matritensi S. Hermenegildi, ne verbum quidem continet de hac re; quod certissime omissum non fuisset, si reapse Ioseph a Spiritu Sancto episcopus fuisset. — g) Neque operis sui posthumi *Cadena mystica* variae approbationes, quarum quatuor factae sunt dum auctor adhuc viveret, reliquae vero duae post eius mortem, dignitatis episcopalis mentionem faciunt. In eis auctor simpliciter vocatur tum reverendus admodum Pater Ioseph a Spiritu Sancto, Carmelita Discalceatus, quum religiosus Carmelita Discalceatus. Immo licentia regia tenet: « *Que avia muerto Religioso, y conventual en el dicho Convento* », i. e. Qui obiit conventualis religiosus in supradicto conventu S. Hermenegildi, Matriti. Notatu dignum est hanc regiam licentiam datam fuisse die 4 Novembris 1677 seu anno ab auctoris morte tertio — h) Demum inter episcopos non annumeratur apud Gams (Pium Bonifacium —), *Series episcoporum Ecclesiae catholicae quotquot innotuerunt a beato Petro*. Ratisbonae, 1873.

piisime obdormivit in conventu nostro S. Hermenegildi, Matriti, die 27 ianuarii 1674. Approbantibus religiosis, ad eximiam Patris Ioseph memoriam in perpetuum servandam, ipsius effigies sequenti inscriptione ornata optimum locum in eodem conventu tenuit: « *Venerabilis Pater Fr. Iosephus ab Spiritu Sancto, quo plenus, bonorum temporalium extitit spretor, bonorum caelestium amator, in scientiis doctissimus, virtutibus perfectissimus, sine dolo in vita, suis amabilis, alienis desiderabilis, cunctis acceptissimus; et in regulari observantia Excalceatorum verus Carmelita. Bracharae ex nobilibus ortus, feliciter apud Carpentanos* (2) *obiit die* 27 *ianuarii anno Domini* 1674, *aetatis suae sexagesimo* (3). »

§. II. **Opera.**

Opera, quae Ioseph a Spiritu Sancto nobis reliquit, sunt:

1) *Cadena Mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos. Por quien se ha renovado en nuestro siglo la Doctrina de la Theologia Mystica, de que ha sido Discipulo de san Pablo, y primero Escritor san Dionisio Areopagita, antiguo Obispo, y Martir. Adornada con la doctrina del Doctor Angelico, que si él no ha sido Carmelita en la Profession, y Habito Religioso, son los Descalços en los Theologicos muy Professos suyos. Formada en metodo de las Colaciones espirituales del Carmelo Heremitico, por el muy reverendo Padre* Fray Joseph del Espiritu Santo, *Carmelita Descalço, Portugués*. Con privilegio. En Madrid. En la oficina de Antonio Gonçalez de Reyes. Año 1678. In-folio, XXV-396 pp. + index.

Exemplar huius operis in Bibliotheca nationali Matritensi 3/20350, in conventibus Abulensi Cordubensique patrum Carmelitarum Discalceatorum et in Complutensi coenobio monialium Carmelitarum Discalceatarum exstat; in quo ultimo exemplari inveni caelatam effigiem de qua initio huius tomi photocopia habetur.

Argumentum operis: Ratio huius operis fuit mysticorum scriptorum Carmelitarum Discalceatorum doctrinam dilucide concinneque exponere. Propterea ad normam spiritualium conferentiarum, quae in eremi monasteriis Ordinis nostri singulis quindecim diebus principalioribusque diebus festis habentur, materiam tractavit. Quarum conferentiarum prima quadraginta propositiones singulasque in varia responsa subdivisas continet; ubi auctor doctrinam scriptorum Carmelitarum Discalceatorum, quorum opera refert, exponit atque sua propria sententia concludit. Hoc quidem peculiariter notatu dignum habet opus, quod in eius principio Ioseph a Spiritu Sancto collegit catalogum auctorum Carmelitarum Discalceatorum, quorum auctoritas in volumine adducitur scriptaque referuntur. At plurima scripta ibi notata usque in hodiernum diem manuscripta remanserunt, immo plura nunc deperdita sunt. Omnia vero haec opera manuscripta tunc temporis religiose servabantur in archivis conventuum nostrorum, praesertim in archivo generali conventus Matritensis S. Hermenegildi.

Hoc opus valde incompletum est; desunt enim plures conferentiae; nam in eius prologo auctor seriem conferentiarum se scripturum declaravit;

---

(2) Hoc nomine olim vocabatur regio Toletana. Antiquitus Toletum urbs Castellae Novae seu regni Toletani fuit caput. Matritum in eodem regno situm est.

(3) Cr. Barbosa (Diogo —), *Bibliotheca Lusitana*, Olisippone 1741-1747, t. II, p. 847a. — *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana*, Romae, 1754, num. 125, pp. 158-159.

attamen solum primam complere potuit, in qua exponit «*quid sit theologia mystica; quales sint eius termini, nomen, natura, proprietates ac dispositiones; denique quales actus eam praecedant, concomitentur atque subsequantur.*» Haec conferentia prima 372 paginas implet; reliqua vero voluminis pars (i. e. pp. 373-396) comprehendit duas propositiones, quarum prima *propositum*, altera vero ipsum *votum seraphicum* a S. Theresia factum exponit. Quae duae propositiones valde probabiliter pars sunt alterius conferentiae eiusdem operis *Cadena Mystica*, ut infra magis exposituri sumus.

2) *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae episcopi et martyris, per quaestiones, et resolutiones Scholastico-Mysticas, tam in librum, quem inscripsit De Mystica Theologia: quam in diversas alias sententias illam concernentes, ex reliquis eiusdem Ss. Doctoris superstitibus libris sedulo depromptas, atque in duas Partes divisa; in gratiam Fratrum Excalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, in sui Ordinis Collegiis utramque Theologiam, Scholasticam scilicet et Mysticam profitentium.* Pater Paulus ab omnibus Sanctis, C. D., curavit ut haec *Enucleatio* imprimeretur Coloniae Agrippinae, apud Ioannem-Wilhelmum Friessem iuniorem, 1684, sub fine tomi II *Operum omnium* Thomae a Iesu (pp. 455-602).

Nimis fidens iis quae scripserant Barbosa (4), auctor *Bibliothecae Carmelitico-Lusitanae* (5) et praesertim editor operis posthumi *Cadena Mystica*, anno 1924 duobus in locis (scilicet in editione critica operis Patris Ioseph a Spiritu Sancto, C. D. (1667-1736), *Cursus theologiae mystico-scholasticae*, Brugis 1924, t. I, Append., p. 295 et in *Dictionnaire de théologie catholique* (Vacant-Mangenot), t. VIII, col. 1540) *Cuestiones místicas* ut opus a *Cadena* et ab *Enucleatione* distinctum retuli. Sequenta enim ab editore operis posthumi *Cadena Mystica* dicuntur p. 373: « Advertencia: por aver atajado la muerte los intentos de nuestro Autor, y entre las demas obras que prometió en el Prologo, no aver dexado en limpio las *Questiones Mysticas* que ofreció poner al fin desta *Cadena Mystica*, segun que lo dize al fin de la Propuesta 32, respuesta 4 (6), que sin duda fueron riquissimos pendientes desta *Cadena*. Solamente añadiremos las dos Propuestas siguientes, que dexo en estado de poderse imprimir, del Voto Serafico que hizó nuestra Madre Santa Teresa de Jesus, y le dió la ultima mano. »

His vero temporibus, postquam magis operibus *Cadena Mystica* et *Enucleatio Mysticae Theologiae* studuerim, ad conclusionem certissimam deveni opus *Cuestiones místicas*, cui Ioseph a Spiritu Sancto quinquies in sua *Cadena Mystica* alludit, unum idemque opus esse cum *Enucleatione Mysticae Theologiae S. Dionisii Areopagitae, episcopi et martyris* PER QUAESTIONES ET RESOLUTIONES SCHOLASTICO-MYSTICAS. Iam ultimis verbis ipsius tituli: « *per quaestiones, et resolutiones Scholastico-Mysticas* » datur ratio aliqua ut hoc opus ab auctore suo sub nomine *Cuestiones místicas* designari potuerit. Sed ut Lector benevolus melius hac de re iudicare possit, videamus locos operis *Cadena Mystica* ubi operi *Cuestiones místicas* alluditur, exploremusque utrum revera *Enucleatio* his relationibus correspondeat.

---

(4) l. c.

(5) p. 160.

(6) Indicatio erronea; requiritur: propuesta 32, concl., ed. 1678, p. 286b.

1) *Cadena Mystica*, colac. I, propuesta 3, conclus., p. 25[b], ait Ioseph a Spiritu Sancto : « Y aunque Santo Thom[as] 2. 2. q. 180. art. 5. ad 2. dize, que en esta vida no puede aver contemplacion, aunque sea sobrenatural, sin conversion á los fantasmas; puedese entender ó de la contemplacion sobrenatural adquisita, y exercitada á nuestro modo humano, como es la que se exercita por medio de la Fé, con auxilios comunes, ó de la conversion imperceptible, de lo qual bolveremos á hablar despues, y en las *Questiones Mysticas*. » Revera quaestio haec de conversione ad phantasmata in contemplatione pertractatur in *Enucleatione*, nempe part. I, quaest. 5, ed. 1684, pp. 475[b]-477[b], cui titulus est : *Utrum contemplatio mysticae Theologiae, vel aliqua contemplatio viae fiat sine conversione ad phantasmata?* Ibique (7) sequentem thesim defendit auctor : « Dicendum tamen est, licet ordinarie loquendo, et secundum communem naturae ordinem, etiam in contemplatione supernaturali, quae fit modo nostro humano, non detur cognitio intellectus sine operatione phantasiae, et dependentia ab imaginatione, posse tamen dari, et de facto dari in viris perfectissimis contemplationem adeo elevatam supra nostrum modum humanum, quae nullo modo dependeat a phantasmatibus, et fiat sine conversione ad illa, vel totaliter, vel aliquando ita imperceptibiliter, ut vix cognosci possit talis conversio, quae a mysticis dicitur *contemplatio pura*, et ponitur pro primo gradu Theologiae mysticae, et in secundo et tertio gradu perfectius haec puritas invenitur. » Quae thesis optime quadrat cum textu supra a nobis relato, immo cum tota doctrina in conclusione propositionis 3, p. 25 tradita. Notandum insuper est in hac quaestione 5 partis I *Enucleationis* (8) eandem auctoritatem D. Thomae, scilicet II[a] II[ae], quaest. 180, art. 5, ad 2, referri.

2) Altera vice dicit Ioseph a Sp. S., *Cadena Mystica*, colac. I, prop. 32, concl., p. 286[b] : « Si con el rapto ay libertad para merecer? están encontradas las opinones del Padre Gracian en la Resp. 10. y del Padre Fray Thomas en la Resp. 11. Y como aqui no trato de hazer opinion propria, mas de referir las agenas quedará la resolucion desta question para las *Questiones Mysticas*, que intento escrivir despues desta *Cadena*. » Re quidem vera hanc quaestionem disserit auctor in *Enucleatione*, part. I, quaest. 27, pp. 516[a]-519[a], quae sic sonat : *Utrùm in somno aut raptu, in quo visiones imaginariae, et intellectuales solent fieri, inveniatur libertas ad meritum sufficiens?* Ibique duplicem opinionem nostrorum Patrum Thomae a Iesu et Gratiani (i. e. Ven. P. Hieronymi a Matre Dei) una cum argumentis ex utraque parte militantibus refert; deinde propriam sententiam conclusionibus elucidat probatque.

3) Tertia vice Ioseph a Sp. S. alludit operi *Cuestiones místicas*, *Cadena Mystica*, colac. I, prop. 33, resp. 9, p. 295[a], dicendo : « Y finalmente disputa (9) aquella question, si en estas visiones imaginarias entre sueños, ó en rapto, merece el alma; de lo qual trataremos en las *Questiones Mysticas*. » Auctor loquitur hic de nostro praeclaro P. Francisco a S. Maria (1567-1649) magis noto ob sua opera historica (10), sed qui etiam nobis duo

---

(7) p. 475[b].

(8) p. 475[b].

(9) P. Francisco de Santa Maria, C. D., *Luz de las maravillas*, disc. 3.

(10) *Historia Prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen*, t. I in-fol., Madrid, 1630. — *Eiusdem continuatio a tempore Christi usque ad annum* 415 (Hispane). Ms. — *Apologia del tomo primero de la Historia general prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen en defensa i apoyo de las*

opera mystica reliquit a Leandro de Granada, O. S. B., proprio suo nomine edita in uno eodemque volumine. Scilicet a) *Luz de las maravillas que Dios ha obrado desde el principio del mundo en las almas...* Valladolid, 1607, in-4°, fol. 1-234 (11); b) *Breve tratado de Theologia mystica*, fol. 235-241 (12). Iam supra vidimus Patrem Ioseph a Sp. S. in sua *Enucleatione*, part. I, quaest. 27, pp. 516ª-519ª, quaestionem sequentem discutere: *Utrum in somno aut raptu, in quo visiones imaginariae, et intellectuales solent fieri, inveniatur libertas ad meritum sufficiens?* Ibi in favorem secundae sententiae, scilicet P. Hieronymi Gratiani a Matre Dei, quae dicit: « *dari in raptibus supernaturalibus libertatem sufficientem et in illis posse hominem mereri* » (13), affert opus *Luz de las maravillas*, dicendo (14): eandem sententiam « *mordicus defendit P. Leander Granat[ensis] disc.* 3. §. 3., *qui addit, hanc fuisse sententiam D. Thom[ae] iuxta opinionem doctissimorum hominum sui*

---

proposiciones aprovadas i autorizadas por el supremo consejo de la Santa General Inquisicion. En Valencia. en casa de los herd. de Crisostomo Garriz, por Bernardo Nogues, junto al molino de Rovella, 1643, in-fol. — Huo primi tomi (in-fol.) operis: *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia; hecha por Santa Teresa de Jesus en la antiquisima Religion, fundada por el gran Profeta Elias.* Madrid, por Diego Diaz de la Carrera, 1644; 1655 (altera editio Matriti 1720, sine nomine editoris).

(11) *Luz de las maravillas que Dios ha obrado desde el principio del mundo en las almas de sus Profetas y amigos, asi en la ley Natural y escrita, como en la Evangelica de Gracia: por visiones y hablas corporales en los sentidos exteriores: por visiones y hablas imaginarias en la imaginacion y potencias sensitivas: por visiones y hablas intellectuales en el centro del alma, y en lo mas puro y levantado de sus potencias: y por la soberana comunicacion de su divina naturaleza, que se hace por gracia. Tratase de las apariciones de Dios, Christo, angeles, santos gloriosos, animos del Pulgatorio, hechas a los vivos: y se resuelve lo mas dificultoso de la Teologia mystica. Compuesto por el Padre M. Fr. Leandro de Granada, Monge de la Orden del glorioso San Benito, y lector de Teologia. Dirigido al ilustrissimo Señor Don Bernardo de Rojas y Sandoval Cardenal Arçobispo de Toledo y Primado de las Españas, etc. Con privilegio de Castilla, Aragon y Portugal. En Valladolid, por los heredores de Diego Fernandez de Cordova* 1607. In-4°

Hoc opus « *Luz de las maravillas* » Patri Francisco a S. Maria, C. D., debetur, saltem maxima ex parte. De quo ne dubium quidem relinquatur, satis mihi erit referre tria testimonia Patris Ioseph a Spiritu Sancto (Lusitani), qui fuit Patris Francisci a S. Maria coaevus et indefessus investigator circa authenciam auctorum mysticorum ex Reformatione Theresiana.

1) En primum testimonium, quod habetur initio operis *Cadena Mystica*, Cathalogo de los Autores Carmelitas Descalços, de que se forma esta Cadena Mystica, num. 12: « *El Padre Fr. Francisco de Santa Maria, en las Explicaciones de la Oracion, y contemplacion de muchos Religiosos, y Religiosas Venerables, de que escrivió las vidas. Y en un tratado breve de la Theologia Mystica, que con su nombre anda impresso al fin del libro intitulado « Luz de las Maravillas de Dios », compuesto por el R. P. M. Fr. Leandro de Granada: el qual por su humildad quisó escrivir esta materia con la pluma agena, siendo la suya tan bien cortada para todas; pero dandole el nombre de su dueño, aunque por no darle mas pena en ello lo calló en otros tratados incorporados en el mismo libro* ». Quod sic verti potest: « Pater Fr. Franciscus a Sancta Maria in explicationibus orationis et contemplationis multorum Venerabilium religiosorum ac monialium, quorum vitam conscripsit. Similiter in « *Tratado breve de la Theologia Mystica* », qui sub nomine ipsius editus est ad finem libri a R. P. M. Fr. Leandro de Granada congesti, cui titulus: « *Luz de las Maravillas de Dios* ». Hic humilitatis causa voluit de hac materia cum alieno calamo scribere, licet ipse luculentus scriptor fuerit; sed nomen veri auctoris indicavit (scilicet opusculi « *Tratado breve* »), LICET, NE EI MAIOREM DOLOREM AFFERRET, NOMEN TACUERIT AUCTORIS ALIORUM TRACTATUUM IN EODEM LIBRO (scilicet *Luz de las maravillas de Dios*) CONGESTORUM ».

2) Secundum testimonium: *Cadena Mystica*, colac. I, prop. 12, resp. 5; ed. 1678, p. 102ᵇ: « *El Padre Fray Francisco de Santa Maria, por lo que le cabe en aquel libro de la* Luz, disc. 4, § 1, *dize...* »

3) Tertium testimonium: *ib.*, prop. 33, resp. 9; ed. 1678, pp. 293a-295ᵇ: « *El Padre Fr. Francisco de Santa Maria, por la parte que tiene en aquel libro, de que se hizo mencion en el elenco, dize en el discurs.* 1, *que la vision sensitiva, y corporal...* » Deinde Ioseph a Spiritu Sancto doctrinam circa visiones a Patre Francisco a Sancta Maria in quatuor discursibus operis *Luz de las maravillas de Dios* tradilam exponit.

(12) Hoc opusculum « *Breve tratado...* » certissime a P. Fr. Francisco a Sancta Maria conscriptum est; nam ipse Leander de Granada in Prologo, fol. 235ᵛ, hoc testatur; et aliunde Ioseph a Spiritu Sancto pluries idem testatur in opere *Cadena Mystica;* v. gr., in Catalogo qui initio operis invenitur, num. 12; et colac. I, prop. 2, resp. 1; ed. 1678, p. 11.

(13) l. c., p. 517ª.

(14) *Ib.*

temporis, quos suppresso nomine citat. » Hi ergo duo loci operis *Cadena Mystica* et *Enucleationis* perfecte conveniunt.

4) Quarta vice opus *Cuestiones místicas* refertur *Cadena Mystica*, colac. I, prop. 33, concl., p. 297^{b}-298^{a}: « Pueden estas visiones [intelectuales] hazerse de aquellas quatro maneras que se dixeron en la Resp. 9. La primera, ordenando Dios las especies ya preexistentes, y naturales, con modo sobrenatural, y avivando, esforçando, y dispertando mas la Fee, con auxilio particular, para ver algun objecto suyo con mas claridad y perfeccion; ó añadiendo para esto alguna nueva luz infusa, que suele ser del don de sabiduria; con que lo que antes la Fee representava confusa: y escuramente, se desembuelve mas, y sin salir de la escuridad bastante para ser acto de Fee, queda mas clara, y perfectamente representado, y conocido. La segunda, infundiendo Dios nuevas especies sobrenaturales en el entendimiento; las quales, quando son acerca de la Divinidad, no son distintas, y perfectamente representativas de la divina Essencia; porque las tales especies son impossibles en la opinion de los Thomistas, con Santo Thom[ás] 1. part. quaest. 12. art. 2., mas no parece que implica especie, que la represente confusa, y indistintamente, y con alguna escuridad, como lo dize el Padre Fr. Thomás, *de Contempl.* lib. 5. cap. 14. y lo explicaremos en las *Questiones Misticas.* » Quod reapse fecit in *Enucleatione*, part. I, quaest. 28, p. 519, quae sic sonat: *Quomodo fiant visiones intellectuales, et an etiam vitandae sint in contemplatione mystica?;* magisque explicite, *ib.*, part. I, quaest. 8, pp. 480^{a}-485^{b}, ubi mirifice sequentem quaestionem pertractat: *Utrum praedictae cognitiones fiant per aliquam speciem creatam repraesentativam Dei?* Ibique dub. 6, p. 483^{b}, ait: « Conclusio: probabilis valde est sententia, quae asserit, ad hanc contemplationem concurrere speciem creatam, quae Deum obiective et immediate *quoad an est*, et saltem secundario aliquo modo *quoad quid est*, confuse tamen, universaliter, et imperfecte, repraesentat. Hanc ex nostris sequitur P. Thomas a Iesu *de contempl.* lib. 5. cap. 14. cum nonnullis, quos citat; ut probabilem etiam admittit P. Philippus a Ss. Trinitate in *Summa myst. Theol.* 3 part. tract. 1. disc. 2. art. 1. » Quae omnia cum textu operis *Cadena Mystica* supra relato perfecte concordant.

5) Quinta vice operi *Cuestiones místicas* alluditur *Cadena Mystica*, colac. I, prop. 35, concl., p. 311^{b}: « Los quales contactos [divinos] explicaremos *Escolasticamente en las Questiones Místicas sobre la doctrina de San Dionysio.* » Hic habetur explicita clarissimaque affirmatio has *Cuestiones místicas* revera esse ipsum opus *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae episcopi et martyris per quaestiones, et resolutiones Scholastico-Mysticas.* Et aliunde revera de illis contactibus divinis scholastice disserit in *Enucleatione*, part. I, quaest. 17, dub. 6, pp. 502^{a}-504^{b}; et append., dub. 9, pp. 597^{b}-600^{a}.

His omnibus ergo inspectis, luce clarius constat identitas operis *Cuestiones místicas* cum *Enucleatione*. Neque igitur declarationi editoris operis *Cadena Mystica* fidendum est; eo vel magis quod, si textus eius, supra (15) a nobis relatus, bene et attente consideratur, dicendum est ipsum, summum, liturarios codicillos (borrador = brouillon) *Enucleationis* seu operis *Cuestiones místicas* prae manibus habuisse. Forsan opus hoc Patri Paulo ab omnibus Sanctis, C. D., iam missum erat ut Coloniae Agrippinae imprimeretur.

(15) p. XI.

Immo Ioseph a S. Theresia videtur innuere ipsum Patrem Ioseph a Spiritu Sancto adhuc viventem *Enucleationem* Patri Paulo ab omnibus Sanctis misisse; ait enim (16): « *Alius liber latine conscriptus*: « Theologia mystica » *quem in Germaniam misit ut a P. Fr. Paulo ab omnibus Sanctis imprimeretur.* »

Enucleatio enim, cui titulum « *Theologia mystica* » adscribunt Ioseph a S. Theresia (17), Martialis a S. Ioanne Baptista (18), Barbosa (19), Cosmas de Villiers (20), Bartholomaeus a S. Angelo (21) et auctor operis *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana* (22), a Ioseph a Spiritu Sancto LATINE conscripta fuit. Quod probari potest argumentis tum externis quum internis. a) EXTERNIS: Hoc aperte demonstrat declaratio Patris Ioseph a S. Theresia quam modo attulimus (23) atque illa Barbosae (24) et auctoris *Bibliothecae Carmelitico-Lusitanae* (25). Quod ceteroquin ipse Paulus ab omnibus Sanctis comprobare videtur ubi ait (26): « Alterum, cui titulus, *Enucleatio mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae*, quod singulari divinae providentiae dispositione ad manus meas pervenit, in calce huius secundi Tomi adiicere placuit, tum, ut curioso Lectori, harum divinarum sublimiumque materiarum pleniorem notitiam ambienti satisfiat; tum ne forsan, defuncto iam Authore, hic tam insignis partus eius, quod non raro evenire solet, intereat. » Hic ne levis quidem allusio versionis invenitur. b) INTERNIS: Primo, ex titulo et prologo constat *Enucleationem* conscriptam esse « *in gratiam Fratrum Excalceatorum Beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo, in sui Ordinis Collegiis utramque Theologiam, Scholasticam scilicet et Mysticam profitentium.* » Consequenter lingua latina usus est auctor, quia tunc temporis adhuc omnia opera scholastica latine scribebantur. Secundo et maxime, nimis difficile, immo impossibile foret lingua vulgari Dionysii textum commentare modo quo illud Ioseph a Spiritu Sancto in *Enucleatione* fecit. In prima enim parte duplicem textum latinum *Mysticae Theologiae* Pseudo-Dionysii affert iuxta lectiones seu versiones Perionii et Corderii una cum paraphrasi; quae deinde scholastice commentat, quaestiones summe scholasticas discutiens, ut sunt, v. gr., an et quomodo Deus naturaliter et supernaturaliter a nobis cognoscatur (27); quaenam species requirantur ad varias cognitiones Dei (28); utrum contemplatio mysticae theologiae vel

---

(16) *Reforma de los Descalzos*, t. IV, lib. XVIII, cap. 41, num. 39; Madrid, 1684, p. 924: « *Otro libro en Latin*: Theologia Mystica, *que envió a Alemania para que lo imprimiesse el Padre Fr. Pablo de Todos Sanctos.* » — Idem testimonium legitur apud BARBOSA, *Bibliotheca Lusitana*, Olisippone 1741-1747, p. 847b: Theologia Mystica, *fol. Esta obra escrita no lingua Latina remeteo ao Padre Paulo de todos os santos Carmelita Descalço assistente em Alemanha para que imprimisse.* — Item in *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana*, Romae, 1754, num. 125, p. 162: Theologiam Mysticam. *Opus hoc Latina lingua concinnatum transmisit Fr. Paulo a Sanctis, in Germania commoranti, ut idem typis edendum curaret.*

(17) Cf. nota (16).

(18) *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum*, Burdigalae, 1730, p. 268, num. 86.

(19) Cf. nota (16).

(20) *Bibliotheca carmelitana*, Aurelianis, 1752, t. II, col. 192, num. 208.

(21) *Collectio scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum*, Savonae, 1884, t. I, p. 353, num. 128

(22) Romae, 1754, num. 125, p. 162. Cf. nota (16).

(23) Cf. nota (16).

(24) Cf. nota (16).

(25) Cf. nota (16).

(26) Cf. *Thomae a Iesu Opera omnia*. Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, p. 454.

(27) Cf. quaest. 6-7; ed cit., pp. 477b-479b.

(28) Cf. quaest. 8; ed. cit., pp. 480a-485b.

aliqua contemplatio viae fiat sine conversione ad phantasmata (29); etc. In secunda vero parte ex ceteris operibus Pseudo-Dionysii documenta mystica sub formalibus verbis ipsius eruit Ioseph a Spiritu Sancto; quae documenta deinde elucidat excerptis plus minusve amplis ex commentariis s. Maximi, Pachymerae, Hugonis a S. Victore et D. Thomae; immo locos refert ubi illa opera a D. Thoma citantur. Quod omne claudit resolutionibus et dubiis, ubi doctrina Pseudo-Dionysii his in documentis tradita disputatur. Quis non videt ad hoc omne perficiendum usum linguae vulgaris valde difficilem, immo fere impossibilem fore; usum vero linguae latinae opus valde facilius redditurum?

Quod vero attinet ad duas quaestiones seu propositiones quas Ioseph a Spiritu Sancto completas reliquit (30) et quae sub fine operis *Cadena Mystica* publicantur: scilicet, *Propuesta del proposito serafico* et *Propuesta del voto serafico*, optime fieri potest, eo vel magis quod hispanice et non latine scriptae sunt, ut hae sint duae quaestiones seu propositiones quas iam scripserat pro alia conferentia seu « colación » operis *Cadena Mystica*. In prologo enim pollicitus erat se plures conferentias conscripturum esse: « *Y porque intento sacar á luz (si me fuere possible) algunas Colaciones espirituales* »; *Cadena Mystica* autem unicam conferentiam seu « colación » comprehendit.

Argumentum operis: *Enucleatio*, ut iam diximus, constat ex duabus partibus, quarum prima constituit eruditum eximiumque commentarium *Mysticae Theologiae* Pseudo-Dionysii; altera vero complectitur seriem commentariorum in documenta mystica in reliquis operibus eiusdem Pseudo-Dionysii dispersa; haec quidem reliqua documenta dispersa ab auctore adducuntur, quibus immediate subditur commentarium aliquod ex alio auctore mystico, praesertim e Pachymera, Hugone a S. Victore et Divo Thoma Aquinate, excerptum; quod denique concludit auctor conferendo in propriis suis scriptis locum ubi eandem materiam tractavit. Tandem totum opus completur appendice, ubi dubia mystica cum responsis propriis exponuntur, incipiendo per generalem notitiam vitae christianae, religiosae in genere ac carmelitanae in specie et concludendo per notitiam trium viarum, nempe purgativae, illuminativae tum activarum quum passivarum.

3) *Primera parte del Camino espiritual de oracion y contemplacion. Donde se trata de lo que deve hazer el que quisiere tener oracion: desde el principio de su conversion hasta llegar a la fin de la perfeccion, repartido en tres tratados.*

Opus ineditum manuscriptum asservatum in Bibliotheca nationali Matritensi, Ms. 6.533, in-4°, pergamina charta contextum, 293 paginas continens. Totum hoc exemplar ab una eademque manu optimis characteribus scriptum est decursu saeculi XVII. In priori quidem parte scripturam maiorem, in reliqua autem minorem celerioremque habet. Hoc manuscriptum auctoris nomen non exprimit; at in dorso folii titulum operis praecedentis aliena manus, scriptura saeculi decimi septimi circa finem vertentis, hispano idiomate addidit (31): « *Auctor huius libri est Reverendus admodum P. Ioseph a Spiritu Sancto, Lusitanus, qui etiam composuit librum: Cadena*

(29) Cf. quaest. 5; ed. cit., pp. 475b-477b.

(30) Cf. *Cadena Mystica*, ed. 1678, p. 373.

(31) *El autor deste libro es el muy R^do Padre Joseph del Espiritu Sancto Portugues que ha escrito tambien la Cadena mistica Carmelitana imprimida en Madrid el año* 1678 *y este manuscrito nunca es stado* (sic) *imprimido.*

Mystica Carmelitana, Matriti anno 1678 *editum; praesens vero manuscriptum nunquam editum est.* » Tandem sub manuscripti titulo eadem aliena manus eademque sua propria scriptura hispano sermone scripsit (32): « *A Reverendo admodum P. Ioseph a Spiritu Sancto, Carmelita Discalceato Lusitano, conscriptum.* »

Argumentum operis : Hoc eximium opus ascetico-mysticum tres partes seu tractatus habet; in quorum tractatu primo disseritur de oratione eiusque partibus; in secundo vero de tribus viis, i. e. de via purgativa, illuminativa et unitiva; denique tertius tractatus in duas partes subdividitur, in quarum prima agitur de contemplatione, de eius gradibus ac de eius speciebus; in altera tandem exponitur perfectior atque singulorum profectui convenientior contemplandi modus.

4) Praeter haec tria eximia opera Ioseph a Spiritu Sancto plus quam sexcentos sermones composuit, quorum quindecim tantum ab ipso lusitano idiomate editi sunt; reliqui omnes deperditi sunt.

a) *Sermão Funebre nas exequias da Duqueza Caminha, Condessa de Unhão, D. Joanna Juliana Maria Maxima, no Convento de Santarem Carmelitano, de que hé Fundadora.* Coimbra, na officina de Manoel Dias, anno 1653, in-4°.

b) *Oraçao funebre nas Exequias do Senhor Dom João, filho dos Duques de Aveyro D. Jorge e D. Anna Maria.* Lisboa, na officina de Henrique Valente de Oliveira, anno de 1659, in-4°.

c) *Sermoens varios das festas de Christo, da Virgen N. S. e otros sanctos prègados pello Padre Fr. Joseph do Espiritu sancto Carmelita Descalço. Dedicados a Senhora Dona Maria de Guadalupe Manrique de Lara, filha primogenita dos Excellentissimos Duques Dom Jorge, & Anna Maria, etc. Por se imprimirem estes sermões de tres en tres, vai cada terno com a mesma variedade: & no fim do tomo os tres Indices da Escritura, Padres & sentenças.* Lisboa. Na officina de Henrique Valente de Oliveira, anno de 1659. In-8°, 59 pag. : 1) *Sermão primero* da Santissima Trinidade, prègado no convento de S. Anna de Coimbra (pp. 1-17). 2) *Sermão segundo* da Immaculada conceição de N. S. prègado na Capella Real, anno de 1657 (pp. 18-40). 3) *Sermão terceiro* de N. Serafica Madre Santa Thereza de Jesus. Prègado no seu convento de Carmelitas Descalços de Lisboa (pp. 41-59). Exemplar huius voluminis exstat in Bibliotheca nationali Matritensi 2/33703.

d) *Tres sermoens*: 1) Do Nacimento de Christo; 2) De Assumpção da Senhora; 3) Da Degollação de São João Baptista. Ib., 1664. In-4°.

e) *Tres sermoens*: 1) No Auto da Fè, celebrado en Evora a 11 de Mayo de 1664; 2) De Nossa Senhora do Carmo, prègado no Mosteiro do Salvador de Evora, estando alli a Imagem da Senhora, por lhe haver destruido os Castelhanos o seu Convento, no anno de 1663; 3) Da Victoria do Canal, com o Sacramento exposto, e restauração da Cidade de Evora, acção de graças na Sè de Evora. Ib., 1664, In-4°.

f) *Tres sermoens*: 1) Do Menimo Jesus no seu Nascimento, prègado en Madrid, no Convento das Descalças Carmelitas ,anno de 1671; 2) Da exaltação da Cruz, em o mesmo convento; 3) Do Anjo Custodio, em o mesmo convento. Lisboa, na officina de Domingos Carneiro, anno de 1673. In-4°.

---

(32) *Escrita por el muy R^do Padre Joseph del espiritu sancto Carmelita Descalzo Portuges* (sic).

g) *Sermâo na Canonizaçâo de santa Maria Magdalena de Pazzis, prègado no convento dos Remedios de Carmelitas Descalços.* Lisboa, na officina de Antonio Rodriguez de Avreu, anno de 1672. In-fol. Hic sermo exstat in opere *Forasteiro admirado*, parte III, pag. 91 (33).

5) Insuper varia conscripsit *poemata*, quae, prout testatur Barbosa (34), in uno volumine manuscripto in-4° collecta fuerunt, atque una cum reliquis operibus eiusdem Patris Ioseph a Spiritu Sancto a Michaele Cavvalho da Sylva, Bracarensi ac auctoris parente, conservabantur.

Conceptos del amor divino, opus lusitanum manuscriptum asservatum in Bibliotheca nationali Matritensi (Ms. 17.875) p. 672 continet sequens breve poema a Patre Ioseph a Spiritu Sancto compositum:

Calado recallido e penitente,
Alegre con modestia e cuidadozo
No trabalho, ao coro diligente
Para sí so cruel e rigarozo:
Encerrado ao mundo, a Deos patente,
Diante dos estranhos vergondozo,
Dos de casa humilde, e recatado:
Esto es ser Carmelita Reformado.

§. III. **Certamen circa opera mystica Carmelitana.**

Quo Lector benevolus rationem utilitatemque operum mysticorum a Patre Ioseph a Spiritu Sancto et ab aliis confratribus eius pluribus conscriptorum plenius perspicere queat, utile duxi aliquam istorum temporum notitiam historicam hic breviter in memoriam revocare.

Notum enim est, quemadmodum in aliis quibusdam temporibus, acrius tamen decursu saeculorum XVI et XVII multos scriptis asceticis et maxime mysticis vulgari idiomate compositis animum tenuisse contrarium. Vix enim aliquis fuit pius libellus in quo critici suspicaces et immoderati haereticam illuminatorum doctrinam reperire non existimarent (35).

Et quia eodem ferme tempore S. M. N. Theresia a Iesu, S. P. N. Ioannes a Cruce et plurimi ex eorum discipulis theologiam mysticam egregiis suis scriptis novo splendore illustrabant, mirum non est eorum doctrinam a

---

(33) Cf. Barbosa, *Bibliotheca Lusitana*, t. II, p. 847b. — *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana*, num. 125, pp 160-162.

(34) *Bibliotheca Lusitana*, t. II, pp. 848a. — Cf. etiam *Bibliotheca Carmelitico-Lusitana*, num. 125, p. 162.

(35) Silverio de S. Theresa, C. D., *Obras de Sta Teresa de Jesús*, ed. crít., Burgos, 1915 sqq., t. I, Preliminares, §. III, pp. XXXIX-XL: *En el siglo XVI y comienzos del XVII habia singular prevención contra las obras devotas en romance, por los estragos que en personas piadosas habia hecho la doctrina de los alumbrados. Apenas habia libro escrito en lengua vulgar y argumento devoto, en que una crítica suspicaz y exagerada no hallase, más o menos disimulada, la herejía iluminista. Libros de doctrina tan segura como los del V. Avila, del P. Granada, los Ejercicios de San Ignacio y otros, fueron denunciados a la Inquisición por contener enseñanzas o resabios de alumbrados, cosa que hoy nos parece de todo punto inverisímil, pero que entonces era corriente y nadie extrañaba tales denuncias. En la explicación de ciertos hechos históricos no puede prescindirse del ambiente en que se desenvolvieron. A esta buena luz es preciso estudiar la persecución de las obras de piedad en aquella época.* — Notandum tamen est hos impetus in *Exercitia* Sancti Ignatii non ex praeiudicio contra libros linguae vulgaris ortos esse. Nam, quamvis Sanctus Ignatius *Exercitia* hispane conscripserit, diu lingua latina tantum edita et divulgata fuerunt; non minus quam 18 editiones latinae (1ª Romae 1548) ante primam hispanam anni 1615 prodierunt. Atqui anno 1615 impugnationes contra *Exercitia* iam cessaverant

multis contradicentibus impugnatam fuisse; immo pluros eorum usque ad hoc extremum contradicere ausi sunt ut hanc caelestem doctrinam Inquisitioni tum hispanae quum romanae tanquam perniciosam deferre non erubuerint (36). At viri scientia virtutibusque praestantissimi pluribus egregiis apologiis editis impugnatam doctrinam gloriosissime defenderunt; inter quos claruerunt ex ordine Sancti Augustini: Ludovicus de León, Antolinez (37) et Basilius Pontius de León; ex Ordine vero Sancti Dominici: Bañez, Ibañez, Didacus Alvarez ac Franciscus de Araujo; denique ex ordine Carmelitarum Discalceatorum: Didacus a Iesu (38) et Nicolaus a Iesu Maria (39). Quos tamen omnes ardenti suo zelo, numero excellentiaque suorum scriptorum longe superavit clarissimus Ioseph a Iesu Maria (Quiroga) (40), in theologia mystica versatissimus ac primus hispanicae Congregationis historiographus generalis. Quod ubi perspexerunt doctrinae carmelitanae impugnatores, contradictionem quoque suam multum acuerunt. Ad quod comprobandum satis erit pauca huius temporis referre hic documenta. Hae tamen impugnationes indolem proprie anti-carmelitanam non habuerunt; sunt etenim potius casus controversiae generalis circa illuminismum, quietismum et iansenismum; quos errores critica illa suspicax atque immoderata, de qua supra locuti sumus, fere ubique reperire arbitrabatur.

Andreas ab Incarnatione, C. D. (41), sequentia nobis tradidit: «Die 5 Februarii, anno 1633, Sancto Tribunali oblata est a Patre

---

(36) Cf. Andrés de la Encarnación, C. D., *Memorias historiales*, t. I, letra G; t. II, letra R; Mss. 13482 et 13483 Bibliothecae nationalis Matritensis. — Isidorus a S. Joseph - Petrus a S. Andrea, C. D., *Historia generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariae de Monte Carmelo Congregationis S. Eliae*, Romae, 1668-1671, t. I, lib. II, cap. 44-45, pp. 340b-358b. — Martialis a S. Ioan. Bapt., C. D., *Bibliotheca*, Burdigalae, 1730, pp. 386-409. — Gerardo de S. Juan de la Cruz, C. D., *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, ed. crít., Toledo, 1912-1914, t. I, Preliminares, §§. X y XII; pp. LV-LX; LXII-LXVI; t. I, *Vida del Místico Doctor*, cap. 18, p. 125, nota (2). — Silverio de S. Teresa, C. D., l. c., t. I, pp. XXXIX sqq.

(37) Dominus Antolinez, archiepiscopus S. Iacobi Compostellae († 19 iunii 1626), commentarium in tria principaliora poemata Sancti Ioannis a Cruce conscripsit: Mss. 2.037, 6.895 et 13.505 Bibliothecae nationalis Matritensis. — Cf. D. Chevalier, O. S. B., in *Bulletin Hispanique*, t. XXIV, num. 4 (oct.-déc. 1922), p. 341.

(38) *Apuntos y advertencias en tres discursos para mas facil inteligencia de las frasis misticas y doctrina de las Obras espirituales de Nuestro Venerable Padre Fray Juan de la Cruz.* 1ª ed. Barcelona, Sebastian de Cormellas, 1619, ad calcem operis *Obras espirituales del V. P. Juan de la Cruz*, pp. 573-632. — Ultima editio circa finem editionis criticae *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, Toledo, 1912-1914, t. III, pp. 465-502.

(39) *Phrasium mysticae theologiae V. P. Fr. Ioannis a Cruce... elucidatio.* Hoc opus latine conscriptum primo editum est Compluti, 1631, ad calcem Operum Sancti Ioannis a Cruce; postea Coloniae Agrippinae, apud Gualtherum, 1639. Quapropter errant Martialis a S. I. B., *Op. cit.*, p. 308, num. 6; Cosmas de Villiers, *Op. cit.*, t. II, col. 498, num. 29 et Bartholomaeus a S. Angelo, *Op. cit.*, t. II, p. 61, num. 9, asserentes hoc opus prius hispano idiomate editum fuisse anno 1631, postea vero ab Andrea a Iesu latine versum et Coloniae Agrippinae impressum 1639.

(40) Cf. editionem meam criticam operis Patris Ioseph a Spiritu Sancto *Cursus theologiae mystico-scholasticae*, t. I, Append., pp. 293-295. — Item articulum a me scriptum in *Dictionnaire de théologie catholique* (Vacant-Mangenot), t. VIII, col. 1523-1526, voce *Joseph de Jésus-Marie*.

(41) *Memorias historiales*, t. I, letra G, num. 5; Ms. 13.482 Bibliothecae nationalis Matritensis: «*En 5 de febrero de 1633 se presento al sto tribunal una delacion hecha por el P. Poza, aunque con nombre de otro en que entre otras cosas contra la Religion y sus libros dice*: Este mes de febrero asta mediado marzo se empleara en delatar a V. A. las cosas concernientes a 26 libros que tienen corespondencia, y conspiracion con la *Historia Profetica*, y pasado este tiempo se empezara á delatar los libros que desta Religion salen en materia de oracion y por la paciencia y charidad de JesuXsto se suplica á V. A. que se atienda á este genero de libros, y a la practica de ellos en el orar por que es cosa de grandissimo peligro, y en que el suplicante, y cooperante ven agravadas sus conciencias en el callar de estas materias. Mas paraque en el interim V. A. pueda disponer de las censuras de lo que toca á la *Historia Profetica*, y libros aderentes, no empezaran las delaciones de la materia de oracion asta el fin de Marzo.» — Hic textus etiam datur a P. Gerardo de San Juan de la Cruz, *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, t. I, Preliminares, § XIII, p. LXIII. — Pater Poza, S. I., ulteriori delatione probabiliter destitit, prout notat ipse P. Gerardus. Sequentia enim habet P. Gerardus (l. c.):

Poza (42), adhibito tamen alterius nomine, delatio in qua, praeter alia, Ordinem nostrum (43) librosque nostros criminatur his verbis : « Ab hoc Februarii mense usque ad Martium mediantem Eminentiae Vestrae deferam quidquid pertinet ad 26 libros *Historiam Propheticam* (44) concernentes cum eaque consentientes; postea vero incipiam deferre de oratione libros ex hoc Ordine procedentes. V^ae E^ae supplico per patientiam caritatemque Iesu Christi ut huic generi librorum eorumque orandi methodo, gravissimum periculum constituenti, attendas; nam servando silentium supplicans ipsiusque cooperator conscientias suas onerare timent. At, quo V^a E^a censuris uti queat contra *Historiam Propheticam* librosque eam concernentes, delationes de orationis materia circa mensis Martii finem tantum incipient. » Idem Ioannes Baptista Poza de eximio Nicolaii a Iesu Maria libro *Phrasium mysticae theologiae V. P. Fr. Ioannis a Cruce... elucidatio* dicere ausus est : « Supplicans hunc V^ae E^ae deferet tanquam funestam continentem doctrinam (45). »

En aliud documentum, a Christophoro a S. Ioseph, C. D., hispano idiomate scriptum, in quo impugnationes Patris Felicis de Alamín, Ordinis Minorum Capuccinorum, referuntur (46) : « Anno 1668 editus est libellus

---

¿Pero llevó á cabo el Padre Poza sus propositos? Sabemos que desistió de ellos; mas ignoramos si ya había delatado los escritos del Santo Padre. Hé aquí lo que sobre el particular hallamos en un antiguo papel de un Padre de la Compañia de Jesús, escrito á otro propósito: « El Padre Poza, escribe, escogió al Licenciado Don Alonso de la Mota y Arando en orden á ir delatando todos los libros censurables del Carmen, y viendo la llama qué se levantaba y la impaciencia con que llevan ésto los Padres del Carmen y que no les servía de freno, dejó un medio tan justificado y fundado en buena Teologia ». (Archivo de los Carmelitas de Toledo).

(42) En quod circa Ioannem Baptistam Poza, S. I., scripsit Carolus Sommervogel, S. I., in *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, Bruxelles 1890-1911, t. VI, col. 1135 : « Poza, Jean-Baptiste, né à Bilbao en 1588, admis au noviciat d'Alcala, le 29 mars 1603, enseigna la grammaire, la philosophie à Madrid, la théologie à Alcala, et l'Ecriture sainte à Madrid, et à Murcie Il avait de grandes connaissances et aussi un entêtement que rien ne pouvait fléchir. Accusé d'avoir émis plusieurs propositions répréhensibles, il les défendit avec opiniâtreté. Le Saint-Office le censura; il fut en conséquence dépouillé de toute charge et condamné à passer le reste de ses jours dans le collège de Cuenca. Cependant, d'après le *Memorial historico español* (Madrid, 1862), t. XV, p. 111-112, il fut justifié et rétabli dans ses charges. Il mourut, le 6 février 1659. » — Plura ipsius opera ab Inquisitionibus Romana et Hispana in indicem collocata fuerunt; at Poza his condemnationibus restitit pluresque apologias et appellationes ad Summum Pontificem publicavit, quae ab iisdem Inquisitionibus condemnata fuerunt, ut videri est apud Sommervogel, l. c., col. 1135-1142; in *Indice ultimo de los libros prohibidos y mandados expurgar: para todos los reynos y señorios del catolico rey de las Españas, El Señor Don Carlos IV*, Madrid, 1790, p. 215b-216a; et in *Indice librorum prohibitorum... SSmi D. N. Pii XI iussu edito*, Romae, 1922, p. 215a, ubi legitur : « Poza, Ioannes Baptista. *Opera omnia, Decret. 31 ian. 1628; 10 dec. 1631* ». Ex his omnibus apparet Patrem Poza opera carmelitana Inquisitioni Hispanae detulisse post proprias suas condemnationes ab ambabus Inquisitionibus; unde facile intelligitur cur Poza in hac delatione nomen alterius adhibuerit.

(43) Scilicet Ordo Carmelitarum Discalceatorum.

(44) Opus Patris Francisci a S. Maria, C. D., circa antiquitatem Ordinis : *Historia Prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen*, cuius tomus I in-fol. prodiit Matriti, 1630; tomus II vero, scilicet eius continuatio a tempore Christi usque ad annum 415, Ms. remansit.

(45) Andrés de la Encarnación, l. c. : *Dice el delator hablando de la* Elucidatio : *el qual por ser de mala doctrina el suplicante delatara a V. A.*

(46) Nonne Felix de Alamín a Felice de Molina atque a Felice de los Molinos distinguendus sit? Videtur quod sic. Etenim Ioannes a S. Antonio, *O. F. M., Bibliotheca universa franciscana*, Matriti 1732-1733, t. I, p. 344 et 346 eos ut tres auctores distinctos considerat eisque differentia opera tribuit; inter quae *Espejo de verdadera, y falsa contemplacion*, Madrid, Antonio de Zafra 1695, Felici de Alamín. Iuxta eundem Ioannem a S. Antonio Felix de Alamín et Felix de los Molinos sunt Capuccini provinciae Castellae; Felix de Molina vero Discalceatus provinciae hispanae S. Ioannis Baptistae. Lucas Waddingus, *O. F. M., Scriptores Ordinis Minorum*, Romae 1806, nullius mentionem facit. Hyacinthus Sbaralea, O. M. Conv. *Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci*, Romae 1806, p. 237-a et ib. 1908, part. I, p. 251b, solum de Felice de los Molinos loquitur eique eadem opera tribuit quae ipsi antea Ioannes a S. Antonio iam assignaverat. Bernardus a Bolonia, O. M. Cap. *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum*, Venetiis 1747, de Felice de Alamín mentionem non facit; atque Felicem de Molina cum Felice de los Molinos confundit. Dicit enim pp. 86b-87a : « Felix de Molina, seu de los Molinos, in Provincia Castellae

anonymus, in quo impugnatur contemplatio acquisita, quae fit cum fidei donorumque Spiritus Sancti auxilio. Concludendo auctor (47) se copiose disserturum de vera falsaque contemplatione promittebat in libro cui tunc temporis incumbebat quique nuper apparuit: *Espejo de contemplacion* (48). Iste liber impugnat auctores gravissimos qui, auctoritate sacrae Scripturae sanctorumque Patrum nisi, contemplationem acquisitam docent. Et quia

---

omnibus viri religiosi numeris absolutus, omni et munere in aliorum profectum celebris.» Immo Felici de Molina opera (quorum titulos hispanos refert) adscribit quae Ioannes a S. Antonio Felici de Alamín attribuerat; at nullum opus illorum quae idem Ioannes Felici de Molina vel Felici de los Molinos assignaverat! Atqui certum est Felicem de Alamín auctorem esse operis *Espejo de verdadera y falsa contemplación*. Nam 1) in folio titulari editionis Matritensis 1695 nomen Felicis de Alamín prostat: «Fr. Felix de Alamín, religioso Capuchino.» 2) *Index librorum prohibitorum Leonis XIII Summi Pontificis auctoritate recognitus Ssmi D. N. Fu PP. XI iussu editus*, Romae 1922, p. 6ª habet: «Alamín, Felix de. Espejo de verdadera y falsa contemplacion. *Decr.* 30 iul. 1798.» 3) Item P. Gerardo de San Juan de la Cruz, *op. cit.*, t. I, p. LXV, ait: «El Padre Alamín.» 4) Similiter in prologo operis Ms. *Defensa, o Apologia de el libro intitulado Subida del Alma a Dios y Entrada de el alma al Parayso Espiritual* legitur: «El P. Fr. Felix Alamín Religioso Capuchino.»

Haec relatio, Burgis facta, die 30 ianuarii 1725, ibidem in conventu Carmelitarum Discalceatorum asservata, ab ipso Christophoro a S. Ioseph conscripta, continet pauca folia, quae glutine coniuncta sunt exemplari operis a Felice de Alamín compositi *Espejo de verdadera y falsa contemplacion*. Insuper in eodem conventu servatur huius genuinae relationis exscriptio publica fide confirmata, quam etiam refert P. Gerardo de San Juan de la Cruz, *op. cit.*, t. I, pp. LXIV-LXV. Hanc quoque hic referam: «El año de 1668 salió un papel anónimo impugnando la contemplación adquisita que se ejercita con la fe y con los dones del Espíritu Santo. Concluía que disponía un libro en que largamente trataría de la verdadera y falsa contemplación, que es el presente (el *Espejo de contemplación*). Impugna éste gravísimos autores que la enseñan con la Sagrada Escritura y Santos Padres. En especial pretende oscurecer la doctrina de Nuestro Padre San Juan de la Cruz, por reconocerla estimada y recibida; y así dilatadamente la opone contra sí, y luego, con frivolas respuestas, le parece que antes le favorece.

«Para salir con su intento del todo, recurrió á Roma (no atreviéndose en España) á delatar el libro del Santo muy largamente, atribuyéndole los errores de Molinos y demás contemplativos que refiere la plana del título. Junto con el del Santo delató la *Cadena Mística*, los dos libros del Padre Fray José de Jesús María; la *Médula* y el *Maestro Espiritual*, autores nuestros, y otros veintitrés, escritos en nuestra lengua, misticos, y entre ellos á Blosio. Tuvo modo de remitirlos con una *Delación* de doce á catorce pliegos, dirigida al Papa, toda sembrada de autoridades y ejemplos de Santos, sin propósito. Parecióle que como en Roma estaba tan vidriado esto de la *contemplación con quietud*, por la doctrina del perverso Molinos, que fácilmente saldría la de estos libros como la de Molinos. Subia tanto la importancia de la *Delación*, que persuadía al Papa, que si no tenía efecto, corría peligro la fe católica en España. Estaba yo en Roma Procurador General, y por el año de 1704 tuve noticia de la tal *Delación*, y por medio del Padre Fray Honorio, religioso nuestro de aquella Congregación (la de Italia), y Consultor del Indice, vino á mis manos, viendo en ella cosas tan indignas y falsas que atribuía á tan sabios y dignos autores. Dí parte de ello al Duque de Uceda, Embajador de nuestro Reino, y le dí un *Memorial* para su Santidad, para que se diese é informase, como lo hizo. En él propuse á Su Santidad las exhorbitancias contenidas en la *Delación*, y la audacia, en especial acerca de la doctrina de Nuestro Santo Padre, tan aprobada por la Congregración para su beatificación y con tan grande elogio como se lo aplica, que es el mismo que á San Dionisio, en las lecciones del rezo aprobadas por Inocencio Undecimo en Bula especial.

«Supe en la secretaría de memoriales como mi *Memorial* le remitió al Tribunal de la Inquisición, y como de aquí por tener mucho que hacer, se rimitió á la Congregación del Indice. Era de calidad que en cuanto á Nuestro Santo Padre no se tocase, siendo tal y tan aprobada, que en los demás no se perdería nada en que se viesen. Estuve con el Maestro Secretario del Indice, el cual me aseguró que no corrían peligro. Habló tambien á algunos revisores que tenían ya los libros, y en ellos hallé buen recibido. Como ví en la *delación* tantas exhorbitancias, y que en la dirigida al Pontífice decía: «Para este viene el *Espejo de verdadera y falsa contemplación*», juzgué que sería *ejusdem farinae*. Pedí que me le remitiesen y que en España le delatasen, y le delaté en Roma, donde después de algún tiempo salió condenado por contrario á la Sagrada Escritura y Santos Padres, y lo mismo en España. *Et ita nuestro Capuchino incidit in foveam quam fecit*, y los libros que delató fueron dados por inocentes y con gran crédito de sus autores.

«Todo lo dicho pasó por mi, de que soy testigo. Burgos y Enero 30 de 1725.

Fray Cristóbal de San Joseph.»

Circa has delationes Patris Felicis de Alamín cf. etiam *Defensa, o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios y Entrada de el alma al Parayso Espiritual*, prolog., Ms. asservatur in conventu PP. Carmelitarum Discalceatorum Burgis.

(47) i. e. Felix de Alamín.

(48) i. e. *Espejo de verdadera y falsa Contemplacion*. Madrid, Ant. de Zafra 1695, in-4º.

doctrinam Sancti Patris nostri Ioannis a Cruce aestimatam receptamque optime novit, hanc ipsam obnubilare maxime intendit; quapropter multum eo occupatur, postea tamen inanibus responsis se ei favorabilem ostendere simulat.

« Quo scopum plenius attingeret, in Hispania id obtinere diffidens (49), ad Romam recursum habuit, ibique Sancti (Ioannis a Cruce) librum latissime detulit, ei Michaelis de Molinos aliorumque falsorum contemplativorum in ipsa tituli libri pagina haereticam doctrinam adscribendo. Detulit pariter opus *Cadena mystica* (50), duos libros a Patre Fratre Ioseph a Iesu Maria scriptos (51), *Medula* (52) et *Maestro espiritual* (53), opera ab auctoribus e nostris composita; et alia 23 opera mystica nostro idiomate edita, inter quae numerabantur Blosii opera. Fecit autem delationem tradendo Summo Pontifici omnes istos libros una cum quadam relatione duodecim vel quatuordecim foliorum amplitudine, in qua sparsim auctoritas exemplumque sanctorum incongrue adducebatur. »

Pergit Pater Christophorus exponendo quomodo, dum Romae Procuratoris generalis Congregationis Hispanae officio fungeretur, haec delatio opusque *Espejo de verdadera y falsa contemplacion* ad eum pervenerunt, atque tot tam indigna quam falsa dignis sapientibusque auctoribus adscribi perspiciens, ipsemet supplicem libellum composuit atque Sancto Patri remisit. At Summus Pontifex totam rem commisit Inquisitioni, quae et ipsa nimio onere pressa rem definiendam Sacrae Congregationi Indicis reliquit. Ibi ultimus supplex libellus benigne est acceptus, operaque delata approbata. Tunc denique ipsemet Pater Christophorus opus Felicis de Alamín *Espejo* Romae detulit ac in Hispania deferri curavit; quod tandem ab ambobus tribunalibus damnatum est tanquam « *Sacrae Scripturae Sanctisque Patribus contrarium* (54) ».

Res videbatur finita. At, circa annum 1740 (55), litem renovarunt quidam religiosi, quorum princeps fuit Franciscus Ravago (56), unus ex

---

(49) Detulerat enim Inquisitioni Hispanae opus *Subida del alma a Dios y Entrada en el Parayso Espiritual* a Patre Ioseph a Iesu Maria, C. D. (+ 1629) conscriptum atque duobus voluminibus editum: *Subida del alma a Dios que aspira a la divina union*, Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1656, in-8° et *Entrada del alma al Parayso Espiritual*, ib, 1659. Quod egregium opus, pluries reeditum, a Sancto Tribunali non damnatum, sed multum laudatum est. Cf. *Defensa, o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios y Entrada de el alma al Parayso Espiritual*, prolog.; Ms. asservatur in conventu Carmelitarum Discalceatorum Burgis.

(50) Opus a nostro Patre Ioseph a Spiritu Sancto, Lusitano, compositum.

(51) *Subida del alma a Dios* et *Entrada del alma al Parayso Espiritual*, Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1656, 1659.

(52) Liber a Francisco a S. Thoma, C. D. (+ 1707), scriptus: *Medula mystica, sacada de las divinas letras, de los Santos Padres, y de los mas classicos doctores mysticos, y escolasticos*, 1ª ed. Madrid, 1691; 2ª ed. *añadida por su autor*, Madrid, Manuel Ruiz de Murga, 1702.

(53) Antonius ab Annuntiatione, C. D. (+ 1714), *Manual de Padres espirituales en que se contienen Avisos, y Documentos para el govierno de las almas que van por camino extraordinario.* Iª ed., anno.... *Segunda impression, añadida y enmendada por su autor.* En Alcala: Por Francisco Garcia Fernandez, año 1679.

(54) Re quidem vera opus Felicis de Alamín: *Espejo de verdadera y falsa contemplacion* in Indicem romanum relegatum est decreto 30 iulii 1708. Cr. *Index librorum prohibitorum Leonis XIII Summi Pontificis auctoritate recognitus Ssmi D. N. Pii PP. XI iussu editus*, Romae, 1922, p. 6ª: « Alamín, Felix de. Espejo de verdadera y falsa contemplacion. Decr. 30 *iul.* 1708.»

(55) Cf. *Defensa, o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios y Entrada de el alma al Parayso Espiritual*, prologo.

(56) In prologo operis Ms. *Defensa, o Apologia* legitur: « *Antonio Rabago* ». — Sommervogel (Carlos —), S. I., *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, Bruxelles, 1890-1911, t. VI, col. 1496: « Ravago, Rabago, François, né à Santander, le 20 octobre 1685, admis le 31 mars 1703, enseigna la philosophie, 8 ans la théologie et 19 ans au collège Romain, fut recteur, provincial, confesseur du roi Ferdinand VI et Inquisiteur. Il mourut à Madrid le 24 décembre 1763. » — P. Franciscus Ravago ob suum regalismum vehementer

Hispanis Inquisitoribus, quique regi catholico Ferdinando VI fuit a sacris confessionibus. Hac vice tamen praecipue impugnabatur opus a Patre Ioseph a Iesu Maria conscriptum : *Subida del alma a Dios y Entrada en el Parayso Espiritual*. Quamvis illud opus Patris Ioseph a Iesu Maria iam antea fuerit approbatum ab Inquisitionibus romana et hispana, nihilominus reliqui Inquisitores, industria praepotentis Francisci Ravago flecti, una cum eo illud damnaverunt et simul Patrem Ioseph a Iesu Maria hoc opus scripsisse negare ausi sunt. Haec enim habet eorum sententia diei 4 Iulii 1750 : « Duo tomi in-8°, Matriti a Didaco Diaz de la Carrera impressi, annis 1656 et 1659, prima alteraque pars posthumi *Subida del alma a Dios* Patri Ioseph a Iesu Maria, primo historiographo Sanctae Reformationis ordinis de Monte Carmelo, falso adscripti, eo quod continent doctrinas periculosissimas propositionesque similes aequivalentesque eis quae apud Michaelem de Molinos damnatae sunt, haeresim sapientes ac haereticas. »

Cum auctoritas Inquisitionis hispanae ex eius dimicatione cum Sancta Sede (an. 1747 sqq.) multum diminuta esset (57), et cum aliunde Augustiniani consecuti essent ut ipsa Inquisitio hispana sententiam qua opera Cardinalis Henrici Noris damnaverat (58), revocaret; ad eundem scopum obtinendum Carmelitae Discalceati in favorem doctrinae Patris Ioseph a Iesu Maria plures composuerunt apologias, quorum quaedam mss. asservantur in Bibliotheca nationali Matritensi : Ms. V. 434; Ms. E. 307-19530; Ms. 423; Ms. 425; Ms. V. 418; *Defensa o Apologia de el libro intitulado : Subida del Alma* vero in conventu Carmelitarum Discalceatorum Burgis. Quibus perspectis, eadem Inquisitio hispana sententiam quoque suam damnatoriam diei 4 Iulii 1750 revocavit die 1 Martii 1771 (59). Sicque evanuit illa persecutio contra mysticam carmelitanam. Utique dolendum est homines sapientes tum tempus quum vires deperdidisse in delatione et in libellis scribendis contra mysticam theresianam. Sed aliunde de hoc ipso nobis gaudendum est ob fructus ex hac persecutione reportatos; Deus enim haec omnia permisit, ut sic occasio daretur innumeris optimisque operibus mysticis, quae nunc gloriam Carmeli Reformati constituunt et sapientes hodiernos in admirationem rapiunt, quamvis valde exigua pars illorum operum eis nota sit.

P. Anastasius a S. Paulo, C. D.

---

incipatur ab Emmanuele Miguélez, augustiniano, in *Ciudad de Dios*, t. XXXI (1893), pp. 561-569; t XXXII (1894), pp. 5-16; 189-199; 241-258. Nobis liceat hos articulos Patris Miguélez hic breviter contrahere. In illo tempore (1740 sqq.) Iesuitae plurimum auctoritatis apud Inquisitionem Hispaniae habebant. Quidam patres Societatis Iesu occasionem revisionis Indicis librorum prohibitorum ab Inquisitione hispana annis 1746-1747 (edito anno 1747) nacti sunt ut in eo, absque praevio examine, ut prohibitos insererent maiorem partem librorum a P. Dominico de Colonia, S. I (1658-1741), relatorum in *Bibliothèque Janséniste, ou Catalogue alphabétique des livres Jansénistes, Quesnellistes, Baianistes, ou suspects de ces erreurs*. Haec *Bibliothèque* autem primum Lugduni annis 1722 et 1731 impresca, deinde « revue, corrigée et augmentée de plus de moitié » Bruxellis annis 1739 et 1744, multa opera optimorum auctorum catholicorum perperam ut haeretica vel haeresim sapientia tenet. Inter quae numerantur opera Cardinalis Henrici Noris (1631-1704), Augustiniani et illustris doctrinae S. Augustini contra molinistas propugnatoris, quamvis iam ter ab Inquisitione romana, immo et ab ipso Summo Pontifice fuerint approbata. Quid mirum, si haec *Bibliothèque Janséniste* decreto 20 sept. 1749 Romae condemnata fuit? Augustiniani, maerore confecti ob prohibitionem operum Cardinalis Henrici Noris ab *Indice* hispano anni 1747, ad Summum Pontificem Benedictum XIV recurrunt. Quod et fecerunt Dominicani, conquerentes de ipsorum plurium auctorum iniusta insertione in hoc *Indice*. Haec origo fuit acris contentionis inter Sedem Apostolicam et Inquisitionem hispanam, quae se sui iuris et a Roma solutam autumabat sicque in regalismum abiebat. Hic quoque regalista Ravago funestas partes suscepit et quidem primas; ipse enim effecit ut Inquisitio et Curia regalis Hispaniae tam diu Sanctae Sedi resisterent.

(57) Cf. nota (56).

(58) Cf. nota (56) et *Defensa, o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios...*, prologo.

(59) *Indice ultimo de los libros prohibidos*, Madrid, 1790, p. 145b.

Breve S. Dionysii Elogium

Ex Baptistae Mantuani, Carm., libro X *De sacris diebus* (1)

Caecropides nono Phoebi Dionysius ortu
Surgit Athenaei sapiens auriga Senatus,
Hic de principibus, regnoque novemplice Divum
Plurima conscripsit, divinaque nomina fecit
Cognita sub Paulo, qui tunc habitabat Athenis.
Hic Mariae viventis adhuc veneranda tueri
Ora volens, nave Assyrias annavit ad oras,
Vidit, et ascenso Carmeli vertici nostros
Se tulit ad Patres, spelaeaque sancta revisit
Magnus ubi Elias legitur vixisse, priusquam
Tenderet Eoos curru translatus ad hortos.
Per freta devenit Romam post funera Petri,
Post obitum Pauli, qua tempestate tenebat
Naviculam Petri Clemens Romanus, et ipso
Persuadente viam secuit Dionysius ultra
Aërias Alpes, Rhodanum transivit, et omnes
Attulit ad Celtas Christum, tentoria figens
Parrisios, bifido qua Sequana circuit amne,
Plurima postremum passus tormenta, ferasque
Ut memini cecinisse olim maioribus orsis,
Cum sociis poena capitali affectus in ulnas
Ipse suum caput assumpsit, truncusque propinquum
Attulit in collem, quo nunc sublimia regum
Busta loco resident magni sub culmine templi.

Idem Mantuanus tribus integris libris conversionem, vitam et agonem eiusdem sanctissimi viri eleganter descripsit; qui extant tomo II *Operum* eius (2).

---

(1) *Fastorum libri XII* seu *De sacris diebus libri XII*, lib. X, carmen *De S. Dionysio*; *Opera omnia*, Antverpiae, 1576, t. II, fol. 356

(2) Carmen *De Dionysii Areopagitae conversione, vita et agone libri tres; Opera omnia*, ed. cit., t. II, fol. 159r-200v.

Censura Ordinarii

Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae Auctore R. P. Ioseph a Spiritu Sancto, Lusitano Carmelita Discalceato, dignissima est quae ab ascetis sublimem religiosae perfectionis statum ingressis legatur et typis imprimatur. Signatum Coloniae Agrippinae 7 Februarii 1683.

F. Theodorus Deghens, S. Theologiae Doctor et Professor Ordinarius, Canonicorum Regularium S. Crucis Provincialis ad Rhenum et Prior Coloniae, Librorum Censor Ordinarius.

Censura Sacrae Theologiae Professorum

Auctor huius Operis R. Adm. P. Ioseph a Spiritu Sancto, Lusitanus Carmelita Excalceatus, sapientiam loquens inter perfectos (1), Dionysium suum, discipulus Magistrum et filius patrem ubique spirat; cuius uti textum fideliter recitat, ita sublimem sensum ubique eructat; simulque luculenter ostendit qualiter mysticorum apex a Principe scholasticorum, id est, Galliarum Apostolus, Divus Dionysius Areopagita, ab Angelico Praeceptore S. Thoma Aquinate neutiquam dissentiat, dum theologiae mysticae obscuriora quaeque effata ad rigorosa scholasticorum principia ac dogmata, non sine maturo iudicio examinata, ipsis passim Praeceptoris Angelici formalibus verbis resolvit. In quibus omnibus quoniam reperitur nihil quod vel fidem Romano-Catholicam non astruat vel Catholico mores dignos non exigat, opus hoc praelo et luce publica dignum censeo: ut scilicet lectis charismatibus melioribus saeculum contemnere discat peccator purgans, in virtutum lumine cognitis ad altiora exstimuletur proficiens, ac denique velut experimentaliter perceptis unus cum Deo spiritus fiat perfectus. Ita sentio et censeo Coloniae in Seminario Benedictino anno 1683, 27 ianuarii.

F. Beda Wachendorff, Ord. S. Benedicti, SS. Theologiae Doctor et Professor Ordinarius, Seminarii Benedictini Regens, mpp.

Summam naturae rationalis felicitatem positam esse in contemplatione, amore ac fruitione Dei, Christiano dubium esse potest nemini. Proinde maximam sapientiae laudem merentur qui huc sua studia intendunt, plurimumque Reipublicae Christianae contulisse censendi sunt qui Christi magisterio, qui unicus hac in arte Doctor est, instructi, eminentem illum assurgendi ad Deum per contemplationem et amoris eum brachiis constringendi modum litteris nobis tradidere. Quos inter primas sibi iure vendicat nominatissimus ille Galliarum Apostolus, Apostoli et Doctoris gen-

(1) Cf. I *Cor.*, c. II, v. 6.

tium discipulus, S. Dionysius Areopagita; utpote qui caelestium Magistri visionum effectus particeps, primus secretiora theologiae mysticae adyta nobis patefecit. Quamvis secundum exigentiam nascentis Ecclesiae Platonico stylo et abstrusiori sermone, quem non omnes caperent, ne margaritas porcis proterendas obiiceret (2). Unde contingere solet plerisque qui Christianae planiora doctrinae necdum supergressi, primo incidunt aspectu in sublimia et arcana huius theologorum verticis dogmata, ut cum evangelico Candacis Aethiopum reginae praefecto a grazis (3) reconditas inibi gazas oculis suis arbitrentur et manibus terant, nec tamen earum capiant pretium, donec submissus a Deo interpres et aestimator obscura revelet et thesaurum latentem ante oculos eorum explicet.

Etsi autem non defuerint omni tempore homines sanctitate et doctrina conspicui, qui a Deo ad nostram eruditionem instructi, mysticam S. Dionysii doctrinam non parum illustrarint; novissimis tamen hisce exulceratis temporibus, in quibus infernalis ille Iabin tenebrarum, tenens regna per Sisaras et duces suos haeresiarchas, horrendum in modum invasit Ecclesiam Dei magnamque eius partem in miserabilem errorum et flagitiorum abstraxit servitutem, singulari Dei providentia mystici et contemplativi, agminis duces Debborae et Baraci, contra tenebrionum istorum colluviem prodiere et caelestis facem sapientiae praetulere nobilissimum illud Carmeli par, Seraphica et ter sancta virgo Theresia a Iesu et Cherubicus ac beatissimus Pater Ioannes a Cruce, ambo primaevae arboris insigniores rami et novarum utriusque respective sexus traducum fecundissima et laetissima germina, quippe qui caelestibus sapientiae ac intellectus donis abundantissime a Deo perfusi, tam subtili mentis acie res internas penetrarunt, adeoque distinxerunt nitide, et posteris consignata reliquerunt, ut non sine fundamento credi queat destinatos fuisse a Deo hac tempestate rerum ad nos in hoc genere eruiendos. Quod ut ne quis a me in laudem illorum solum excogitatum credat, audiat ille testimonia omni exceptione maiora et indubitata purpuratorum Ecclesiae Patrum aliorumque illustrium virorum oracula. Etenim de S. Theresia *Acta Canonizationis* (4) eius referunt quod *clarissimi omnium Ordinum Theologi B. Teresiae sapientiam admirantur, et facilem mysticarum rerum explanationem adeo obstupescunt, ut rarum sapientiae genus eis videatur, etc ... meritoque illam quasi spiritualis doctrinae Magistram Ecclesiae a Deo datam praedicant.* Neque absimili laude S. Ioannem a Cruce extollunt litterae remissoriales ab Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus Ioanne Baptista Deti, Sac. Rit. Congregationis Praefecto, et de Torres in ordine ad eius canonizationem concinnatae his verbis: *Libros de mystica Theologia, qui per diversa regna circumferuntur, caelesti eruditione foecundos, sublimi adeo et admirabili stylo conscripsit, ut talem scientiam divinitus revelatam esse, non humano acquisitam ingenio existiment omnes; quorum lectio ad veras a falsis illuminationibus discernendas, animasque in perfectionis via roborandas perutilis comprobatur: unde doctrinae S. Dionysii Areopagitae a legentibus comparata est* (5).

---

(2) Cf. *Matth.*, c. VII, v. 6.

(3) Cf. *Act. Apost.*, c VIII, v. 27-35.

(4) Vandermoere (Ioseph —), S. I., *Acta S. Teresiae a Jesu, Carmelitarum strictioris observantiae parentis, Commentario et Observationibus illustrata*, Commentarius praevius, § 60, num. 1196; Bruxellis, 1845, p. 272b: ... *mysticarum passionum explanationem... rarum genus sapientiae eis...*

(5) Cf. *Opera mystica V. ac Mystici Doctoris F. Ioannis a Cruce*, versio latina P. Andreae a Iesu, C. D., Coloniae Agrippinae, 1639, initio, elogium II *Relatum ab Eminentissimis DD. Cardinalibus de Torrez, et*

Sub illorum porro vexillo prodiere haud pauci parentum pietatis ac spiritus heredes, qui per rerum caducarum contemptum et vitae puritatem ad divinae contemplationis apicem pertingentes, cum nullam instituti sui partem vel potiorem vel antiquiorem esse intelligerent quam studium divinae unionis ac proinde amoris, a quo illa procedit, huic unice labores suos consecrarunt; quos singulos referre nimis foret prolixum. Nostras supplet vices R. A. P. Iosephus a Spiritu Sancto in sua *Catena mystica Carmelitana* Matriti 1678 edita (6), in qua triginta pene de theologia mystica et vita ascetica scriptores enumerat, omnes Carmelitas Discalceatos. Quorum ipse numero merito est accensendus in opere suo posthumo intitulato *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae* (quod ad lucem nunc aspirat labore et industria Rev. Adm. et doctissimi P. Pauli ab omnibus Sanctis eiusdem Ordinis Carmelitarum Discalceatorum quondam pluries Definitoris Germaniae, viri et scriptis a se editis et aliorum lucubrationibus e tenebris eruendis de Ordine suo et orbe Christiano optime meriti (7)) in eo namque post eruditam et claram textus S. Dionysii elucidationem, difficultates, quae ex eo resultare possent, trito et scholastico more praesertim ad trutinam doctrinae Angelici Doctoris tam accurate perpendit docteque resolvit, ut Dionysiacam caliginem in perspicuam lucem transformare videatur. Quia vero per hoc operam suam navat Reipublicae Christianae secundum sanam doctrinam et piissimam institutionem sanctissimorum virorum, iudicamus non abs re fore iuris ut fiat publici, quo ex eiusdem faciliori copia plures alliciantur ad divinae contemplationis studium, cuius caelestem iucunditatem maximamque praestantiam tum demum experiri licebit illius studiosis, cum innocentiam vitae et humilem sui agnitionem piae lectioni coniunxerint. Alia namque ad divina intelligenda et experimento comprobanda non est via. Datum in Conventu nostro Coloniensi, 1683, 12 Augusti.

F. Ambrosius a S. Godefrido, Ordinis Fratrum B. V. Mariae de Monte Carmelo, SS. Theologiae Ltus et ordinarius Lector.

Ioanne Baptista Detti sacrae Rituum congregationi, in litteris remissorialibus concessis in ordine ad Canonizationem Venerab. P. F. Ioannis a Cruce: Libros de Mystica Theologia (qui per diversa Regna circumferentur scripti) coelesti...

(6) *Cadena mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos.* Madrid, Antonio Gonçalez de Reyes, 1678, in-fol.

(7) Paulus ab omnibus sanctis Coloniae Agrippinae die 25 ianuarii natus, ibidem die 17 decembris 1683 mortuus est. Optime meritus est praesertim ob secundam accuratiorem auctioremque editionem *Operum omnium* Ven. Ioannis a Iesu Maria, Coloniae Agrippinae, apud Iodocum Kalcovium, 1650, 4 tom. in-fol. Collegit quoque *Opera omnia* Thomae a Iesu, quorum duo primi tomi in-fol. Coloniae Agrippinae apud Ioannem Wilhelmum Friessem iuniorem 1684 editi fuerunt; tomus tertius vero infeliciter nunquam in lucem venit.

PROLOGUS

AD CARMELI PER SERAPHICAM MATREM THERESIAM RESTAURATI STUDIOSAM IUVENTUTEM

Vos quaerit liber iste, qualiscumque ille sit, dilectissimi Fratres, utpote qui mysticae theologiae pretium non nescitis, indigentiam agnoscitis, utilitatem experimini, honestatem amatis atque professione propria tam monastica quam scholastica non solum practicas sed speculativas eius notitias indagare studetis.

Vos, inquam, quaerit, quos nec ingenii mei, nec scientiae, nec eruditionis, nec virtutis latent defectus; et tanquam testes oculati meae exiguitatis rationem fortasse quaeritis tantae praesumptionis. Si enim peccatori dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (1). Quomodo ego peccatorum maximus sancta tractare audeo? Sed si sancta sancte tractanda sunt, non nisi a Sanctis tractari deberent, vel fere nunquam sancta tractarentur, vel fere semper essent a non sanctis. Si enim aliquis se praesumeret sanctum, iam a sanctitate deficeret; si omnes se non sanctos autumarent, abstinerent a sanctis pertractandis; qui ergo erunt qui tractarent sancta? Tractaremus saltem profani.

Scientiam non mediocrem sed summam huiusmodi materiis necessariam dicetis, quae nimirum sublimitate, obscuritate et ineffabilitate ceteris praeeminent. Adderem ego: neque scientiam sine experientia eas plene rimari. Sapit divina cui divina sapiunt, sapore duce mystica capiuntur. *Gustate, et videte* dicit Psaltes (2). Ubi Angelicus Doctor (3) posuit differentiam rerum corporearum et spiritualium quoad cognitionem: in corporeis namque prius videtur et postea gustatur; in spiritualibus gustus praecedit, ut sequatur visio. Quid inde? Solum doceant ista qui gustu simul et scientia norunt, ut gustu experiantur et scientia explicent quae gustant? Numquid semper inveniemus Hierotheos, semper Dionysios, semper Augustinos? Fortasse nec quod scribunt penetraremus.

Cur autem doceam mysticam theologiam, quam nec nosco, nec gusto? Non doceo quidem ego, sed scribo; nec scribo sine scientia et sine experientia; non dico mea, sed a scientibus et ab expertis mutuata; illi sunt qui docent quae nunc scribo. Collegeram antea sub *Catena mystica* (4) quae ab expertis praesertim Carmelitis Excalceatis iam scripta inveni, nunc disputando *enucleo* iuxta doctrinam sapientiorum praesertim thomistarum; et quis negabit experientiam Theresianam, nisi qui neget thomisticam scientiam? Ecce quomodo ex mutuis, alienis inscius ego et inexpertus scientiam potui cum experientia scribendo componere.

---

(1) *Ps.* 49, v. 16.

(2) *Ps.* 33, v. 9.

(3) *In psalmos Davidis expositio*, ps. 33, v. 9; *Opera omnia*, ed. Vivès, Parisiis, 1871-1876, t. XVIII, p. 419b: *In corporalibus namque prius videtur, et postea gustatur; sed in rebus spiritualibus prius gustatur, postea autem videtur.*

(4) *Cadena mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos*, Madrid, 1678, in-fol.

Si de titulo inquiras huius Operis, hunc praefixum invenies: *Enucleatio Theologiae mysticae S. Dionysii.* Licet enim Dionysius totus sit nucleus, totus medulla spiritus, non tamen sine osse obscuritatis; quod qui tollere laborarunt, sub alieno cortice iterum recluserunt. Non ego omnino luces Dionysiacas a nebulis innatis denudare praesumo, sed eas enucleare ab extraneo putamine. Haec est enucleatio quam propono; et illa etiam quae ex aliis operibus eiusdem S. Doctoris de divinis his materiis sententias fere omnes ad mysticam doctrinam spectantes segregatim deiungo.

Quaestiones appello *scholastico-mysticas*, quas in materia hac mystica scholastico more pertractandas assumpsi; quae enim mere scholasticae videntur remittuntur auctoribus. Si in earum conclusionibus offenderitis quod non semper, ut mos est, doctorum auctoritatibus fulciantur; id in causa erit plures ex istis quaestionibus noviter excitari; unde solum est locus citandi eos ad fundamenta vel ad solutiones, quando materia postulat.

In duas partes Opus totum dividitur. In prima ponitur textus totius libri S. Dionysii *De Mystica Theologia* cum duplici versione ex graeco in latinum: altera antiquiori scilicet Ioachimi Perionii Benedictini sub anno 1556 (5); altera recentiori Patris Balthasaris Corderii Soc. Iesu sub anno 1634 (6); non quasi istas pluribus aliis interpretationibus etiam antiquioribus veraciores iudicem (haec enim lis non est me iudice dirimenda), sed quia in his duabus facile adinveni id in quo ceterae vel uniuntur, vel discriminantur. Addidi etiam pro meliori captu paraphrasticam lectionem iuxta ipsorum vel aliorum sensum. Unde quaestiones rem explicantes excitantur.

In secunda parte afferuntur omnes alii libri S. Dionysii: nimirum *Epistolarum*, *De Divinis Nominibus*, *De Caelesti* et *Ecclesiastica Hierarchia*, sub hac forma: citantur capita et tituli eorum, epilogatur textus et si quae fuerint in illo sententiae ad mysticam quoquo modo spectantia, sigillatim eruuntur, proponuntur earum rationes, dubitantur et resolvuntur. Haec sunt quae, favente Deo et sanctissimo Dionysio, in hoc opere continentur. Haec quae vestri tyrocinii exercitationibus offero. Haec quae vobis iam provectioribus corrigenda committo omniaque sanctae Romanae Ecclesiae iudicio infallibili subiicio. Valete.

---

(5) Textus omnes conferam cum editione sequenti: *D. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae extant Eiusdem vita. Scholia incerti authoris in librum de Ecclesiastica Hierarchia.* Lovanii. Apud Ioannem Bogardum, anno 1566 in-8°. Exemplar adest in Bibliotheca regali Bruxellensi, II, 52759. — In collegio theologico S. I. Lovaniensi adest exemplar editionis Parisiensis 1556, in-fol.

(6) *S. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae exstant, et commentarii quibus illustrantur.* 1ª ed. Antverpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti, 1634, 2 t. in-fol.; altera ed. auctior Parisiis, Apud Antonium Stephanum, 1644; iterum apud Migne, P. G., t. 3 et 4, Parisiis, 1857. — Cum hac ultima editione textus omnes conferam.

ENUCLEATIONIS
THEOLOGIAE MYSTICAE

PARS PRIMA

DE QUAESTIONIBUS SCHOLASTICO - MYSTICIS
IN TOTUM LIBRUM THEOLOGIAE MYSTICAE
S. DIONYSII AREOPAGITÆ EPISC. ET MARTYRIS

In qua primo proponitur titulus libri et circa illum excitantur quaestiones aliquot prooemiales. Deinde suo ordine proponuntur capita iuxta duas versiones ex graeco in latinum; addita quoque paraphrastica expositione; et inde eruuntur et resolvuntur quaestiones.

QUAESTIONES PROOEMIALES CIRCA TITULUM OPERIS

TITULUS

S. DIONYSII AREOPAGITAE AD TIMOTHEUM DE MYSTICA THEOLOGIA

QUAESTIO I

UTRUM SANCTUS DIONYSIUS AREOPAGITA FUERIT AUCTOR HUIUS LIBRI MYSTICAE THEOLOGIAE?

Eadem movetur quaestio de aliis libris qui sub eiusdem sanctissimi Doctoris nomine circumferuntur: scilicet, *De Divinis Nominibus*, *De Caelesti* et *Ecclesiastica Hierarchia;* et de quibusdam *Epistolis*: videlicet, *ad Caium monachum* (1), *ad Sosipatrem sacerdotem* (2), *ad Demophilum monachum* (3), *ad B. Ioannem Evangelistam* (4), *ad Dorotheum* (5), *ad Polycarpum* (6), *ad Titum* (7), et *ad Apollophanem* (8), et de aliis operibus quae temporis iniuria periere: nempe, *De Symbolica Theologia*, *De Anima*, *De Divinis Hymnis*, *De Theologicis Informationibus*, *De iusto et divino iudicio* et *De iis quae intelligentia et sensu percipiuntur.*

Multi sunt haeretici maxime Lutheri asseclae (9), immo aliqui etiam Catholici, sed admodum pauci, qui S. Dionysium Areopagitam horum librorum negant esse auctorem (10); eo praecipue ducti fundamento quod neque antiquiores Patres illorum meminerint, nec Eusebius Pamphili episcopus Caesariensis qui scriptores ecclesiasticos recenset.

Conclusio tamen affirmativa constat ex communi fere doctorum calculo; inter quos S. Dionysius archiepiscopus Alexandrinus Origenis discipulus, qui etiam *Adnotationes* edidit in opera Areopagitate (11), teste S. Maximo, idemque S. Maximus monachus et martyr, de quo Baronius, *ad annum*

---

(1) i. e. *Epistolae I-IV.*

(2) i. e. *Epist. VI.* — In ed. 1684 erronee legitur: « *ad Sopatrem* ».

(3) i. e. *Epist. VIII.*

(4) i. e. *Epist. X.*

(5) i. e. *Epist. V.*

(6) i. e. *Epist. VII.*

(7) i. e. *Epist. IX.*

(8) i. e. *Epist. XI* (spuria).

(9) Cf. v. g. Scultetus (Abraham —), *Medulla theologiae Patrum: qui a temporibus Apostolorum ad Concilium usq. Nicenum floruerunt*, lib. XI, cap. 8 et 9; Ambergae, 1598, pp. 467-486. — Dallaeus (Ioannes —), *De scriptis, quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur, libri duo*, lib. I; Genevae, 1666, pp. 1-224.

(10) Hodie tamen communiter haec opera a criticis non Dionysio Areopagitae tribuuntur, sed cuidam Pseudo-Dionysio, qui sacculo V floruisset. — Cf. Durantel (J. —), *Saint Thomas et le Pseudo-Denis*, Introduction; Paris, F. Alcan, 1919, pp. 1-26.

(11) Hae *Adnotationes* non Dionysio Alexandrino, sed Dionysio Rhetori debentur. — Cf. Delrio (Martinus —), S. I., *Vindiciae Areopagiticae contra Josephum Scaligerum*, cap. 12; Antverpiae, ex officina Plantiniana, apud Joannem Moretum, 1607, pp. 51-53. — Excerpta apud Migne, P. G., t. 4, col. 960. — Durantel (J. —), l. c., p. 3, note 1 et p. 9.

Christi 657, num. 31 (12), qui *Scholia* doctissima *in libros Dionysii Areopagitae* (13) conscripsit; S. Athanasius Alexandrinus (14); uterque Anastasius Sinaita (15) et Nyssenus (16); Elias (17) et Andreas Cretensis (18); S. Ioannes Damascenus (19); B. Simeon Metaphrastes (20); Euthymius Zigabenus (21); immo ex Pontificibus S. Gregorius Magnus, *Homil.* 34 *in Lucam*, cap. 15 (22); S. Martinus I, in *Secretario I et III Lateranensis Synodi* (23); Agatho in *Epistola ad Constantium IV Imperatorem* (24); Adrianus I, *ad Carolum Magnum* (25); Nicolaus I, *ad Michaelem imperatorem* (26). Quibus possemus addere scholasticos fere omnes, si pro omnibus aliis non sufficeret Doctor Angelicus Divus Thomas, qui passim pro sua sententia stabilienda commemorat haec scripta Dionysii quae exstant (27). Idemque libros *De Divinis Nominibus* angelice explanavit (28).

De illis vero quae perierunt habemus in superstitibus testimonium; nam *Symbolicae Theologiae*, quae erat de nominibus Dei metaphoricis et impropriis, meminit Dionysius cap. 15 *De Caelesti Hierarchia* (29); cap. 1 et 13 *De Divinis Nominibus* (30) et cap. 3 *De Mystica Theologia* (31). De libro *De anima* mentionem facit in cap. 4 *De Divinis Nominibus* (32); *De Divinis Hymnis*,

(12) BARONIUS (CAROLUS —), Congr. Orat., Cardin., *Annales ecclesiastici*, ad annum Christi 657, num. 1-44; Antverpiae, ex officina Plantiniana, 1598-1618, t. VIII, pp. 466-475.

(13) Iuxta I. F. BERN. M. DE RUBEIS, O. Pr. *Dissertatio praevia*, cap. 3-4 (Migne, P. G., t. 3, col. 63-72), *Scholia* non solum S. Maximo, sed etiam partim Ioanni Scythopolitano deberentur.

(14) *Quaestiones ad Antiochum*, quaest. 8; Migne, P. G., t. 28, col. 604. — Opus spurium. Ipse DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 14; ed. 1607, p. 55, dicit: *Testimonia duorum Anastasiorum et cujusdam incerti Athanasii.* Et p. 62 ait: *Libellus* Quaestionum breviorum ad Antiochum, *quem magni illius Athanasii non esse, colligitur, quod in iis Sancti Epiphanius & Gregorius Nyssenus citantur, illo Magno Athanasio juniores.* — Excerpta apud Migne. P. G., t. 4, col. 963-964.

(15) *Lib. VII in Hexaemeron.* — Cf. DELRIO, l. c., pp. 55-56 et Migne, t. c., col. 961.

(16) *Quaestiones in S. Scripturam*, quaest. 6, 23 et 52. — Textus referuntur a DELRIO, l. c., pp. 56-62; Migne, t. c., col. 961-963.

(17) *Commentarii in S. Gregorii Nazianzeni Orationes XIX*, orat. 2 cod. Basiliensis, F. 16 sq., quae est 28 apud Migne, P. G., t. 36, col. 768; ubi *adfertur Dionysii Areopagitae sententia de novem ordinibus angelorum et de tribus angelorum triadibus.* — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 17; ed. 1607, p 71. — Excerpta apud Migne, P. G., t. 4, col. 966.

(18) Dionysii narrationem sequitur in *Oratione* 12: *In dormitionem sanctissimae Deiparae Dominae nostrae*, §. *Vir iste Dionysius;* Migne, P. G., t. 97, col. 1062 sqq. — Cf. DELRIO, l. c., p. 72 et Migne, P. G., t. 4, col. 966.

(19) Dionysium frequenter citat, v. gr. in opere: *Expositio accurata fidei orthodoxae*, lib. I, cap. 12; Migne, P. G., t. 94, col. 844. — Cf. DELRIO apud Migne, P. G., t. 4, col. 967.

(20) *Vita et conversatio S. Dionysii Areopagitae*, Migne, P. G., t. 4, col. 589-608 — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 20; ed. 1607, pp. 76-77. — Excerpta apud Migne, P. G., t. 4, col. 968.

(21) Dionysium frequenter citat in opere: *Panoplia dogmatica*, tit. 2, 3, 5, 7, etc.; Migne. P. G., t. 130, col. 45 sqq., 124 sqq., 189 sqq., 208 sqq. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 22; ed. 1607, pp. 79-86. — Excerpta apud Migne, P. G., t. 4, col. 969-971.

(22) *XL Homiliarum in Evangelia libri duo*, lib. II, homil. 34 in *Luc.*, cap. XV, num. 12; Migne, P. L., t. 76, col. 1254. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 26; ed. 1607, pp. 94-95. — Excerpta apud Migne, P. G., t. 4, col. 974.

(23) *Concilium Lateranense* anni 649, secretar. III; *Labbeus-Cossartius, S. I., Sacrosancta Concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. VII, col. 178 et 190. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 26, ed. 1607, pp. 95-97, ubi erronee annus 666 pro celebratione huius concilii assignatur; 660 vero apud Migne, P. G., t. 4., col. 973.

(24) *Epistola ad Constantium IV Imperatorem et Heraclium et Tiberium Augustos*, Migne, P. L., t. 87, col. 1192-1193. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 27; ed. 1607, p. 99; Migne, P. G., t. 4, col. 975.

(25) Cr. DELRIO *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 27; ed. 1607, pp. 99-103; Migne, P. G., t. 4, col. 975-977.

(26) *Epistola* 86: *Ad Michaelem III Imperatorem;* Migne, P. L., t. 119, col. 939. *Epistola* 115: *Ad Carolum Calvum regem;* Migne, t. cit., col. 1119. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 27; ed. 1607, p. 103; Migne, P. G., t. 4, col. 977.

(27) Cf. DURANTEL (J. —), *Saint Thomas et le Pseudo-Denis*, chap. 1 et suiv.; Paris, F. Alcan, 1919, pp. 27-270.

(28) *Opusculum VII: In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus Commentaria; Opera omnia*, ed. Vivès, t. XXIX, pp. 374a-580b. — Circa haec *Commentaria* cf. DURANTEL, *op. cit.*, chap. 3, pp. 208-234.

(29) §. 6; Migne, P. G., t. 3, col. 336.

(30) cap. 1, §. 8; cap. 13, §. 4, fine; col. 597 et 984.

(31) col. 1033.

(32) §. 2; col. 696.

cap. 7 *De Caelesti Hierarchia* (33); de *Theologicis Informationibus*, cap. 1 et 2 *De Divinis Nominibus* (34) et cap. 3 *De Mystica Theologia* (35); de *Iusto et divino iudicio*, cap. 4 *De Divinis Nominibus* (36); de *Iis quae intelligentia et quae sensu percipiuntur*, cap. 1 et 2 *De Ecclesiastica Hierarchia* (37).

Pro huius conclusionis argumento multa congerunt R. P. Petrus Halloix in *Vita S. Dionysii* (38), Pater Martinus Delrio in *Vindiciis Areopagiticis* (39) et alii plures apud Balthasarem Corderium tomo II (40) et apud Iacobum Gualterum, I saecul., I verit., §. 23 (41), qui non solum auctoritatibus hoc ipsum, sed miraculis quoque comprobant. Eminentissimus Cardinalis Bellarminus, lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis* (42), recensitis S. Dionysii praefatis operibus, sic inquit: *De eius Operibus viri docti et Catholici nihil dubitant. Soli haeretici Lutherani et quidam* (43) *Scioli, Erasmus, Valla, ac pauci alii negant opera supramemorata esse S. Dionysii Areopagitae.* Hactenus Bellarminus. Post tot tamque eximios operum Areopagitae etiam Societatis Iesu vindices, Daniel Papebrochius, *tomo III mensis Maii* de *Actis Sanctorum*, ad diem 14 eiusdem mensis, pag. 259 (44), secutus Scaligerum (45) similisque conditionis auctores, admittere renuit et aperte negat libros *De Hierarchia Caelesti* et *Ecclesiastica* conscriptos fuisse a S. Dionysio Areopagita dum inquit: *Ego libros illos* (De Hierarchia) *suspicio ac veneror* (*quidquid de aliis scriptis sit, in quibus Auctor se indicat Apostolorum Synchronum*) *istorum saltem librorum compositorem, magnum Dionysium, non Areopagitam appellaverim, etc.*

Nec obstat fundamentum in contrarium adductum. Respondetur enim primo: non fuisse impossibile quod haec scripta Eusebium, immo et Patres antiquissimos laterent, dum ex Galliis Romam et inde in Graeciam fuerunt deportata. Nec moris erat antiquiorum Patrum praeter sacram Scripturam alios auctores nominatim citare: nec, si Gulielmo Budaeo (46) credimus, antiquissimi Patres defuere qui ex doctrina S. Dionysii multa sibi decerpserint, ut sancti Ignatius in *Epist. ad Trallianos* (47), Gregorius Nazianzenus (48), Hieronymus

(33) §. 4; col. 212.

(34) cap. 1, §. 1; cap. 2, §. 1; col. 585 et 636.

(35) col. 1032.

(36) §. 35; col. 736.

(37) cap. 1, §. 2; cap. 2, part. 3, §. 2; col. 373 et 397.

(38) *Vita S. Dionysii Areopagitae*, Migne, P. G., t. 4, col. 695-870. — *De S. Dionysii vita et operibus quaestiones quatuor, ib.*, col. 869-954.

(39) *Vindiciae Areopagiticae contra Josephum Scaligerum*, Antverpiae ex officina Plantiniana, apud Joannem Moretum, 1607, in-8o. — *Excerpta* apud Migne, P. G., t. 4, col. 953-982.

(40) Migne, P. G., t. 4, col. 695-1088.

(41) GUALTERUS (IACOBUS—), S. I., *Tabula chronographica status Ecclesiae a Christo nato ad annum* 1614, saecul. I, veritas I, §. 23 et 24; Coloniae Agrippinae, 1616, pp. 39-41. In ed. 1684 legitur: « *Galterium* ».

(42) *De scriptoribus ecclesiasticis Veteris et Novi Testamenti;* saecul. I; *Opera omnia*, Parisiis, L. Vivès, 1870-1874, t. XII, p. 360a: *De caeteris operibus ... Valla, et pauci alii, opera supra numerata negant..*

(43) « *quidem* » in ed. 1684.

(44) *Acta Sanctorum*, t. III Maii, die 14, num. 28; ed. V. Palmé, Parisiis, 1863 sqq., t. XVI, p. 295a: *Ego libros illos suspicio ac veneror, ut divino spiritu scriptos; et quidquid de aliis scriptis sit, in quibus.... Dionysium cum Petavio nostro, non Areopagitam appellaverim.*

(45) SCALIGERUS (JOSEPH — JUL. CAES. F.), *Elenchus Trihaeresii Nicolai Serarii*, cap. 30, fine, pp. 487-488 in opere *Trium Scriptorum illustrium De tribus Judaeorum sectis syntagma. In quo Nicolai Serarii, Johannis Drusii, Josephi Scaligeri Opuscula quae eo pertinent, cum aliis, junctim exhibentur.* Delphis, apud Adrianum Beman, 1703, in-4o.

(46) Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 10 et 11; ed. 1607, pp. 46-51. — Excerpta apud Migne. P. G., t. 4, col. 958-959.

(47) *Epistola ad Trallianos*, num. 5; Migne, P. G., t. 5, col. 782-783. — Haec epistola inter « *interpolatas* » numeratur apud Migne. — *Epistola ad Romanos*, cap. 7; Migne, t. c., col. 694: *Amor meus crucifixus est.* Idem textus apud Dionysium, *De Divinis Nominibus*, cap. 4, §. 12; Migne, P. G., t. 3, col. 710: *Meus amor crucifixus est.*

(48) Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 11; ed. 1607, p. 50; Migne, P. G., t. 4, col. 959.

mus (49), Chrysostomus (50) et alii.

Respondetur secundo: quod Patres et Eusebius (51) horum Scriptorum S. Dionysii non meminerint, in causa potuit esse quod illa propter obscuritatem atque sublimitatem tanquam sacratiora apud solos Pontifices servare et observari voluerint, ob haereticos calumniatores, tum ob indoctos et indisciplinatos. Pro quo facit *Epistola* Nicolai Papae *ad Carolum Calvum* (52), cuius meminit Baronius *ad annum* 878, *num.* 62 (53), in qua Pontifex conqueritur de quodam Ioanne Scoto (54) qui libros Dionysii Areopagitae ex graeco in latinum transtulerat inconsulta Romana Ecclesia.

QUAESTIO II

UTRUM PRO CERTO TENENDUM SIT, TIMOTHEUM ILLUM, CUI DIONYSIUS HAEC SCRIPSIT, FUISSE DISCIPULUM ILLUM NOTISSIMUM ET CELEBERRIMUM (1) ?

Negat Baronius (2) et ante illum Flavius Lucius Dexter (si verba eius sint, quod plurimi negant), dicens Dionysium Areopagitam libros *De Divinis Nominibus* Eugenio Marcello dicasse, qui propter ingenii excellentiam appellatur Timotheus.

Conclusio tamen affirmativa indubitata est apud omnes fere graecos et latinos. Tum quia Timothei nomen debet stare pro famosiori; tum quia iste Timotheus praesens fuit exsequiis beatissimae Virginis, ut ipse Dionysius testatur cap. 3 *De Divinis Nominibus* (3); quod de alio Timotheo affirmare nullum est fundamentum. Tum denique quia Dionysius in *Epistola ad Titum* (4) Pauli discipulum huius Timothei mentionem facit *sanctumque* appellat; quae ulli alteri Timotheo competere, qui Dionysio familiaris fuerit et discipulus Pauli, cui que ista Dionysius scripserit, voluntarie dicetur.

Si obiicias *primo*: In libro *De Divinis Nominibus*, cap. 4 (5), inveniuntur haec verba: *Scribit autem et divus Ignatius: amor meus crucifixus est.* Quae quidem sententia desumpta fuit ex *Epistola* Ignatii *ad Romanos* (6) paulo ante martyrium scripta, nempe anno decimo vel undecimo Traiani, cum iam Timotheus Pauli discipulus et Ephesiorum episcopus e vita decessisset. — *Secundo*: In libro Dionysii *De Caelesti* et *Ecclesiastica Hierarchia* plura loca citantur ex Evangelio Ioannis, quod Ioannes scripsit reversus ab exsilio sub Nerva aut Traiano, cum iam antea Timotheus obiisset.

---

(49) *Adversus Iovinianum libri duo*, lib. II, num. 28; Migne, P. L., t. 23, col. 325 et *Apologia adversus libros Rufini*, lib. I, num. 23; Migne, t. cit., col. 416. — Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 11; ed. 1607, p. 49; Migne, P. G., t. 4, col. 959.

(50) Cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 11; ed. 1607, pp. 50-51; Migne, P. G., t. 4, col. 959.

(51) Circa silentium Patrum et Eusebii cf. DELRIO, *Vindiciae Areopagiticae*, cap. 7; ed. 1607, pp. 31-33.

(52) Cf. supra, nota (26).

(53) *Annales ecclesiastici*, ad annum 878, num. 70; Antverpiae, ex off. Plantiniana, 1598-1618, t. X, p. 534.

(54) IOANNES SCOTUS ERIGENA, *Versio Operum s. Dionysii Areopagitae*, Migne, P. L., t. 122, col. 1029-1194.

(1) In ed. 1684 legitur: « *fuerit discipulus ille Pauli notissimus et celeberrimus?* ».

(2) *Annales ecclesiastici*, ad annum 109, num. 55-58; Antverpiae, ex off. Plantiniana, 1598-1618, t. II, pp. 42-44.

(3) §. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 681.

(4) i. e. *Epistola IX*, initio; Migne, P. G., t. 3; col. 1103: *Sanctus quidem Timotheus, optime Tite,....*

(5) §. 12; Migne, P. G., t. 3, col. 710: *Scribit enim divinus Ignatius: Meus amor crucifixus est.*

(6) cap. 7; Migne, P. G., t. 5, col. 694: *Amor meus crucifixus est.*

Respondetur *primo*: de obitu Timothei non constare an sub Domitiano, an sub Nerva, an sub Traiano contigerit; sunt enim de hac re variae opiniones; potuit igitur Dionysius ei adhuc viventi scribere et praedicta testimonia referre. — Respondetur *secundo*: post obitum Timothei potuisse Dionysium superstitem scripta sua perficere, emendare et augere (quod multi Patres et doctores fecerunt), et tunc praedictas auctoritates superaddere. — Respondetur *tertio*: ad locum Ignatii illum fuisse suppositum scriptis Dionysii ab aliquo sciolo; illis enim detractis, melius et efficacius cohaeret sententia et contextus auctoris, ut doctissime probat D. Petrus Halloix supra citatus (7).

QUAESTIO III

QUID NOMINE THEOLOGIAE MYSTICAE INTELLIGATUR IN HOC TITULO?

Cum S. Dionysius huic operi nomen indiderit *Theologiae* et praecipue *mysticae*, hic disquirendum est quid ille sub hoc nomine intellexerit? Quid autem ipse intellexerit, constat tum ex ipsius nominis etymologia, tum ex doctrina tradita in hoc libro.

A nomine autem incipiendo, *Theologia mystica* idem sonat atque scientia seu notitia Dei occulta, secreta et obscura; cuius ratione plures reddidimus in *Catena* nostra *mystica Carmelitana*, quaestione 2 (1); omnesque in eo conveniunt quod contemplatio ista Dei fiat per negationem et remotionem omnium cognitorum quae de Deo possumus affirmare et intelligere.

Unde quod ad rem attinet, sic potest generaliter describi: *Contemplatio Dei obscura sine interventu formarum seu imaginum cognitarum* (2). Haec descriptio colligitur ex illa ab omnibus recepta, quam tradit ipsemet S. Dionysius, *De Divinis Nominibus*, cap. 7 (3), et quam etiam explicuimus in dicta *Catena*, quaest. 3, responso 1 (4), nempe: *Divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita, secundum unitionem supra mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea, et seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis, inde et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata.*

Colligitur etiam ex toto contextu huius libri, in *primo* enim capite agit de divina caligine, in qua caecutit ista contemplatio. In *secundo*, quomodo ad istam caliginem per negationem cognitorum ascendatur. In *tertio*, quomodo differat ista cognitio Dei ab illa quae est per affirmationem tam perfectionum per fidem aut theologiam supernaturaliter cognitarum, quam etiam illarum quae lumine naturali de Deo proprie possumus affirmare, quam denique illarum quae symbolice tantum et metaphorice Deo attribuuntur. In *quarto*, quomodo Deo nihil rerum sensibilium debeamus tribuere. In *quinto* et ultimo, quomodo nec etiam aliquid rerum intelligibilium in Deo concipere conveniat theologiae mysticae. Ex quibus omnibus infertur peculiarem rationem huius contemplationis qua ab aliis discernitur, in illa remotione, caligine et obscuritate cognoscen-

---

(7) *De S. Dionysii vita et operibus quaestiones quatuor*, quaest. 2, ad 4; Migne, P. G., t. 4, col. 898-902.

(1) *Cadena mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos*, colacion I, propuesta 2; Madrid, 1678, pp 10a-19b.

(2) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 3, *conclus.*; p. 24b: *La Theologia Mystica en comun, abstrayendo de adquisita, y infusa, es: Contemplacion de Dios en obscuridad sin mezcla de formas, ni figuras.* — Cf. etiam prop. 2, conclus., §. *La Theologia Mystica actual*, p. 18a.

(3) lect. 4; ed. Vivès *Operum omnium D. Thomae*, t. XXIX, p. 521b: *...unitionem super mentem,....* — Textus graecus apud Migne, P. G., t. 3. col. 872, §. 3.

(4) Colac. I, prop. 3, resp. 1; pp. 19a-20a.

di sitam esse. Quomodo autem hoc inveniatur in theologia mystica acquisita et quomodo in infusa atque in tribus eiusdem gradibus ex dicendis patebit.

Legendi de his nostri Ioannes a Iesu-Maria capite 1 *Theologiae mysticae* (5), qui definitionem theologiae mysticae ibidem tradens, uberrime exponit nonnullasque e sanctis Patribus doctoribusque mysticis adducens simul declarat; et Philippus a SS. Trinitate in *Summa theologiae mysticae*, discursu prooemiali, artic. 1 (6); item Antonius a Spiritu Sancto, tract. I, disput. 1 *Directorii* sui *mystici*, sect. 1 (7).

QUAESTIO IV

UTRUM THEOLOGIA MYSTICA SIT IDEM HABITUS CUM ALIA THEOLOGIA SALTEM SUPERNATURALI?

Supponimus theologiam seu scientiam de Deo aliam esse *naturalem*, nempe metaphysicam; aliam *supernaturalem* saltem extrinsece, quae communiter in quinque quasi partes subdividitur. Prima est *positiva* seu *expositiva* sacrae Scripturae. Secunda, *polemica*, quae versatur in controversiis contra haereticos. Tertia, *scholastica*, quae ex principiis revelatis conclusiones suas deducit ad indagandam veritatem circa divina. Quarta, *moralis*, quae agit de directione actuum humanorum. Quinta, *mystica*, quae sine interpretatione, argumentatione, discursu vel indagine Deum ipsum cognoscit. De his sacrae doctrinae quinque partibus uberius agit noster Dominicus a sanctissima Trinitate in sua *Bibliotheca theologica* in septem tomos divisa et Romae edita ann. 1666 et seqq. (1).

Ratio dubitandi est: quia reliquae partes theologiae, quas modo retulimus, sunt unus habitus in specie infima, ut tenent communiter thomistae cum D. Thoma, *Prima parte*, quaestione 1, articulo 3. — Confirmatur: quia ratio Angelici Doctoris utrumque videtur convincere; ex eo nempe quod habeant unicum obiectum, Deitatem scilicet, quae est ratio formalis *quae*, ad quam reliqua omnia ordinantur; eandemque rationem formalem *sub qua*, nimirum abstractionem ab omni materia et principia fundata in revelatione divina; quae omnia inveniuntur in obiecto mysticae theologiae.

Dicendum tamen est mysticam theologiam, sive loquamur de acquisita, sive de infusa, essentialiter differre ab alia theologia, neque cum illa posse ad eundem habitum pertinere. In hoc debent convenire omnes mystici, qui utriusque theologiae discrimen vel ponunt vel supponunt, ut videre est in nostra *Catena mystica*, quaestione 2 (2). — Probatur *primo*: quia theologia mystica, sive sit acquisita, sive infusa, est quaedam contemplatio ac proinde *simplex intuitus veritatis* (3). Theologia autem in aliis partibus est discursiva et argumentativa, ut docet D. Thomas, I^{a} parte, quaest. 1, articulo 8.

Secundo: quia habitus theologiae scholasticae vel solum radicaliter et quoad modum, vel solum extrinsece

---

(5) *Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1650, t. II, pp. 4^{a}-6^{a}; ed. Florentiae, 1771-1774, t. II, pp. 425^{a}-427^{b}. — In ed. 1684 erronee legitur: « *capite* 2 ».

(6) Bruxellis, Vromant, 1874, t. I, pp. 19-24.

(7) Parisiis, L. Vivès, 1904, pp. 1-8.

(1) *Bibliotheca theologica septem libris distincta*, Romae, typis Philippi Mariae Mancini, 1666-1676 (7 t. in-fol.); tom. I, lib. I; sect. 1, cap. 1, pp. 1^{a}-4^{b} et sect. 6, pp. 86^{a}-90^{b}.

(2) *Cadena mystica*, colac. I, propuesta 2; pp. 10^{a}-19^{b}.

(3) Cf. II^{a} II^{ae}, quaest. 180, art. 3, corp. et ad 1.

est supernaturalis ratione obiecti atque principiorum secundum se; intrinsece tamen et entitative est naturalis: tum quia ultimo specificatur a mediis seu principiis ut subsunt discursui humano naturali ;tum quia est habitus acquisitus et non infusus; et ita docent communiter thomistae. Sed habitus a quo procedit theologia mystica acquisita, est habitus infusus fidei imperatus ab habitu religionis; habitus autem a quo procedit theologia mystica infusa, est habitus infusus doni sapientiae vel intellectus fidem ipsam illustrans et in supremo gradu non est aliquis habitus, sed actuale lumen infusum, ut suo loco dicemus. Ergo non possunt convenire eidem habitui.

Si dicas: Theologia mystica etiam acquisita est actus supernaturalis; ergo, licet habitus sit acquisitus, non ideo erit naturalis. — Respondeo: Quidquid sit an actus fidei, qualis est actus ille generalis et simplex theologiae mysticae acquisitae, sit supernaturalis quoad substantiam vel quoad modum, licet semper indigeat auxiliis communibus gratiae, non est eadem ratio de habitibus; habitus enim supernaturales semper infunduntur saltem ad infusionem gratiae et non producuntur per nostros actus etiam supernaturales, uti habitus theologicus acquiritur per suos.

Unde ad rationem dubitandi respondetur: esse diversam rationem de aliis partibus aut quasi partibus theologiae: omnes enim per suos actus acquiruntur; omnes habent idem obiectum tam quoad rationem formalem *quae* quam quoad rationem *sub qua;* unde nec sunt diversae speciei, nec proinde queunt esse plures in eodem subiecto.

Per quod etiam patet responsum ad confirmationem: nam licet ratio formalis *quae* obiecti horum habituum sit eadem, ratio tamen formalis *sub qua* est diversa; siquidem respectu fidei est revelatio formalis; respectu vero theologiae est revelatio tantum virtualis, quatenus ex principiis fidei formaliter revelatis deducit et considerat conclusiones quae virtualiter continentur in eisdem principiis ac proinde quae sunt virtualiter revelatae. Unde Deus *ut Deus* et ut substans lumini divinae revelationis formalis est obiectum specificativum fidei; ut vero substat lumini revelationis virtualis, est obiectum specificativum theologiae. Nec est cur in hoc amplius immoremur, nemo enim ibit inficias habitum fidei et donorum Spiritus Sancti diversum esse ab habitu theologico.

QUAESTIO V

UTRUM ALIQUA MEDITATIO PROPRIE POSSIT DICI THEOLOGIA MYSTICA?

Ratio prima dubitandi potest esse: quia aliqui dixerunt sub nomine theologiae mysticae cadere omnes actus vitae spiritualis quibus ad Deum cognoscendum incumbimus, ut videre est in *Catena mystica Carmelitana*, quaest. 2, respons. 2 (1). Secundo: quia proprium est theologiae mysticae cognoscere Deum per negationem omnium obiectorum; sed aliqua meditatio ita tendit in Deum removendo scilicet et negando de eo quidquid positivum potest in Deo imaginatio vel intellectus repraesentare; ergo saltem ista meditatio negativa dicenda erit theologia mystica. Maior pa-

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 2, resp. 2; p. 12b.

tebit ex dicendis iuxta doctrinam D. Dionysii; minor etiam patet: hic enim modus meditandi Deum saepius inculcatur a viris spiritualibus, utpote magis perfectus quam modus meditandi per affirmationem vel quia sic possumus meditari circa Dei attributa negativa infinitatis, immensitatis, etc.

Conclusio tamen negativa videtur amplectenda ab omnibus tam scholasticis quam mysticis. Probatur: Quia, ut in confesso est apud omnes qui istam theologiam intellectui adscribunt, illa est quaedam contemplatio, immo et contemplationum sublimissima. Sed contemplatio est actus intelligentiae sine discursu, cum sit simplex veritatis intuitio; meditatio autem consistit in indagine et discursu rationis. Ergo, etc.

Ad primam rationem dubitandi respondetur: illam significationem theologiae mysticae esse latissimam et impropriam, et solum posse sustineri in eo sensu in quo dispositiones et media ad finem nomine ipsius finis possunt appellari; sicut sub nomine vitae contemplativae cadunt ea omnia quae ad contemplationem conducunt, cum tamen ipsa in sola contemplatione proprie et stricte consistat.

Ad secundam respondetur distinguendo maiorem: sistendo simplici intuitu in ipso Deo sic denudato ab omni alia forma, concedo; removendo actualiter per discursum praedictas formas, nego. Dum enim meditantes istum discursum facimus: Deus est super omnia, ergo non est sol, nec lux, nec sapientia aut bonitas prout nos sapientiam et bonitatem concipimus; vel hoc modo: Deus non est sol, nec lux, nec ista vel illa perfectio quam ex creaturis ipsi attribuimus, ergo est super omnia et nullo modo per ipsas cognoscibilis ut in se est; simul concipimus illas imagines et formas rerum quas de Deo negamus; quae duo pugnant cum theologia mystica: quatenus enim contemplatio est, non est discursus, licet eum supponat; et quatenus talis contemplatio ab aliis diversa, nullas concipit formas positivas, neque sub illis Deum contemplatur.

QUAESTIO VI

UTRUM ALIQUA CONTEMPLATIO ACQUISITA POSSIT THEOLOGIA MYSTICA NUNCUPARI?

Contemplatio, secundum D. Thomam, II^a II^{ae}, quaest. 180, art. 1 et 3, est *simplex veritatis intuitus;* postquam enim per meditationem veritatem quaesitam invenimus, in ea contemplanda sistimus, cum non sit ultra cur investigetur.

Inter plures contemplationis divisiones quas in *Catena mystica* (1) retulimus, praecipua est illa qua in *acquisitam* et *infusam* dividitur. *Acquisitam* possumus exercere cum volumus communibus tantum gratiae auxiliis adiuti, cum fiat iuxta nostrum humanum modum operandi. *Infusam* non nisi Deo peculiariter vocante et auxiliis specialibus adiuvante, cum sit supra modum operandi humanum.

Subdivitur *acquisita* in eam quae est *per affirmationem*, quando scilicet Deum sub aliqua forma positiva concipimus; et in eam quae est *per negationem*, quando ipsum ab omnibus formis et imaginibus denudatum intuemur; et in eam quae fit *per ac-*

(1) passim.

tum fidei simplicissimum et universalem, quo Deum ut quoddam totum perfectissimum et incomprehensibile contemplamur. Quibus suppositis ex dictis in *Catena* (2) et infra dicendis,

Ratio oritur dubitandi, quia communiter doctores qui loquuntur de theologia mystica, eam ut quid divinum et inaccessibile suspiciunt, nec putant posse aliquem ad eam pervenire nisi variis purgationibus passivis multisque charismatibus praeventum et specialissima gratia Spiritus Sancti ad illam elevetur. — Confirmatur: quia D. Dionysius quoties loquitur de ista theologia, eam ut *divinissimam* extollit statimque in 1 capite huius libri (3) valde supernaturalem et infusam inculcat sub exemplo Moysis, *Exod.*, XXIV, qui iam purificatus et non solum a populo, sed a sacerdotibus quoque segregatus ascendit ad montem. Ergo cum ex Dionysio significatum huius nominis acceperimus, non debemus ad alia pro libitu divertere.

Dicendum nihilominus est, licet hoc nomen theologiae mysticae antonomastice et pro famosiori stet pro sola contemplatione infusa et non quacumque, sed sublimiori et supereminenti, posse tamen quoque significare aliquam ex contemplationibus acquisitis, saltem cum addito *acquisitae*, ut ambiguitas evitetur. Ita ex recentioribus noster Iosephus a Iesu-Maria, lib. I *Ascensus animae ad Deum*, cap. 21 (4), dum ponit discrimen inter mysticam theologiam supernaturaliter illustratam et eam quae mediante fide nostro humano modo exercetur. Et in *Apologia mystica*, cap. 2 (5), ubi huic contemplationi acquisitae applicat definitionem D. Dionysii ex cap. 7 *De Divinis Nominibus* (6) asseritque sanctum istum Doctorem illam in 1 cap. *Theologiae Mysticae* docuisse, pro qua etiam sententia affert D. Thomam, III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 2 (7). Idem sequitur auctor libri *Theologiae mysticae* (8), cuius in *Catena* (9) fecimus mentionem. Idem denique auctor *Concordantiae mysticae* (quicumque ille sit, de quo nos alibi), qui lib. II, cap. 20, 21 et 22 (10) hoc

(2) *Cadena mystica Carmelitana*, passim; cf., v. gr., colac. I, prop. 6, initio, p. 37ª et prop. 9, initio, p. 70ª.

(3) *De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 1000.

(4) *Subida del alma a Dios y entrada en el Parayso Espiritual*. Hoc opus posthumum, quod multas editiones habuit, sed valde incompletas, siquidem, ut constat ex Mss., multa capita desunt, ex duabus partibus constat: a) *Subida del alma a Dios que aspira a la divina union*. 1ª ed. Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1656, in-8º. b) *Entrada del alma al Parayso Espiritual (que es la segunda parte de la Subida del alma a Dios y entrada en el Parayso Espiritual)*. 1ª ed. Madrid, Diego Diaz de la Carrera, 1659, in-8º. Cf. quae circa hunc auctorem diximus in editione critica *Cursus theologiae mystico-scholasticae* Patris Ioseph a Spiritu Sancto, Brugis 1924, t. I, append., pp. 293-295 et in *Dictionnaire de théologie catholique* (Vacant-Mangenot), t. VIII, col. 1523-1526. — *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 21; ed. Salamanca, 1694, pp. 52b-54b.

(5) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Apologia mistica en defensa de la contemplacion divina contra algunos maestros escolasticos que se oponen a ella*, cap. 2, Ms. 4287 Bibl. Nac. de Madrid, pp. 10-11; Ms. 4478 Bibl. Nac. de Madrid, pp. 10-11.

(6) Textus datur supra, quaest. 3.

(7) Ed. Vivès, t. IX, pp. 551ª-554b.

(8) Gabriel Lopez Navarro, ord. Minim., *Theologia mistica*, tratado I, cap. 5; 2ª ed. corregida y aumentada, Madrid, imprenta real, 1651, p. 22. Exemplar adest in Bibliotheca Nationali Matritensi 3-68290 et in nostro conventu Burgensi. — Ms. 8452 eiusdem bibliothecae, tratado I, cap. 1, fol. 5 (18). — Totum hoc opus (praeter tractatum primum) deprompsit Gabriel Lopez Navarro ex scriptis S. M. N. Theresiae a Iesu et S. P. N. Ioannis a Cruce, sed praesertim ex scriptis Patris Ioseph a Iesu Maria. Sic, v. gr., partim vel totaliter edidit ad minus 15 capita operis Patris Ioseph a I. M.: *Tratado de la oracion y contemplacion sacado de la doctrina de la bienaventurada Madre Teresa de Jesus y del venerable Padre Fray Juan de la Cruz*, Ms. 8452 Bibl. Nac. Matrit. Tractatus decimus et ultimus est opus apocryphum P. N. Ioannis a Cruce *Breve compendio de la eminentisima perfeccion cristiana*, opus quod probabiliter P. Fernando de Matha debetur.

(9) *Cadena mystica Carmelitana*, Cathalogo de los autores Carmelitas Descalços, de que se forma esta Cadena Mystica, num. 11; colac. 1, prop. 9, resp. 2, 6 y 8, pp. 71b, 75b-76b, 77ª; prop. 31, resp. 8, p. 275b et alibi passim, ubi hoc opus Patri Ioseph a Iesu Maria adscribitur.

(10) Ioseph a Iesu Maria, *C. D., Concordancia mistica en la cual se trata de las tres vias, purgativa, iluminativa y unitiva y se declara y concuerda entre si la doctrina de la santa Madre Teresa de Jesus con la*

explicat et probat tum rationibus, tum auctoritatibus.

Diximus vero in conclusione: *aliquam ex contemplationibus acquisitis*, quia non omnis contemplatio acquisita debet hoc nomine gaudere, nisi illa quae Deum vel contemplatur negativo modo denudatum ab omni forma, ut supra insinuavimus, et potest appellari primus gradus, tanquam primus ad eam ingressus; vel illa quae per fidem simplici et universali actu in Deum tanquam bonum quoddam incomprehensibile et a nobis pro hoc statu ignotum et inaccessibile erigitur, qui secundus atque ultimus gradus theologiae mysticae acquisitae potest dici, qui est velut prioris complementum. Nam contemplatio illa sive consideratio propria incipientium qua Deus affirmative per formas et imagines positivas cognoscitur, non debet talis appellari, utpote quae valde discrepat ab ea quam Dionysius in hoc aliisque libris saepius insinuat.

Conclusio igitur quoad primam partem de contemplatione infusa non indiget probatione. Quoad secundam de acquisita probatur primo ex ipsa nominis etymologia: nam quatenus haec contemplatio est cognitio Dei, *theologiam* sonat; quatenus autem Deum contemplatur obscure et sine aliqua distinctione formae vel imaginis, *mystica* bene audit.

Probatur secundo ex ipsius nominis impositione. Nam S. Dionysius non solum illam non excludit ab illius significato, sed perspicue comprehendit, quatenus ad eam consequendam pluries Timotheum monet et exhortatur ut deserat repraesentationes sensibiles atque intellectuales operationes, etc. Quamvis enim in fine primi capitis infusam ipsam theologiam celebret, ut probatur in confirmatione opposita, attamen in principio capitis de adipiscenda acquisita pertractat; praesumptuosum siquidem esset, immo et otiosum ad infusam theologiam discipulos inducere, cum ea ex solo Dei beneplacito et non ex nostris meritis aut industria dependeat; et sicut est laudabile acquisitam appetere et procurare, ita superbia esset et praesumptio ad infusam nostris conatibus aspirare, ut passim docent Sancti atque doctores mystici.

Probatur tertio ex analogia et similitudine cum theologia infusa: sicut enim ad istam per contemplationem puram et denudationem obiecti ab omni forma et imagine quasi per primum gradum ascenditur ope doni intellectus; ita per contemplationem negativam, ad quam intramus per remotionem factam ex industria nostra; et sicut in illa sistit intellectus in contemplatione Dei quae dicitur *divina caligo*, ita in ista ultimo sistit in contemplatione obscura quae est per fidem; ex qua etiam contemplatione fidei facilius et saepius intellectus elevatur donis Spiritus Sancti et ad infusam contemplationem mysticam pervenit.

Ad rationem dubitandi respondemus: quod ex auctoribus mysticis plures in sola mystica theologia infusa et divina explicanda laborant, et ideo de acquisita non tractant. Plures

---

de los Santos y Maestros de la Vida espiritual, que a lo mistico y escolastico an tratado de oracion y contemplacion, lib. II, cap. 20-22; Barcelona, 1667, pp. 190-205. Exemplar adest Matriti, Bibl. Nation. 3-9698. — Hoc opus quod edidit Bernardinus Planes, Cartusianus Montis Alegre (in Catalaunia), est revera opus Patris Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia de la doctrina de Nuestra Madre Santa Teresa de Jesus con la de la sagrada Escritura, Santos Padres, etc.* Licet nomen proprium in fronte operis posuerit Planes, in epistola dedicatoria fatetur opus non sibi esse proprium, sed iam per 30 annos in suo conventu manuscriptum servatum esse. Mirum est nihilominus auctores, ad hoc opus conferentes, communiter illud Bernardino Planes adscribere. Inter quos, v. gr., Morotius (Carolus Iosephus —), Cartusianus, in suo *Theatro chronologico sacri Cartusiensis Ordinis*, part. IV, num. 248; Taurini, 1681, p. 149. — In ed. 1684, p. 465[b], erronee legitur: « *lib.* 21 ».

etiam adeo eam extollunt, ut ineffabilem vocent: quia mystica theologia absolute prolata, pro sola illa quae est infusa communiter supponit. Alii denique in ea fuere sententia quod nulla alia detur mystica theologia et quod S. Dionysius de sola infusa mentionem fecerit; sed debili vel nullo nixi fundamento, ut ex dictis liquido constare videtur.

QUAESTIO VII

UTRUM IN ALIQUA EX SUPERNATURALIBUS RECOLLECTIONIBUS PARTIS SENSITIVAE EXERCEATUR MYSTICA THEOLOGIA?

Per delectationes et suavitates sensibiles solet Deus animas adhuc teneras ad contemplationem allicere, sic enim cor deliciis spiritualibus saporatum et quasi soporatum corporalia oblectamenta incipit fastidire sensusque ab exterioribus ad interiora revocare, unde *recollectionis* nomen procedit. De pluribus istis recollectionibus sensibilibus egimus in *Catena mystica*, prop. 18 (1). Et praeter illam quam ex industria possumus et debemus procurare, sunt aliae quae nobis supernaturaliter conceduntur; inter has in primis est *oratio* quam vocant *recollectionis*, deinde *oratio quietis*, ad quam sequitur *somnus* quidam *potentiarum* seu *ebrietas soporifica*, deinde alia *ebrietas inquieta* et aliquando illa recollectio magis durabilis in qua S. Mater Theresia (2) dicit solere simul inveniri Martham et Mariam. In omnibus istis recollectionibus sensibilibus duo inveniuntur: unum est suavitas illa sensibilis in corde, alterum applicatio intellectus et voluntatis in anima ad orandum.

Pro parte igitur affirmativa ratio generalis potest esse: quia in omnibus istis recollectionibus solent sensus ad interiora revocari, solet imaginatio cessare a representationibus sensibilibus, solet etiam intellectus Deo quasi in confuso attendere et voluntas illum sic etiam in confuso et sub quadam generalitate amare: quae omnia consonant cum theologiae mysticae cognitione, dulcedine et amore. Particulariter tamen loquendo de illa recollectione in qua Martha et Maria seu vita activa et contemplativa sociantur, probatur: quia ista est una ex proprietatibus theologiae mysticae in ultimo et supremo gradu seu in statu unionis fruitivae habitualis ut diximus in *Catena mystica*, prop. 30, resp. 4 et 9 (3).

Dicendum tamen est *primo*: si loquamur praecise de illa suavitate sensibili quae solet praevenire actus deliberatos, sive illa proveniat naturaliter ex aliquo humore aut qualitate dilatante et exhilarante cor, sive ab influentia doni sapientiae, cuius suavitas communicata voluntati redundat aliquando in corpus, unde appellatur a S. Dionysio, *Epist. IX ad Titum* (4): *esca liquida profluens* respectu alterius quam vocat *solidam et stabilem*, quae soli voluntati propinatur; quaelibet ex praedictis suavitatibus vel recollectionibus nec est theologia mystica, nec contemplatio, nec oratio, immo nec aliquid

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 18; pp. 157a-165b.

(2) *Vida*, cap. 17, §. *Paréceme este modo; Obras*, edición crítica del P. Silverio de S. Teresa, C. D., Burgos, 1915 sqq., t. I, pp. 124 sq. — *Camino de perfección*, cap. 31, §. *Algunas veces* y sqq.; t. III, pp. 144-145. — *Moradas VII*, cap. 1, fine; t. IV, p. 184.

(3) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 30, resp. 4 y 9; pp. 251b y 257.

(4) §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 1110: *Scilicet unam solidam atque durabilem, aliam vero liquidam ac fusilem in cratere propinat.* — Text. graec. *ib.*, col. 1109.

formaliter meritorium, cum antevertat actus deliberatos, nec sit in nostra potestate illam assumere vel relinquere; omnia tamen illa potest esse causaliter sive dispositive, quatenus ad orationem et contemplationem mentem allicit; unde solet ab aliquibus appellari *orationis seminarium*, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 18. respons. 7 (5).

Dicendum est *secundo*: loquendo de oratione quae in istis recollectionibus exercetur, quando mens dicta suavitate praeventa erigitur in Deum cognoscendum vel eum amandum, tunc vel potest fieri meditando, quod (nisi quies illa sit valde magna) potest et debet anima procurare, ut docet S. M. N. Theresia, *Epistola 18* tomi I suarum *Epistolarum* (6) et Rev. D. Ioannes Palafox Episc. Oxomensis in suis doctissimis supra easdem *Annotationibus* (7). Et sic valde differt a theologia mystica, ut iam probavimus quaest. 5. Vel potest fieri ex eo quod intellectus sistat in cognitione confusa Dei praesentis et suspendat discursum rationis ex industria, anima iam meditationibus exercita, et tunc dicetur contemplatio mysticae theologiae acquisitae magis vel minus perfecta secundum maiorem vel minorem applicationem animae. Vel denique potest fieri ex mera influentia doni sapientiae vel intellectus (ut frequentius accidere solet in recollectione illa quae dicitur *oratio quietis* et multo magis in *somno potentiarum* vel *ebrietate*), et tunc cognitio illa Dei confusa ad mysticam theologiam infusam reduci potest; nunquam tamen erit (nisi ex aliquo privilegio et Deo ita pro suo libitu disponente) perfecta contemplatio mystica, cum adhuc animus impurus et ante purgationes sensibiles et spirituales sit indispositus ad tam sublimes communicationes et elevationes recipiendas.

Haec omnia ex terminis patent et ex dicendis de mystica theologia amplius innotescent. Solum ergo restat satisfacere obiectioni quam pro parte affirmativa adduximus pro illa recollectione in qua videntur esse simul Maria et Martha. Et quidem posse hoc contingere et potuisse sic in illo statu communicari Seraphicae Matri non est dubium. Ordinarie tamen loquendo et secundum id quod accidere solet in illo statu incipientium ante purgationes passivas et ante statum perfectissimae unionis fruitivae, quamvis aliqui videantur ita suaviter incumbere operibus vitae activae ut anima non desistat a contemplatione et amore vitae contemplativae, revera non ita est, sed vel quidam fervor voluntatis (quo quamvis actualiter non sit unita Deo) faciliter et alacriter operatur externe per sensus quae ad Dei obsequium spectant; multoties etiam inter operandum in Deum per amorem erigitur, unde frequentia istorum actuum interruptorum illis apparet continua. Vel quaedam suavitas et sapor in appetitu sensitivo quo ipsi erga Deum feruntur, et inde putat operans, etiam dum externe operatur, a Dei se amore non desistere; qui quidem sapor et devotio vel remanet ex praeterito fervente voluntatis amore, vel redundat in corpus ex influentia doni sapientiae, vel imprimitur ab angelo bono, iuxta D. Thomam, II *Sent.*, dist. 11, quaest. 1, art. 4, ad 5 (8). De quibus videri pos-

---

(5) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, propuesta 18, respuesta 7; p. 162b: *Y llaman los autores á esta suavidad* Seminario de la oracion mental.

(6) *Cartas de Santa Teresa de Jesus*, Madrid, J. Doblado, 1778, 4 t. en-4o; t. I, carta 18, pp. 110 sqq. — *Obras*, ed. crit., Burgos, 1915 sqq., t. II, pp. 31 sqq.: *Relación V*, Sevilla 1576, *Al P. Rodrigo Alvarez.*

(7) *Cartas de Santa Teresa de Jesus*, ed. 1778, t. I, carta 18, pp. 120 sqq. — Siquidem tomus I est *Con notas del Excmo y Rmo Sr. D. Juan de Palafox y Mendoza, obispo de Osma*; ceteri tres tomi *Con notas del R. P. Fr. Antonio de san Joseph, C. D.*

(8) Ed. Vivès, t. VIII, p. 145b.

sunt quae diximus in *Catena mystica*, quaest. 19, resp. 8 (9).

Illa tamen miraculosa operatio externa quae ex privilegio divino conceditur animae Deo in fruitiva unione habitualiter et actualiter unitae, superioris est perfectionis et status; et quomodo hoc fiat, dicemus suo loco in peculiari quaestione. Unde patet ad argumentum non inveniri istam proprietatem mysticae theologiae et unionis fruitivae in illa recollectione proprie et vere, sed tantum apparenter modo dicto.

QUAESTIO VIII

UTRUM IN ALIQUA PURGATIONE PASSIVA SIVE SENSIBILI, SIVE SPIRITUALI EXERCEATUR THEOLOGIA MYSTICA?

Post praedictarum recollectionum dulcedines et aliquando etiam praevie ad ipsas solet Deus misericorditer se subtrahere et abscondere animamque laboribus et ariditatibus exercere, ut non iam lacte puerorum, sed solido nutriatur cibo et plura vitia, quae inter delicias ipsas quantumvis spirituales vel occultantur vel oriuntur, penitus extirpentur. Dupliciter contingit ista purificatio: vel *sensibiliter* in parte inferiori, vel *spiritualiter* in superiori. In prima purgatione, quae dicitur *sensibilis*, praeter subtractionem divinarum consolationum, ex omni parte solent labores succedere; ex parte namque daemonum fit ista purgatio variis tentationibus praesertim carnalibus variisque incursionibus aliquando visibilibus, aliquando invisibilibus; ex parte hominum diversis persecutionibus, murmurationibus et afflictionibus; ex parte corporis infirmitatibus et doloribus; ex parte ipsius animae scrupulis, perplexitatibus et angustiis, etc. Altera purificatio est *spiritualis*, quae aliquando statim et immediate, frequentius tamen aliquo vel multo tempore interiecto sequitur ad primam, sed longe haec illa terribilior; in sensibili enim solum intenditur ut subiiciatur corpus spiritui; in ista ut uniatur anima Deo; quo enim magis inter se extrema distant, eo efficaciora, prolixiora et duriora media apponuntur; quales sunt terribiles contra fidem tentationes, desperationes, blasphemiae, spiritus vertiginis, ligatio potentiarum et certissime sibi persuadere animam esse despectam et abiectam a Deo; plures etiam ex prioribus laboribus iunguntur aliique diversi de quibus egimus in *Catena mystica*, quaest. 15 et 16 (1). Dicuntur autem *passivae* istae purgationes, quia adveniunt animae passive se habenti et non ex propria voluntate et industria, sicut active exercentur mortificationes, paenitentiae et ieiunia.

Pro parte igitur negativa ratio potest esse: quia dum anima exercetur praedictis purificationibus, non solum experitur et queritur se non posse meditari, sed nec de Deo cogitare, nec aliquid boni concipere; et cum ad orationem velit nolit accedit, se otiosam iudicat, immo pro sanctis et devotis cogitationibus turpes, blasphemas et sacrilegas patitur. Ergo longius abest a contemplatione theologiae mysticae sive acquisitae, sive infusae.

Dicendum tamen est *primo*: animam in purgatione sensibili disponi ad perfectam contemplationem theologiae mysticae acquisitae et ad illam vocari per ipsasmet ariditates et impossibilitates meditandi; cum enim

(9) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 19, resp. 8; pp. 173a-174a.

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 15 y 16; pp. 125a-143b.

iam non sint in statu meditationis et eas Deus ad contemplationem disponat, nullo modo illis ad antiquos discursus patet aditus. Quod optime probat B. P. N. Ioannes a Cruce, lib. I *Noctis obscurae*, maxime cap. 10 (2), ubi animas sic in purgatione passiva sensus patientes saepius admonet ut de meditatione non sint solliciti, sed quiescere satagant in simplici et universali notitia Dei quantumvis imperceptibili et siccis atque fastidiosis ariditatibus involuta.

Unde si anima nihil omnino velit operari, nec mentem ad Deum ullo modo erigere, certum est contemplationi non vacare, sed omni prorsus vacare oratione. Si autem meditetur (quod pro hoc statu erit valde difficile), meditationem exercebit, non contemplationem. Si vero aliquo modo ad Deum mentem erigat, ut in obscura illa noctis caligine praesentem intueatur simplici quadam et universali notitia et amore, quod proprium est huius status purgationis sensibilis, tunc contemplationem mysticae theologiae acquisitae saltem imperfecte se exercere credat; et haec est illa simplex notitia Dei ad quam praedictus Beatus Pater illas exhortatur et primus nostris his temporibus huius contemplationis doctrinam denuo suscitavit, quae iam pene oblivioni tradita et abolita videbatur.

Dicendum est *secundo*: in purgatione passiva spiritus, quantumvis animae se a Deo separatas et derelictas autument, sub unione quadam purgativa eas degere mysticaeque theologiae infusae contemplationem exercere, imperfecte tamen adhuc et initialiter, prout patitur status ille tenebricosus et horribilis quo ad illam perfectius consequendam tunsionibus et pressuris expolitur. Quod late docet et explicat idem B. P. N. Ioannes a Cruce in lib. II *Noctis obscurae* (3), quam conscripsit (3-bis) principaliter pro animabus quae per terribile hoc purgatorium ad perfectae contemplationis et unionis statum sublevandae erant et ab inexpertis ductoribus detinebantur. Videatur *ibidem*, maxime cap. 5 et 17 (4), ubi hanc ipsam purgationem appellat *contemplationem infusam* mysticae theologiae et huius nominis rationem reddit.

Probatur et explicatur amplius utraque conclusio: Ratio cur in prima purgatione non possit anima meditari et discurrere sicut solebat, ea est: quia iam ab illo statu meditationis vocatur ad statum contemplationis, eiusque sensus consolatione destituti, atque imaginatio, a qua discursus et meditatio pendet, obscuritate, turbatione et quodam velut suspendio praepedita inhabilis tunc est ad meditandum, solumque illi remanet refugium ex parte superiori spiritus in illa simplici et confusa notitia Dei, qua licet insipide et laboriose debet esse contenta. Hanc autem notitiam confusam esse mysticam theologiam acquisitam, seu contemplationem illam per fidem exercitam facile intelligitur. Videatur Beatus Pater, loco su-

---

(2) *Opera mystica V. ac Mystici Doctoris F. Ioannis a Cruce*, versio latina P. Andreae a Iesu, Coloniae Agrippinae, 1639, pp. 211b-213a. — *Noche oscura del sentido*, canc. I, v. 1. §. 11 (cap. 10); *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, edición crítica del P. Gerardo de San Juan de la Cruz, C. D., Toledo, 1912-14 (3 t. en-8o), t. II, pp. 32-35. Pag. 34 sequentia leguntur: *Que harto harán en tener paciencia y en perseverar en la oración sin hacer allí nada; sólo lo que aquí han de hacer es dejar al alma libre y desembarazada y descansada de todas las noticias y pensamientos, no teniendo cuidado allí de qué pensarán, ni meditarán, contentándose sólo con una advertencia amorosa y sosegada en Dios, y estar sin cuidado, sin eficacia y sin gana de sentirle y de gustarle.*

(3) Ed. lat. 1639, p. 223a sqq. — *Noche oscura del espíritu;* ed. crít., t. II, pp. 51 sqq.

(3bis) « *conscripsit* » deest in ed. 1684

(4) Ed. lat. 1639, pp. 228a et 255a-258a. — *Noche oscura del espíritu*, canc. I, v. 1, §. 1 (cap. 5); ed. crit., t. II, p. 58: *Que llaman los contemplativos, contemplación infusa, ó mística teología.* — *Ib.*, canc. II, v. 2, §. 1 (cap. 17), t. II, pp. 105-109; ubi p. 105 legitur: *Primeramente llama secreta á esta contemplación tenebrosa; por cuanto según habemos tocado arriba, esta es la teología mística, que llaman los teólogos sabiduría secreta.*

pra citato lib. I *Noctis obscurae*, cap. 10 (5), et in *Ascensu montis Carmeli*, lib. II fere per totum (6) et quos citavimus auctores proposit. 15 *Catenae mysticae* (7): S. M. Theresia (8), Ioannes a Iesu Maria in *Schola orationis* (9), Ven. Mater Feliciana a S. Ioseph, dialog. II, §. 2 (10).

In secunda vero purgatione spirituali ratio cur anima nec meditatione partis sensitivae, nec etiam in parte intellectiva refugium habet, est: quia utraque animae pars redditur sterilis, arida, obscura et turbulenta, immo invisibilibus nexibus ligata, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 16, resp. 6 (11). Unde solum in divina misericordia supernaturaliter lucem dante potest gaudere.

Item propter impuritatem animae eademmet lux contemplationis infusae redditur illi obscura ac tenebrosa, ut docet et explicat N. B. P. Ioannes a Cruce, lib. II *Noctis*, cap. 5 (12). Signum etiam huius est quod quando lux ista contemplationis obscurae tantisper sistit a modo operandi purgativo incipitque suaviter et modo illuminativo se communicare, veluti transfertur anima a carcere ad aulam, e purgatorio ad gloriam, a turbatione ad pacem, sentitque dulcedinem et suavitatem insperatam, experitur amorem quo (licet ignoranter et occulte) Deum inter angustias ardebat ipsumque (licet obscure) contemplatur praesentem, ut docet idem Beatus Pater eodem libro II, cap. 7 post medium (13). Quae omnia influentiam theologiae mysticae infusae satis ostendunt.

Ad rationem pro parte negativa respondetur: verum quidem esse animam in hoc statu non posse sicut antea meditari, quod signum est ad statum eam contemplationis vocari, uti supra diximus. Quod autem non possit de Deo aliquid cogitare modo solito, est propter impedimentum supradictum potentiarum. Cum quo tamen stat posse in prima purgatione confusam illam Dei notitiam procurare; et in secunda, quando nec istud possit, in ipsamet anxietate quam patitur ob absentiam Dei, et ob illam quam timet eius inimicitiam, et in proposito illum non offendendi, et in resistentia tentationum fastidioque ad mundanas delicias aliquo modo potest (si mentis habitudo permitteret) experiri Dei amorem in voluntate ac proinde in intellectu lumen illud a quo ipse dirigitur.

Quod se iudicet otiosam in oratione, provenit ab imperceptibilitate et subtilitate influentiae divinae, cuius notitia pro maiori humilitatis exercitio illi tunc denegatur. Quod pro cogitationibus sanctis turpes et pravae illae apprehensiones irrepant, hoc in parte inferiori tantum accidit, ubi daemones se ingerere possunt. Desperationes etiam quas aliquando patitur in parte superiori, non debent libertati adiudicari; cum enim anima certo sibi persuadeat se esse reprobatam a Deo, non proponitur ei damnum ut evitabile etiam ardue ut spes locum habeat, sed ut certum et inevi-

---

(5) Ed. lat. 1639, pp. 211b-213a. — *Noche oscura del sentido*, canc. I, v. 1, §. 11 (cap. 10); ed. crít., t. II, pp. 32-35.

(6) Ed. lat. 1639, pp. 29a sqq. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II; ed. crít., t. I, pp. 97 sqq.

(7) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 15; pp. 125a-132b.

(8) Pluribus in locis.

(9) *Schola in qua de oratione, contemplatione, ...praecepta traduntur*, tract. II *De Oratione*, §. *De ariditate*, dub. 44-50; ed. 1650, t. II, pp. 554a-556b; ed. 1771-1774, pp. 516a-518a.

(10) *Instruccion de religiosas con titulo de « Recreacion espiritual » compuesto en dos dialogos*, dialogo II, §. 2; Zaragoza, 1654, pp. 50-53. — Hoc opus edidit Michael Baptista de Lanuza una cum *Vida*, Zaragoza, por Domingo la Puyada, 1654, in-4o. *Vida* 254 pag. complectitur, *Recreacion espiritual* vero 79 pag. — Exemplar adest in Bibliotheca nationali Matritensi, U. 8. 745

(11) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 16, resp. 6; pp. 138a-139a, ubi Ioseph a Iesu Maria citatur.

(12) Ed. lat. 1639, pp. 227b-229b. — *Noche oscura del espíritu*, canc. I, v. 1, §. 1 (cap. 5); ed. crít., t. II, pp. 58-61.

(13) Ed. lat. 1639, p. 233. — *Ib.*, §. 3 (cap. 7), §. *Todos estos llantos;* ed. crít., t. II, pp. 68 sqq.

tabile malum, quod est obiectum desperationis; puto autem ad supremum saltem mentis apicem desperationem istam non pertingere, cuius signum est non dimoveri animam istam a proposito non offendendi deliberate Deum. Habitus autem fidei, spei et caritatis permanebunt illaesi, qui non nisi actu deliberato deperduntur. Vide lib. VII, tom. VII *Bibliothecae Theologicae* nostri Dominici a SS. Trinitate, sect. 2 (14) et nostrum Philippum, tract. III *Summae Theologiae mysticae*, discurs. 2 et 3 (15) et *Directorium mysticum* Antonii a Spiritu Sancto, tract. II, disput. 3 et seqq. (16) et P. Ioseph a Iesu Maria (17), Felicianam a S. Ioseph (18) et Annam a S. Augustino (19) locis a me citatis in *Catena mystica Carmelitana*, proposit. 16 (20) aliosque auctores.

QUAESTIO IX

QUAENAM CONTEMPLATIO INFUSA DICENDA PROPRIE SIT THEOLOGIA MYSTICA?

Contemplatio infusa est *simplex cognitio veritatis supra nostrum modum humanum a principio supernaturali procedens*, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 12 (1) et inter alias divisiones quas retulimus quaestione 13 (2), eam magis probavimus qua dividitur proportionabiliter ad acquisitam in eam quae est *per affirmationem*, et quae *per negationem*, et quae est *ex fide illustrata* et adiuta superiori lumine.

Dicendum ergo est *primo*: contemplationem infusam quae est *per affirmationem*, non esse proprie theologiam mysticam. Probatur ex doctrina S. Dionysii, qui saepe et maxime in hoc libro (3), in quo mysticam theologiam adstruit, totus est in admonendo removendas esse a Deo omnes positiones quae de illo aliquid affirmant, sive illae sint impropriae et metaphoricae, ut quod sit sol, lux, etc.; sive sint propriae et verae, ut quod sit sapiens, iustus, bonus, etc.; quia non sunt in illo eo modo quo a nobis concipiuntur, ut suo loco dicemus.

Dicendum est *secundo*: contemplationem infusam quae est *per negationem* et illam quae est *per fidem illustratam* ab aliqua donorum luce vel transeunter infusa, ad mysticam theologiam pertinere. Hoc explicatur: Contemplationem quae fit per negationem quando ex industria nostra removemus a Deo omnes positiones et denique sistimus in conceptu illo negativo Dei ut a nobis ignoti, ad theologiam mysticam acquisitam pertinere ut primum eius gradum patet ex supradictis quaestionibus; et similiter eam quae est per fidem in actu illo simplicissimo et universali, in quo perfectior gradus theologiae mysticae acquisitae consistit. Contempla-

(14) Ed. 1666-1676, pp. 192a-293b.

(15) PHILIPPUS A SS. TRINITATE, C. D., *Summa theologiae mysticae*, part. I, tract. III, disc. 2 et 3; ed. 1874, t. I, pp. 378-448.

(16) Ed. 1904, pp. 103 sqq.

(17) *Subida del alma a Dios*, lib. III, cap. 3, ed. 1694, pp. 162a-164b; *ib.*, cap. 5 y 6, pp. 166a-170b; *Entrada del alma al Parayso Espiritual*, lib. I, cap. 26 y 27, ed. 1694, pp. 320b-331b.

(18) *Instruccion de religiosas con titulo de « Recreacion espiritual » compuesto en dos dialogos*, dialogo II, §§. 1 y 2; Zaragoza, 1654, pp. 48-53. — Cf. supra, nota (10).

(19) *Vida*, lib. IV, cap. 5, Madrid, 1668, fol. 181-182. — P. Ildephonsus a S. Hieronymo (Alonso de S. Geronimo) hanc vitam edidit. Exemplar adest in Bibl. Nat. Matritensi 2-9096, in-4°.

(20) pp. 132a-143b.

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 12, conclus.; p. 106b: *Infierese, que contemplacion infusa en comun, se puede definir Simple conocimiento de la verdad, que procede de principio sobrenatural, sobre nuestro modo humano.*

(2) *Ib.*, colac. I, prop. 13; pp. 107a-118b.

(3) *De Mystica Theologia.*

tio vero per negationem, sed infusa (quando scilicet supernaturaliter elevatur illa quae erat acquisita, vel quando per donum intellectus purgatur et denudatur conceptus noster a qualibet apprehensione positiva, ut Deum in caligine contemplemur), est propria theologia mystica infusa, de qua D. Dionysius agit in hoc libro (4), ut patet.

Hoc tamen tripliciter contingit. *Primo*, quando in hanc obscuritatem et caliginem introducimur, adhuc tamen Deum sub quadam ratione generali et confusa cognoscimus, sine conversione tamen ad phantasmata saltem perceptibiliter; et hic primus est gradus theologiae mysticae infusae, quem diximus contemplationis purae (4bis) et explicavimus in *Catena mystica*, quaest. 22 (5).

Secundo, quando anima iam assuefacta huic contemplationi, quasi in illa caligine quam Deus inhabitat immoratur sentitque obscuritatem illam luminis inaccessibilis, sicut qui proximius in radios solares visum defigeret; quae quidem maior obscuritas et puritas contemplationis mediae nocti comparatur et sub hoc nomine contemplationis in caligine pro secundo gradu theologiae mysticae assignatur, ut amplius explicuimus in *Catena*, quaest. 23 (6).

Tertio denique, quando huic caliginosae contemplationi accedit notitia experimentalis voluntatis, unde oritur in intellectu clarior Dei notitia, quae proinde dicitur visio, in qua iam aurora divinae lucis incipit aliquo modo clarescere et ad diem aeternum invitare; qui est ultimus et principalis gradus theologiae mysticae, de quo egimus in *Catena mystica*, quaest. 24 (7) et de his omnibus aptius infra redibit sermo.

Dicendum est *tertio*: contemplationem Dei illustratam superiori lumine etiam pertinere ad theologiam mysticam infusam; patet hoc: quia praedicta contemplatio fidei non amplius illustrata, sed nostro modo humano exercita est mystica theologia acquisita, ut supra diximus; ergo sic illustrata lumine infuso erit infusa.

Ad quem autem ex praedictis gradibus theologiae mysticae debeat pertinere, poterat esse dubium. Mihi tamen videtur hoc ex dictis de contemplatione per negationem iudicari debere. Cum enim contemplatio fidei contemplationem per negationem perficiat, ut ibi soleat incipere ubi illa iam desinit, et pro conceptu pure negativo substituatur conceptus ille confusus quo Deum praesentem, sed ut incomprehensibilem contemplamur, eodem modo ac illa per praedictos tres gradus debet ascendere; ita ut in principio quando incipit elevari ad contemplandum Deum pure, ad primum gradum; cum vero iam mens assuefacta frequentius Deum in caligine intuetur per fidem maiori lumine perfusam, ad secundum; cum vero ad istum accedit notitia illa experimentalis voluntatis et lumen actuale mentem clarius illuminans, ad tertium gradum pertineat.

Nullus enim debet dari gradus theologiae mysticae, quem fides non comitetur vel includat; nullus ita clarus et explicitus, qui fidei obscuritatem omnino effugiat. Praecipue tamen tribuimus in *Catena mystica*, quaest. 13 (8), contemplationi fidei elevatae secundum gradum mysticae theologiae, qui est contemplatio in caligine propter obscuritatem fidei; et tertium etiam gradum, quando adiuncta notitia experimentali clarescit contemplatio, quamvis nunquam fidei aliqualem obscuritatem non sustineat.

---

(4) *De Mystica Theologia.*
(4 bis) « *puram* » in ed. 1684.
(5) Colac. I, prop. 22; pp. 185ª-190ᵇ.
(6) Colac. I, prop. 23; pp. 190ª-199ᵇ.
(7) Colac. I, prop. 24; pp. 199ª-212ᵇ.
(8) Colac. I, prop. 13, conclus.; p. 117ᵇ.

Videantur quae *ibi* (9) diximus et Ioannes (10) et Ioseph a Iesu Maria (11), B. P. Ioannes a Cruce (12), Hieronymus Gratianus (13), Antonius a Cruce (14), Thomas a Iesu (15) aliique auctores mystici quos *ibidem* (16) citavimus. Unde remanet solam illam contemplationem infusam quae est per affirmationem, ad rationem mysticae non pertinere.

QUAESTIO X

UTRUM IN OMNI CONTEMPLATIONE THEOLOGIAE MYSTICAE INVENIATUR RAPTUS VEL IN OMNI RAPTU THEOLOGIA MYSTICA?

In quo raptus differat ab extasi, constat ex dictis in *Catena mystica*, propos. 29 et 32 (1), et amplius explicabitur infra in quaestionibus de *Divinis Nominibus*. Unde etiam constat alios esse perfectos, alios imperfectos, activos vel passivos. Quo supposito,

Ratio dubitandi potest esse: quia raptus sensuum externorum ad imaginationem est ad aliquam visionem imaginariam; visio autem imaginaria non potest compati cum theologia mystica, a qua exsulant omnes imagines. Deinde raptus sensuum etiam internorum ad intellectum fit ratione alicuius visionis intellectualis; visio autem intellectualis non potest esse de Deo extra visionem beatam, nisi sub aliqua forma rerum creatarum; quod etiam pugnat cum theologia mystica. Si autem est alicuius rei creatae, puta angeli, animae, gratiae vel virtutis, etc., iam non est cognitio Dei, qui est obiectum huius theologiae. Denique in statu unionis habitualis, in qua exercetur perfectior gradus theologiae mysticae, cessant omnes raptus, ut docet in *Castello animae* S. M. N. Theresia, mansione VII, cap. 3 (2).

Nihilominus doctores mystici, quos sequitur noster P. Philippus a SS. Trinitate in *Summa* huius *theologiae*, discursus prooemialis art. 8 (3), dicunt raptum adeo esse proprium huius contemplationis ut in supre-

---

(9) Colac I, prop. 13, concl.; pp. 116ª-118ᵇ.

(10) IOANNES A IESU MARIA, C. D., *Theologia mystica*, cap. 3, §. *Prius tamen* et sqq. et cap. 6; ed. 1650, t. II, pp. 14ᵇ sqq. et 21ª sqq.; ed. 1771-1774, t. II, pp. 429ᵇ sqq. et 436 sqq. — Cf. IOSEPH A SPIRITU SANCTO, *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 13, resp. 3; p. 111.

(11) Variis in locis. — Cf. *Cadena*, l. c., resp. 6; p. 114ª.

(12) Variis in locis. — Cf. *Cadena*, l. c., resp. 2; p. 110.

(13) HIERONYMUS A MATRE DEI (GRATIANUS seu GRACIAN), C. D., *Lampara encendida*, cap. 8; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 227ʳ, ᵇ — 228ᵛ, ᵇ.

(14) *Libro de la Contemplacion Divina*, lib. III, cap. 1 sqq. Ms. 4.461 Bibliothecae Nationalis Matritensis, fol. 185-255, i. e., totus liber III. — Cf. *Cadena*, l. c., resp. 3; p. 111ᵇ.

(15) passim: cf., v. gr., *De divina contemplatione libri sex*, lib. II, cap. 4; *Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, pp. 102ª-103ª. — Cf. *Cadena*, l. c., resp. 7 et 8; pp. 114ᵇ-116ª.

(16) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 13; pp. 107ª-118ᵇ.

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 29 y 32; pp. 236ª-246ᵇ y 277ª-286ᵇ. — In ed. 1684 erronee legitur: « 37 » pro « 32 ». — *Ib.*, prop. 32, conclus.; p. 285ª: *De lo dicho se colige, que el* extasi *propriamente es de la voluntad, quando sale como de si a unirse, y transformarse en Dios; y del extasi se origina el* rapto, *con que las potencias conocitivas son arrebatadas con violencia, a lo menos en el modo, y presteza de obrar a algun conocimiento sobrenatural, con que se suspende de los demás conocimientos, y que dan los sentidos sin operacion; y quando es muy repentino, y violento, se llamo* rapto; *mas quando va mas despacio, se suele llamar* arrobamiento. — Cf. S. THERESIA, *Vida*, cap. 20; ed. crít., t. I, pp. 145 sqq.; *Castillo interior o Las moradas*, moradas VI, cap. 4 y 5; ed. crít., t. IV, pp. 123-136; *Relación V*, Sevilla, 1576, *Al P. Rodrigo Alvarez*, §. *Arrobamientos y suspensión* sqq.; ed. crít., t. II, pp. 33 sqq.

(2) §. *Porro tam quiete; Opera S. Matris Teresiae de Iesu*, versio latina Mathiae Martinez, Coloniae Agrippinae, 1626-1627, t. II, p. 304. — *Castillo interior o Las moradas*, moradas VII, cap. 3, §. *Yo lo estoy;* ed. crít., t. IV, p. 197.

(3) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 8, §. *Tertium est;* ed. 1874, t. I, pp. 51-52.

mo gradu nequeat de potentia ordinaria esse sine illo. Ut hoc tamen suo ordine explicetur, dicendum est *primo*: non omnes raptus imperfectos concurrere cum theologia mystica infusa. Probatur: quia oratio recollectionis, quietis et ebrietatis inter raptus imperfectos numeratur, in quibus licet usus sensuum non deperdatur omnino, manet tamen ita suspensus ut difficulter anima utatur illis. Constat autem ex dictis quaest. 7 non dari ordinarie loquendo contemplationem theologiae mysticae infusae in illis recollectionibus, licet frequenter inveniatur contemplatio theologiae mysticae acquisitae. Ergo non semper haec vel illa inveniuntur in raptibus imperfectis.

Dicendum est *secundo*: in omni contemplatione theologiae mysticae perfectae, sive acquisitae, sive infusae, saepe dari aliquem raptum saltem imperfectum. De acquisita patet experientia ordinaria; quod si fuerit perfecta, ita attendit ad Deum ut oculos libenter claudat et ad sensibilia non facile attendat, quod vocamus raptum imperfectum saltem activum. Et ratio est: quia in ista contemplatione etiam acquisita, quando est perfecta, adeo intellectus in illa notitia confusa occupatur ut nec ad reflectendum supra proprium actum debeat diverti, ut ex doctrina D. Dionysii diximus in *Catena mystica Carmelitana* (4). Intellectus autem ita attentus (quamvis ex propria industria) non potest simul ad sensibilia attendere, cum non possit simul intelligere plura ut plura; unde sensus iudice destituti vel actus suos non exercent, vel si exerceant, ut intellectum perturbent, tunc ille a contemplatione cessaret; cessante vero illa, iam non procedit quaestio. Hoc de infusa a fortiori sequitur, ut ad minus cum aliquali raptu saltem imperfecto debeat inveniri.

De raptu autem perfecto dicendum est *secundo*: posse etiam dari sine contemplatione theologiae mysticae; quod probant rationes dubitandi; theologiam tamen mysticam infusam et perfectam ordinarie loquendo non inveniri sine illo. Haec pars probatur primo: quia ista contemplatio perfectior est quam illa quae ad visiones, sive imaginarias, sive intellectuales consequitur; ergo non erit minus efficax ad retrahendas et suspendendas inferiores potentias. Probatur secundo: quia tres gradus theologiae mysticae supra numerati solent correspondere tribus gradibus unionis perfectae, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 30 (5). Quod ex eo probatur: nam in primis tertius gradus theologiae mysticae resultat ex ipsa unione fruitiva et reali; secundus unionem affectivam inducit; eadem enim influentia doni Spiritus Sancti quae intellectui communicatur ad contemplandum, simul influit in voluntatem et ad eius amorem et unionem ordinatur; et idem proportione servata dicendum de primo. Sed gradus isti unionis ordinarie saltem loquendo cum raptu inveniuntur. Ergo et gradus theologiae mysticae.

Minor huius probationis non potest efficacius suaderi quam fidelissima experientia Seraphicae Matris nostrae, quae adeo sibi invicem sociari raptum et unionem experiebatur, ut saepe sub nomine unionis raptum significet, ut advertit noster Ven. Pater Hieronymus Gratianus in *Dilucidario spirit.*, II part., cap. 1 (6). Quod tamen intelligendum est de unione infusa et perfecta, qualis est in tribus illis gradibus. Immo addit ipse, lib. I, cap. 5, (7) raptum appellari a S. Matre

---

(4) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 9; pp. 70ª-80ᵇ; praesertim resp. 7, pp. 76ᵇ-77ª et conclus., pp. 79ᵇ-80ᵇ.

(5) *Ib.*, colac. I, prop. 30; pp. 246ª-268ᵇ.

(6) *Dilucidario del verdadero espiritu*, parte II, cap. 1; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 54ʳ, a.

(7) *Ib.*, parte I, cap. 5; *Obras*, ed. cit., fol. 6ʳ, a.

theologiam mysticam, quatenus in eo reperitur et exercetur altissima et obscura Dei cognitio. Unde colligitur saltem frequentius et ordinarie ista tria, scilicet unionem, theologiam mysticam et raptum, sibi invicem associari. Fatetur tamen ipsa aliquando ab ista suspensione potentias inferiores extricari cum magna animi contemplantis afflictione et poena.

Deinde discurrendo per singulos gradus eadem minor suadetur ex eiusdem doctrina. *Primum* enim unionis perfectae gradum, quem appellat *visitationem Sponsi*, inter suspensiones enumerat tomo primo *Epistolarum*, Epist. 8 (8); et licet non sit tam violenta quam raptus ille quem hispanice vocat *arrobamiento*, asserit tamen mansione V *Castelli animae*, cap. 1 (9), maiorem esse quam in oratione quietis: quia brevissima illa hora, qua durat, non potest sensibus uti. *Secundum* autem, quem *sponsalia* vocat, cum frequenti et magno raptu fieri fatetur eadem mansione V, cap. 4 (10). Unde nomen *unionis extaticae* sortita est. *Tertium* denique, in quo *matrimonium* celebratur et in quo solet exerceri supremus gradus theologiae mysticae, miratur quidem mansione VII, cap. 3 (11), iam suaviter et sine raptu exerceri, nisi raro; et alibi addit se loqui de raptu quoad solitam violentiam atque membrorum mortificationem, non tamen quoad alios effectus. Ubi advertendum est: hic agere de statu unionis habitualis, in quo etiam aliquis raptus dicit inveniri; non vero de unione actuali, quando simul cum habituali iungitur aliquando; de quo tempore intelligendam puta illam exceptionem *nisi raro*, in qua raptus totales et perfectissimos experiebatur, tunc enim altissimam theologiam mysticam huius tertii gradus exerceri credendum est.

Ad rationes dubitandi, in quantum videntur militare contra nostram sententiam, respondetur: nos etiam ingenue fateri non consistere theologiam mysticam in ipsis visionibus, sive imaginariis, sive intellectualibus, nec in contemplatione earum; sed in contemplatione theologiae mysticae infusae dari raptum perfectum ordinarie loquendo, sive illa praecedat, sive subsequatur ad praedictas visiones, quae non necessario illi adveniunt. Si autem dum intellectus sic in obscuro Deum contemplatur, praedictae visiones se ingerant, interrumpitur contemplatio vel mutatur in alteram affirmativam, sub qua praecedens raptus potest continuari. Ad ultimam instantiam de supremo gradu theologiae mysticae patet responsio ex §. praecedenti.

---

(8) *Cartas de Santa Teresa de Jesus*, ed. Madrid., 1778, t. I, carta 8, Al ill. Sr D. Alonso Velazquez, Obispo de Osma, num. 11-12, pp. 46-47. *Lettres de Sainte Thérèse de Jésus*, trad. du R. P. Grégoire de Saint Joseph, C. D., 2e éd., Rome, Pustet, 1905, t. III, lettre 372 (mai 1581), §. *Il ne suffit pas* sq., pp. 147-148. *Obras*, ed. crít., t. IX, p. 281 §. *Mas cuando.* — P. SILVERIO DE S. TERESA, *Obras*, ed. crít., t. VII (*Epistolario*, t. I), Introducción, pp. CIV-CVII, hanc epistolam ut spuriam tenet; textus invenitur *ib.*, t. IX, Apendices, num. 22, carta 5 (de las apócrifas), pp. 279-283.

(9) Ed. lat. 1626-1627, t. II, p. 209. — *Castillo interior o Las moradas*, moradas V, cap. 1, §. *Dije;* ed. crít., t. IV, pp. 70-71. — Cf. etiam *Relación V*, Sevilla, 1576, *Al P. Rodrigo Alvarez*, §. *Desta oración* sq.; ed. crít., t. II, p. 32.

(10) Sic erronee in ed. 1684; requiritur *Mansio* VI, cap. 4; *Opera*, ed. lat. 1626-1627, t. II, p. 246-247. — *Moradas VI*, cap. 4, §. *Heiros heis;* ed. crít., t. IV, p. 123: *Y ansí veréis lo que hace Su Majestad para concluir este desposorio, que entiendo yo debe ser cuando da arrobamientos, que la saca de sus sentidos; porque si estando en ellos se viese tan cerca de esta gran majestad, no era posible, por ventura, quedar con vida.* — Cf. totum cap. 4; pp. 123-130.

(11) §. *Porro tam quiete;* ed. lat. 1626-1627, t. II, p. 304. — *Moradas* VII, cap. 3; ed. crít. t. IV p. 197: *Yo lo estoy de ver que en llegando aquí el alma, todos los arrobamientos se le quitan (el quitar se llama aquí cuanto a perder los sentidos), si no es alguna vez, y ésta no con aquellos arrebatamientos y vuelo de espíritu; y son muy raras veces, y ésas casi siempre no en público como antes, que era muy ordinario;...* — *Ib.*, in nota 2 legitur: *El quitar se llama aquí a perder los sentidos.* Estas palabras fueron escritas al margen por la Santa.

QUAESTIO XI

UTRUM OMNIS CONTEMPLATIO SIT SUPERNATURALIS ET INFUSA; AC PROINDE INEPTA SIT DIVISIO IN INFUSAM ET ACQUISITAM?

Quomodo naturale et supernaturale dicantur a natura, dicemus infra ad caput primum *Theologiae Mysticae*. Nunc sufficit praesupponere aliquem actum naturalem aut supernaturalem posse talem esse intrinsece, entitative et absolute, vel solum extrinsece et secundum quid, vel secundum aliquem modum.

Ratio ergo dubitandi est: quia missa contemplatione philosophorum gentilium, illa quam dicimus christianam semper est supernaturalis. Quia vel est actus proprius elicitus ab habitu fidei, qualis est gradus ultimus et perfectus illius quam dicimus contemplationem mysticae theologiae acquisitae; vel est elicitus a caritate aut religione infusa. Quamvis enim caritas et religio sint in voluntate et contemplatio in intellectu, quando talis contemplatio non elicitur immediate ab aliquo habitu intellectus, sed ab ipsa potentia, dicitur esse elicitive ab habitu imperante seu applicante intellectum ad contemplandum, nimirum caritate aut religione, ut docet Bañez (1) et alii thomistae, quos sequuntur nostri Salmanticenses, tom. III sui *Cursus theologici*, in I^{am} II^{ae}, tract. XII, disp. 2, dub. 1, num. 8 (2). Sed actus elicitus ab habitu supernaturali est entitative supernaturalis. Ergo omnis contemplatio christiana talis erit.

Hoc autem admisso, sequitur quod etiam dicenda sit contemplatio infusa; siquidem procedit ab habitu infuso, indiget auxilio supernaturali et infuso. Ergo non est apta et congrua divisio in contemplationem acquisitam et infusam seu naturalem et supernaturalem: cum non sit in membra opposita; sed etiam illa quam dicimus acquisitam, supernaturalis est et infusa.

Nihilominus retinendus est communis modus loquendi mysticorum, qui valde diversas contemplationes sub his nominibus inculcant. Ut videre est apud nostrum Thomam a Iesu, *De contemplatione*, lib. I, cap. 2 (3) nostrumque Philippum a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, part. II, tract. I, disc. 2, art. 2 (4). Dicendum ergo est *primo*: aptam et congruam esse praedictam divisionem, ita ut nomine *acquisitae* intelligatur illa quae licet sit supernaturalis quoad entitatem, est naturalis quoad modum; et nomine *supernaturalis* illa quae est semper supernaturalis tam quoad entitatem quam quoad modum. Probatur et explicatur: Quia non omnis contemplatio acquisita etiam Christianorum est entitative et simpliciter supernaturalis, et quamvis aliqua talis sit, non est supernaturalis quoad modum. Sed illa quam dicimus infusam est supernaturalis quoad substantiam et quoad modum. Ergo ne sit aequivocatio in istis contemplationibus, congrue nominatur absolute una *acquisita* et altera *supernaturalis*.

Consequentia debet admitti; satis enim distinguuntur naturalis saltem quoad modum a supernaturali etiam quoad modum; et supposita notitia terminorum, hoc intelligitur per nomen acquisita et supernaturali vel infusa. Maior quoad primam partem patebit ex solutione argumenti. Quoad

---

(1) BAÑEZ (DOMINICUS —), O. Pr., *Scholastica commentaria in secundam secundae Angelici Doctoris S. Thomae*, quaest. 3, art. 1, ad 3; Duaci, 1615, t. I (III), pp. 202^{b}-203^{a}.

(2) Parisiis, V. Palmé, 1870-1882, t. VI, p. 241.

(3) *De contemplatione divina*, lib. I, cap. 2; *Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, pp. 86^{b}-88^{a}.

(4) Ed. 1874, t. II, pp. 45-53.

secundam explicatur: quia omnis contemplatio acquisita saepe praesupponit discursum meditationis, ad illam vero applicamur ex industria nostra, ad illam movemur voluntate propria, nec unquam omnino denudatur a phantasmatibus, semper utitur speciebus naturaliter acquisitis, semper est minus pura, clara et efficax; in quibus omnibus non excedit modum nostrum naturalem operandi, ac proinde naturalis est saltem quoad modum. Econtra vero, quae dicitur supernaturalis et infusa non exspectat discursum, nec applicationem nostram, ad illam movemur a solo Deo, non dependet a phantasmatibus, multoties utitur speciebus infusis estque purissima, clarissima atque efficacissima; in quibus omnibus excedit modum nostrum naturalem operandi, atque adeo est supernaturalis quoad modum.

Dicendum est *secundo*: optime etiam significari nomine acquisitae vel humanae et infusae vel divinae. Probatur: haec nomina non tribuuntur contemplationi ex habitu acquisito vel infuso ex quo procedit, sed ex ipsomet actu contemplationis, qui vel fit ex propria industria et applicatione nostra secundum modum nostrum humanum, ut supra diximus, et hanc appellamus acquisitam et humanam; vel ex peculiari motione, unctione et illuminatione Spiritus Sancti sine aliqua industria nostra, immo supra modum humanum, et hanc ideo appellamus infusam et divinam.

Quod optime distinguit D. Thomas in III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 2 (5), ex diverso modo operandi virtutum etiam infusarum et donorum; nam virtutibus utimur cum volumus et nostro humano modo accomodantur, dona autem supra modum sunt nostrum. *In his autem, quae super rationem sunt*, inquit S. Doctor (6), *perficit fides, quae est inspectio divinorum in speculo et in aenigmate: connaturalis enim modus est naturae humanae, ut Deum non nisi per speculum creaturarum, et per aenigmata similitudinum percipiat. Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est; et hoc facit donum intellectus.* Unde intellectus ita motus et illuminatus adeo suaviter et faciliter operatur, ut licet revera operetur, potius tamen pati et agi quam agere videatur, iuxta illud *ad Romanos*, VIII cap. (7): *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei, etc.*

Ex quibus ad rationem dubitandi in principio positam respondetur distinguendo maiorem: est actus supernaturalis vel intrinsece et entitative, vel extrinsece, non tamen quoad modum, concedo; etiam quoad modum, nego. Actus enim contemplationis qui fuerit actus fidei seu ab habitu fidei immediate et proprie elicitus, supernaturalis est, iuxta *Tridentinum*, sessione VI, canone 3 (8). Immo est supernaturalis secundum suam entitatem et substantiam, secundum veriorem et communiorem sententiam contra Scotum; quod etiam invenitur in actibus virtutum theologicarum (quidquid sit de actibus moralium infusarum, de quibus legendi nostri Salmanticenses, lib. II, tract. XII, disp. 3, a num. 36 (9).)

Actus vero contemplationis qui non procedit (10) elicitive ab habitu fidei vel ab aliquo lumine eum supplente, sed immediate ab ipsa potentia intellectus, licet aliquo modo imperatus a

(5) corp.; ed Vivès, t. IX, p. 552ª.

(6) l. c.; ubi deest a verbo « *connaturalis* » usque ad « *percipiat* ».

(7) v. 14; HETZENAUER (MICHAEL —), O. Min. Cap., *Biblia Sacra Vulgatae editionis*, Ratisbonae, 1922, p. 1103: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

(8) LABBEUS-COSSARTIUS, S. I., *Sacrosancta Concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XX, col. 40. — DENZINGER-BANNWART, S. I., *Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum*, 10 ed., Friburgi Brisgoviae, 1908, num. 813 (693), p. 277.

(9) Ed. 1870-1882, t. VI, pp. 350ª sqq. — Requiritur « tom. III » et non « *lib. II* ».

(10) « *procedunt* » in ed. 1684.

caritate vel ab aliquo habitu supernaturali, licet supponat fidem tanquam sui certum fundamentum, solum extrinsece et secundum quid erit supernaturalis, entitative autem naturalis. Ratio autem ibi tacta quod sit actus elicitus a caritate ex eo quod non procedat immediate ab aliquo habitu imperato ab illa, sed a potentia, solum probat esse actum caritatis et elicitum ab illa improprie; quia non est proprie imperatus ab illa, sicut quando fit medio alio habitu, non tamen quod sit proprie elicitus a caritate, sicut actus ab ea immediate procedens; ille autem modus eliciendi non sufficit ut actus sit entitative et intrinsece supernaturalis. Videantur iidem Salmanticenses loco supra citato (11). Sive tamen sit actus supernaturalis intrinsece vel extrinsece, non dicitur contemplatio supernaturalis seu infusa in sensu supra explicato, cum non sit supernaturalis quoad modum seu supra nostrum modum humanum operandi. Et haec videntur sufficere pro prooemialibus.

---

(11) i. e. Tract. XII, disp. 2, dub. 1, num. 8; ed. cit., t. VI, p. 241.

QUAESTIONES SCHOLASTICO-MYSTICAE IN CAPUT PRIMUM THEOLOGIAE MYSTICAE

TITULUS CAPITIS

QUÆNAM SIT DIVINA CALIGO?

§. I. **Iuxta lectionem Perionii** (1).

Trinitas, essentia, divinitate ac bonitate superior et praestantior, Christianorum Theologiae Dux, dirige nos ad ignotissimum splendidissimumque ac summum mysticorum scriptorum divinorum cacumen, in quo simplicia et absoluta, immutabiliaque Theologiae mysteria abstrusa sunt, prae fulgente (2) silentii obscura docentis caligine, quae et eo quod obscurissimis tenebris offusum est, id quod est splendidissimum, maxima luce illustratum ostendit et (3) prodit, et eo quod tractari cernique penitus non potest, pulcherrimis splendoribus mentes, quae aspectu carent, praeter modum complet. Atque haec quidem optaverim. Tu autem, Timothee charissime, pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, praetermitte, et sensus, et mentis actiones, eaque omnia, quae sub sensus (4) cadunt, et animo cernuntur, et quae non sunt, et quae sunt omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam omnemque scientiam superat, coniunctionem et unitatem pro virili parte clam excita. Libero enim, solutoque ac liquido a te et ab omnibus discessu, ad divinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes, cum et omnia dempseris et ab omnibus solutus fueris et liber.

Iuxta lectionem Corderii (5).

Trinitas supernaturalis, et supraquam divina, et supraquam bona Theosophiae Christianorum Praeses, dirige nos ad mysticorum oraculorum plusquam indemonstrabile, et plusquam lucens, et summum fastigium, ubi simplicia, et absoluta, et immutabilia Theologiae mysteria aperiuntur in

---

(1) Perionius (Ioachim —), O. S. B., *D. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae extant. Eiusdem vita. Scholia incerti authoris in librum de Ecclesiastica Hierarchia.* Lovanii. Apud Ioannem Bogardum, anno 1566, (in-8°), fol. 162r et v. — Exemplar adest in Bibliotheca regali Bruxellensi, II, 52, 759.

(2) Ed. cit., l. c.: *praefulgente.*

(3) *Ib.*: *ac.*

(4) *Ib.*, fol. 162v: *quae et sub sensum.*

(5) Corderius (Balthasar —), S. I., *S. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae exstant, et commentarii quibus illustrantur.* 1a ed. Antverpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti, 1634, 2 t. in-fol.; altera ed. auctior Parisiis, apud Antonium Stephanum, 1644; iterum apud Migne, P. G., t. 3 et 4, Parisiis, 1857. — Cum hac ultima editione textus omnes conferam. — Migne, P. G., t. 3, col. 998-999, §. 1. Text. graec., *ib.*, col. 997 et 1000.

caligine plusquam lucente silentii arcana docentis, quae in obscuritate tenebricosissima plusquam clarissime superlucet, et in omnimoda intangibilitate atque invisibilitate praepulchris splendoribus mentes oculis captas superadimplet. Haec quidem mea sint vota: tu vero, chare Timothee, in mysticis contemplationibus intenta exercitatione, et sensus relinque, et intellectuales operationes, et sensibilia, et intelligibilia omnia, et ea quae sunt, et quae non sunt universa, ut ad unionem eius, qui supra essentiam, et scientiam est, quantum fas est, indemonstrabiliter assurgas; siquidem per liberam et absolutam, et puram tui ipsius a rebus omnibus avocationem, ad supernaturalem illum caliginis divinae radium, detractis omnibus, et a cunctis expeditus, eveheris.

PARAPHRASIS

O Trinitas, quae superas omnem naturam, divinitatem et bonitatem prout a nobis concipiuntur vel prout in creaturis resplendent, et illustras Christianorum theologiam, dirige nos ad fastigium illud ignotissimum simul et splendidissimum mysticarum revelationum seu revelatorum, in quo scilicet fastigio aperiuntur mysteria divina in caligine lucidissima silentii mentalis docentis nos abscondita secreta. Quae quidem caligo in ipsa sua obscuritate valde resplendet et illuminat, et sine tactu ac visu tam corporali quam spirituali pulchris et lucidissimis splendoribus implet mentes caecutientes et etiam invisibiles. Hoc quidem opto. Tu vero, carissime Timothee, in intenta exercitatione mysticae contemplationis relinque tam sensuum quam intellectus operationes, immo et sensibilia et intelligibilia omnia, sive sint ea quae propter invariabilitatem suam dicuntur esse, sive ea temporalia quae propter continuam mutationem ita sunt ac si iam non essent, ut sic valeas assurgere ignote ad unionem Dei, qui sublimior est omni essentia et scientia nostra. Cum enim per omnimodum discessum et remotionem fueris liber et absolutus ab omnibus rebus et a te ipso, tunc eveheris ad radium illum supernaturalem caliginis divinae.

QUAESTIO I

QUOMODO POSSIT INTELLIGI CALIGO QUAE SIT DIVINA, ET QUOMODO HOC PERTINEAT AD THEOLOGIAM MYSTICAM?

Ratio dubitandi est: quia Deus *lux est et tenebrae in eo non sunt ullae*, *Ioan.*, *Epist.* I, cap. I (1). Sed caligo est privatio lucis. Ergo si caligo est, nequit esse divina; vel si divina, nequit esse caligo.

Dicendum tamen est optime appellari *divinam* illam quam Dionysius *caliginem* vocat. Quia, ut ipsemet explicat *Epistola I ad Caium* (2), haec caligo non dicitur talis per privationem lucis, sed per excessum et excellentiam omnis cognitionis. Itaque eo ipso quod Deus sit lux excedens omnem cognitionem, est nobis inaccessibilis; et quo magis lucens est in se, eo magis in eo caligant oculi nostri; unde illa ignoratio quae inde in nobis oritur, est in nobis caligo; et ipsamet divina lux, quae est ratio illius, potest causaliter dici caligo; sicut sol potest dici caligo oculis nostris, qui in eo caligant non propter defectum luminis solis, sed propter excessum eius

(1) v. 5.

(2) Migne, P. G., t. 3, col. 1065.

respectu potentiae visivae improportionatae.

Per quod patet ad rationem dubitandi; respondetur enim distinguendo minorem: caligo formaliter dicta quae est ex defectu et carentia, concedo; caligo quasi causaliter dicta seu quae est per excessum, nego; caligo enim quae est talis per defectum et carentiam lucis, est in se proprie et quasi formaliter caligo; illa vero quae est talis per excessum lucis, solum dicitur caligo quasi causaliter, ex eo quod in nobis causat caliginem seu est ratio cur non possit videri, nec cognosci a nobis.

Quomodo autem ista caligo pertineat ad theologiam mysticam, tetigimus supra (3) agendo de tribus gradibus huius contemplationis. Habet autem se caligo ad illam sicut modus contemplandi essentialiter ipsam constituens et distinguens ab aliis contemplationibus. Nam ingredi seu intrare caliginem (sumpto exemplo a materialibus) est paulatim abire ad obscuritatem et a minori ad maiorem obscuritatem progredi; hoc autem fit ab intellectu dum incipit contemplationem mysticae theologiae, qui proinde est primus gradus huius contemplationis. Cum autem iam ingressus caliginem, eam quasi inhabitat et frequenter assistit Deo in obscurissima contemplatione, dicitur secundus gradus. Ex quo et experientia voluntatis unitae in unione fruitiva resultat tertius, ut ibi tetigimus. Quomodo vero isti tres gradus mysticae theologiae exerceantur iuxta doctrinam D. Dionysii, ex ipsamet doctrina et quaestionibus ad illam excitandis patefiet.

QUAESTIO II

IN QUO SENSU DICATUR TRINITAS PRAESTANTIOR ESSENTIA, DIVINITATE ET BONITATE: SEU SUPERNATURALIS ET SUPRAQUAM DIVINA ET BONA?

Ratio dubitandi est: quia Trinitas est ipsamet essentia, divinitas et bonitas divina, et non potest illam excedere. Deinde si nomen supernaturalis sumatur respectu naturae creatae, frivolum esset appellare Deum vel Trinitatem supernaturalem, cum hoc sit notissimum, nec datur alia Trinitas naturalis, sicut ineptum esset hominem appellare naturalem; si autem dicatur supernaturalis respectu naturae divinae, est eadem difficultas quam diximus de divinitate et essentia divina; et eadem difficultas permanet in lectione, in qua loco *praestantioris divinitate et bonitate* dicitur *supraquam divina, et supraquam bona.*

Nec tollitur omnino difficultas per id quod additur in paraphrasi, scilicet *prout a nobis concipiuntur vel prout in creaturis resplendent;* quia Trinitas cognoscitur a nobis per fidem et similiter eius essentia et bonitas, et quod per fidem cognoscitur, non potest esse aliter ac est in se. Quod autem in creaturis resplendet et invenitur, non debet dici divinitas. Ergo praedictae locutiones non sunt admittendae.

Pro solutione notandum est *primo* cum communiori sententia: *naturale* et *supernaturale* dici a *natura* non prout natura significat omnem essentiam ,alias Deus, qui est substantia supernaturalis, esset supra suam essentiam; nec prout natura significat solum principium intrinsecum motus physici, alias angelus, qui est superior ad ens naturale physicum, esset

(3) Scilicet quaest. prooemial. IX.

substantia supernaturalis; solum ergo sumitur prout natura significat substantiam quae potest agere et pati seu esse principium alicuius mutationis intrinsecae: quo modo omnis et sola substantia creata vel creabilis, sive sit materialis, sive spiritualis, dicitur naturalis; et sola substantia divina dicitur supernaturalis, quia sola substantia divina est supra omnem substantiam creatam vel creabilem. Ratio est: quia *supernaturale* aliter dicitur de accidentibus, aliter de substantia; accidentia enim cum dicant ordinem ad subiectum, dicuntur supernaturalia per ordinem ad ipsum, nimirum quatenus sunt talis naturae et conditionis quae nulli subiecto seu substantiae creatae vel creabili debeantur. Substantia vero cum non dicat ordinem ad subiectum, solum potest dici supernaturalis per hoc quod sit supra substantiam naturalem, qualis est omnis creata vel creabilis.

Notandum est *secundo*: perfectiones quas cognoscimus de Deo in hac vita, sive sit per lumen naturale, sive per lumen fidei, semper esse per species creaturarum ac proinde ad modum creatarum perfectionum et limitato modo, quo modo non possunt Deo competere ut est in seipso, ut saepe docet D. Dionysius et maxime cap. 4 et 5 huius libri (1).

Notandum est *tertio*: Divinitatem licet formaliter et essentialiter dicatur de solo Deo, participialiter etiam dici de dono gratiae, ut explicat idem sanctus Dionysius in *Epistola II ad Caium monachum* (2), in quo sensu iusti dicuntur *Dii*, *Psal.* 81, v. 6. Quibus suppositis,

Dicendum est: Trinitatem in praesenti appellari a Dionysio *supernaturalem* non solum respectu naturae creatae, sed etiam respectu naturae divinae tam prout a nobis concipitur quam prout nobis communicatur; et idem dicendum est de epitheto *supraquam bona* et *supraquam divina*. Seu (quod idem est), ut legit Perionius, *praestantior essentia, divinitate et bonitate*, scilicet prout a nobis concipiuntur et prout nobis communicantur.

Probatur: Quia eadem est ratio de natura divina ac de essentia divina et bonitate. Sed dicit Trinitatem esse supra essentiam et bonitatem divinam prout a nobis concipiuntur et prout nobis communicantur. Ergo in eodem sensu potest dici supra naturam divinam seu supernaturalis; et non est cur solum talis dicatur respectu naturae creatae. Consequentia patet a paritate rationis. Minor constat ex secundo et tertio praenotato, supposito ex primo praenotato supernaturale idem esse ac supra naturam.

Dices: ex eodem primo praenotato supernaturale non dici a natura ut significat essentiam, alias Deus esset supra suam essentiam. Ergo in praesenti non debet Trinitas dici supernaturalis ut est supra naturam vel essentiam divinam. — Respondetur negando consequentiam in sensu explicato. Quia licet supernaturale absolute loquendo non dicatur a natura prout significat essentiam propter praedictum inconveniens, loquendo vero de *natura* vel *essentia* non absolute, sed prout a nobis concipitur vel nobis communicatur, nullum sequitur inconveniens; nec est cur magis in hoc sensu dicatur superessentialis seu supra essentiam et non dicatur supernaturalis seu supra naturam in eodem sensu, semper enim praesumendum est non variari sensum sub eadem clausula.

Rationem autem cur S. Dionysius his terminis saepe utatur, affert D. Thomas in praefatione ad *Commenta-*

(1) Migne, P. G., t. 3, col. 1040 et 1045-1048.

(2) Migne, P. G., t. 3, col. 1069.

ria libri De Divinis Nominibus (3), dicens: *Dionysium plerumque uti stylo et modo loquendi Platonico* (forte quia ante Christianismum horum philosophorum profiteretur scholam). Sicut enim Platonici ponebant species rerum separatas, v. g., hominem, in quo nihil esset nisi quod pertinet ad essentiam humanitatis, unde hominem separatum appellabant per se hominem, alios autem homines per participationem, ac proinde quod homo separatus esset supra omnes homines; similiter ponebant unum primum, quod sit essentia bonitatis, unitatis et esse (quod nos dicimus Deum), et quod omnia alia sint entia, et bona, et una per derivationem ab illo; quod proinde est principale bonum et superbonum supra bonitatem, essentiam et substantiam. Et sicut primum dictum de speciebus separatis est falsum, ita hoc secundum dictum de Deo est verissimum et consonum fidei. *Unde*, inquit D. Thomas (4), *Dionysius Deum nominat quandoque ipsum quidem bonum, aut superbonum, aut principale bonum, aut bonitatem omnis boni. Et similiter nominat ipsum supervitam, supersubstantiam, et ipsam Deitatem Thearchicam, id est, principalem Deitatem, quia etiam in quibusdam creaturis recipitur nomen Deitatis secundum quamdam participationem.*

Ex quibus ad rationem dubitandi respondetur: Trinitatem esse ipsammet essentiam, divinitatem et bonitatem divinam prout essentia, divinitas et bonitas sunt in se, non vero prout a nobis concipiuntur vel a nobis participantur. Deinde ad id quod opponitur de supernaturalitate, dicimus non esse frivolum sic appellare Trinitatem non per ordinem solum ad naturam creatam, sed etiam per ordinem ad divinam modo dicto. Immo sic fuit convenientissimum statim in principio huius libri sic appellare Trinitatem. Nam, ut inquit Pachymera in sua *Paraphrasi ad hunc librum* (5), dum Dionysius agere instituerat de mystica theologia, hanc ipsam precationem mystice etiam composuit: *Non enim dicit, quid sit Trias, sed quibus est superior*, cum hoc sit proprium huius theologiae cognoscere Deum esse supra omnia quae mens intelligit.

Tandem ad id quod additur contra principalem solutionem, respondetur: Trinitatem, divinitatem et bonitatem Dei cognosci quidem a fide *quoad an est*, non tamen *quoad quid est*, nisi confuse et per speculum in aenigmate; cognoscit etiam Deum non esse in se sicut a nobis aenigmatice per creaturas cognoscitur. Ad illud de divinitate in creaturis dicendum non esse eam in illis formaliter et essentialiter sicut est in Deo, sed per participationem, ut diximus notabili tertio.

QUAESTIO III

QUODNAM SIT FASTIGIUM MYSTICORUM SCRIPTORUM SEU ORACULORUM PLUSQUAM INDEMONSTRABILE, ETC.?

Oraculum idem est quod divina responsio; unde etiam sumitur pro templo et pro propitiatorio in quo responsa dabantur, item pro somnio in quo aliquid denuntiatur, item pro aliqua insigni sententia, etc.; de

(3) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374b: *Primo quidem quia plerumque utitur stylo et modo loquendi quo utebantur platonici.*

(4) l. c., p. 375b.

(5) *Paraphrasis in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 1015: *Non enim dixit, quid sit Trias, sed illa quibus est superior.*

quibus vide Beyerlinck in *Theatro vitae humanae* (1) et Calepinum verbo *Oraculum* (2). Unde quidquid a Deo revelatum est, potest dici *Oraculum* obiective tanquam obiectum revelationis, quae est formaliter oraculum.

Sit ergo conclusio: fastigium seu apex oraculorum mysticorum sunt mysteria divina revelata ut cadunt sub obiectum theologiae mysticae. Probatur: quia S. Dionysius postulat auxilium divinum ad doctrinam tradendam de mystica theologia, quae est materia huius libri; ac proinde ad eius obiectum proponendum, quae sunt mysteria divina cognita in caligine. Unde ea vocat *mystica* et ideo hoc dicitur *apex* seu *fastigium summum* illorum, quia sic proponuntur ad contemplandum altissimo et supremo modo possibili in hac vita. Et dicitur *plusquam indemonstrabile*, quia non solum est indemonstrabile, sed nec etiam cognoscibile in hac vita ut in se est, et hoc modo proponitur.

Dicitur etiam *plusquam lucens*, quia in ipsamet rationis naturalis caecitate rutilat lumen fidei vel donorum Spiritus Sancti maiori certitudine quam si demonstratione naturali cognosceretur, immo etiam aliquando maiori claritate saltem in attestante et *quoad an est*. Ex quo sequitur mysticam ipsam theologiam per quam ad hoc fastigium contemplandum erigimur, esse summan et supremam contemplationem mysteriorum Dei.

Si obiicias: D. Dionysius loquitur hic praecipue de cognitione Dei in caligine, ut patet ex titulo capitis et ex contextu. Sed haec non est suprema contemplatio, siquidem datur ultimus gradus theologiae mysticae, qui excedit alios. Ergo non bene dicitur suprema contemplatio. — Respondetur: hanc contemplationem in caligine suam habere extensionem et licet principaliter tribuatur secundo gradui theologiae mysticae infusae, adhuc invenitur in tertio et supremo gradu; qui licet sit clarissimus quoad cognitionem Dei *quia est* vel quoad *an est*. semper manet obscurus in cognitione Dei *quid est*. D. autem Dionysius vocat supremam contemplationem mysticae theologiae respectu aliarum contemplationum, non vero respectu unius gradus ad alium intra eam. Et sicut ista contemplatio infusa est suprema omnium tam acquisitarum quam infusarum, ita contemplatio mysticae theologiae acquisitae omnium acquisitarum est suprema.

QUAESTIO IV

QUOMODO MYSTERIA THEOLOGIAE SEU FIDEI, UT CONTEMPLANTUR IN MYSTICA THEOLOGIA, DICANTUR SIMPLICIA, ABSOLUTA ET IMMUTABILIA?

Mysteria fidei, ut mysterium Trinitatis et ea quae ad Divinitatem pertinent, quando contemplantur per affirmationem, quodammodo vestiuntur vel symbolicis et metaphoricis integumentis, ut cum Deum concipimus ut solem, ut lucem, ut nebulam etc.; vel perfectionibus cognitis ex creatis, quae licet in Deo sint vere et proprie, non tamen ut eas concipimus ad modum creatarum. Unde mysteria sic cognita non concipiuntur ut simplicia, sed ut composita ex eo quod latet sub illis ima-

(1) Beyerlinck (Laurentius —), *Magnum theatrum vitae humanae*, ed. Coloniae Agrippinae, 1631, tom. V, lib. XIII, p. 88a, verbo « *oraculum* »: *Oraculum est idem quod divinum responsum.*

(2) Calfpinus (Ambrosius —), *Pentaglottos*, Antverpiae, 1546 (in-4°, sine paginatione), verbo « *oraculum* »,

ginibus creatis; et ex eo quod quaelibet perfectio creata semper habet aliquam compositionem vel ex materia et forma, vel ex subiecto et accidente, vel ex potentia et actu, vel denique ex essentia et existentia, quam quidem compositionem involvit conceptus quem formamus de divinis per similitudinem ad creata. Item non concipiuntur ut absoluta, sed vel per respectum ad creaturas, vel ut implicata illis. Nec etiam ut immutabilia, tum quia conceptus illius potest variari de uno in alium, si cognoscatur Deus iam ut lux, iam ut nebula, vel iam ut sapiens, iam ut iustus, iam ut misericors; tum quia concipitur ad modum rerum mutabilium, quales sunt omnes res creatae. Licet simul cognoscamus confuse Deum aliter se habere et esse infinite superexcedentem et nec compositum, nec respectivum, nec mutabilem.

Sit ergo conclusio: quatenus concipimus Deum per remotionem et contemplamur eum in caligine, concipitur ut quid simplex sine praedictis compositionibus, ut quid absolutum et veluti nudum a conceptibus creaturarum et ut quid immutabile, siquidem sine conceptu mutabilium, sed conceptu omnino simplici et invariabili. Unde D. Maximus in explicatione huius loci (1) ait: simplicia et absoluta sunt, quae nude, sicuti sunt, sine symbolicis integumentis et sine parabolis intelliguntur et videntur. Itaque absoluta dicit ea quae non per nominum explicationem, sed notionum cessatione et absolute percipiuntur, etc.

Obiicies primo ex D. Dionysio *De Caelesti Hierarchia*, cap. 1 (2): fieri non postet ut aliter radius divinus illucescat, nisi sacrorum varietate operimentorum obvelatus, etc. Unde D. Thomas, I[a] part., quaest. 1, art. 9 (3) infert convenientius esse Sacrae Scripturae tradere divina sub similitudine corporalium, quia est naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat.

Respondet Dionysius Cartusianus in *Quaestion. myst.* (4): D. Dionysium hic esse *intelligendum quantum ad primam informationem intellectus*, iuxta quod Philosophus (5) ait: *Intelligentem oportet phantasmata speculari.* Sed haec locum non habent in mystica theologia, ut clare et expresse docet idemmet S. Dionysius verbis infra referendis in hoc capite, verbo *Tu vero, o chare Timothee, etc.* (6). D. Thomas loquitur de metaphoris Scripturae et rationem reddit: « *Quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet*, quod minime impugnat conclusionem nostram. Immo quaest. 88, art. 2, ad 2 (7) ait: *De superioribus rebus in scientiis*

---

(1) *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap 1; Migne, P. G., t. 4, col. 416 (text. graec.).

(2) §. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 122: *Neque enim potest aliter divino-principalis ille radius nobis illucescere, nisi sacrorum varietate operimentorum anagogice obvelatus.* — Text. graec., *ib.*, col. 121.

(3) corp.; *Opera omnia iussu impensaque Leonis XIII P. M. edita*, Romae, 1882 sqq., t. IV, p. 24[a]: *Respondeo dicendum quod conveniens est sacrae Scripturae divina et spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus providet secundum quod competit eorum naturae. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat: quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet.*

(4) i. e., *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 2; *Opera omnia*, ed. crit., Monstrolii — Tornaci, 1896-1912, t. XVI, p. 489[b]: *Verum quoniam Thomas pro se quandoque allegat et beatissimi Dionysii verba, potissime illud, Non est possibile aliter nobis lucere radium divinum, nisi circumtectum variis tegumentis sensibilium formarum: quod supra expositum est atque solutum (quia intelligendum est quantum ad primam intellectus informationem, sicut et illud Philosophi: Intelligentem oportet phantasmata speculari): nunc tamen ex dictis in Mystica theologia ostendendum est istud de mente Dionysii non fuisse, sicut hoc supra ostensum est ex aliis ejus libris.*

(5) ARISTOTELES, *De anima*, lib. III, cap. 7, num. 3 et cap. 8, num. 3; *Opera omnia graece et latine*, Parisiis, Firmin Didot, 1848-1874, t. III, p. 470 et 471; *Aristoteles graece ex recensione Immanuelis Bekkeri*, Berolini, 1831, 431[a], 16-17 et 432[a], 8-9.

(6) *De Mystica theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 998. — In ed. 1684 legitur: « *ter vero* ».

(7) I[a], quaest. 88, art. 2, ad 2.

maxime tractatur per viam remotionis, nempe per negationem imperfectionum inferiorum. Dicendum ergo est sacra velamina seu similitudines sensibilium, quibus divina obvelantur, inservire ad contemplationem per affirmationem, non vero ad illam quae est per negationem, qualis mystica theologia.

Obiicies secundo: Omnis cognitio quae est per conversionem ad phantasmata, est per similitudines sensibilium. Sed nulla contemplatio huius vitae datur sine conversione ad phantasmata. Ergo nulla datur, quae non sit sub similitudine sensibilium. Solutio huius argumenti pendet ex sequenti quaestione celebri admodum inter mysticos.

QUAESTIO V

UTRUM CONTEMPLATIO MYSTICAE THEOLOGIAE VEL ALIQUA CONTEMPLATIO VIAE FIAT SINE CONVERSIONE AD PHANTHASMATA?

Negativam partem tenent plures tam scholastici quam mystici eamque sequitur (1) ex nostris V. P. Ioannes a Iesu Maria, cap. 6 *Mysticae Theologiae* (2). Immo R. P. Philippus a SS. Trinitate dum hanc materiam philosophice tractat, eam sequitur in *Summa Philosophiae*, quaest. 44, art. 6 (3); dum vero mystice, affirmativam sequitur loco infra citando. Et videtur esse D. Thomae, IIª IIᵃᵉ, quaest. 180, art. 5, ad. 2, ubi hoc intelligit non solum de cognitione naturali, sed etiam de illis quae per revelationem cognoscimus. Vide nostrum Dominicum, tom. VII *Bibliothecae Theologicae*, lib. VII, sect. 5, cap. 7 (4) et Antonium a Spiritu Sancto, tract. III *Directorii mystici*, disp. 3, sect. 8 et seq. (5).

Alii autem non solum asserunt hoc posse fieri et de facto contingere in contemplatione supernaturali et divina, sed etiam in contemplatione naturali rerum abstractarum; pro qua sententia noster Thomas a Iesu, *De contemplatione*, lib. V, cap. 1 (6), citat Philosophum, lib. II *De anima*, cap. 14 et lib. III, tex. 30; Thianensem, ad tex. 39; Toletum, quaest. 21 (7); Valentiam, I tom., disp. 6, quaest. 1, punct. 3 (8) et alios, licet ipse quoad contemplationem naturalem non videatur illis assentiri.

Dicendum tamen est: licet ordinarie loquendo et secundum communem naturae ordinem, etiam in contemplatione supernaturali quae fit modo nostro humano, non detur cognitio intellectus sine operatione phantasiae et dependentia ab imaginatione, posse tamen dari et de facto dari in viris perfectissimis contemplationem adeo elevatam supra nostrum modum humanum, quae nullo modo dependeat a phantasmatibus et fiat sine conversione ad illa vel totaliter, vel aliquando ita imperceptibiliter ut vix cognosci possit talis conversio, quae a mysticis dicitur *contemplatio*

---

(1) « *sequuntur* » in ed. 1684.

(2) *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, pp. 21ª-28ª, praesertim pag. 26; ed. 1771-1774, t. II, pp. 436ᵇ-442ª, praesertim pp. 440ª-441ᵇ, §. *Verum altius* sqq.

(3) *Summa philosophica*, Secunda secundae, quaest. 44, art. 6; Lugduni, 1648, pp. 597-598.

(4) Dominicus a Ss. Trinitate, C. D., *Bibliotheca theologica*, lib. VII, sect. 5, cap. 7; Romae, 1666-1676, t. VII, pp. 690ᵇ-698ª.

(5) Ed. 1904, pp. 320 sqq.

(6) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 1, §. *Assentiunt; Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, p. 155ª

(7) Toletus (Franciscus-), S. I., *In Summam theologiae S. Thomae Aq. Enarratio*, In primam, quaest. 12, art 11; Romae, 1869, t. I, pp. 177ª-179ᵇ.

(8) Valentia (Gregorius de-), S. I., *Commentariorum theologicorum tomi quatuor*, Ingolstadii, 1603, t. I, disp. 6, quaest. 1, punct. 3, col. 1343-1374, praesertim §. *Minor autem* sqq., col. 1362 sqq.

pura et ponitur pro primo gradu theologiae mysticae, et in secundo et tertio gradu perfectius haec puritas invenitur. Prima pars huius conclusionis de contemplatione naturali et etiam supernaturali ordinaria probatur rationibus primae sententiae, quae in obiectionibus afferentur.

Secunda pars conclusionis de contemplationibus extraordinariis et elevatissimis, qualis est mystica theologia saltem in secundo et tertio gradu, est plurium doctorum tam scholasticorum quam mysticorum, quos sequitur Thomas a Iesu supra citatus, *De contemplatione*, lib. V, cap. 1, 2 et 3 (9); Antonius a Spiritu Sancto, loco supra citato, sect. 9 (10); Philippus a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, part. II, tract. III, discurs. 2, art. 2 (11). Et pro illa citatur D. Augustinus, tract. 102 *in Ioan.* (12) et lib. XII *Super Genes. ad. lit.*, ubi cap. 3, 5, 6, 12, 24 et 26 (13). Hoc expresse docet D. Bonaventura, *Itinere V aeternitatis*, dist. 4, art. 2 et 3 (14); S. Bernardus, *serm.* 35 et 52 *in Cant.* (15); Hugo de S. Victore, lib. II *De anima*, cap. 26 (16); Dionysius Cartusianus, pluribus in locis, et specialiter eam probat etiam ex mente D. Thomae in *Commentario mysticae theologiae*, art. 2 (17); et alii plures quos laudat et sequitur noster Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucidatione theologica phrasium mysticarum. B. P. Ioannis a Cruce*, part. II, cap. 3, §. 3 (18). Pro eaque sententia supponit eundem B. P. Ioannem a Cruce, §. 1 et sequenti (19).

Probatur *primo* auctoritate D. Thomae *In Epist. Pauli II ad Cor.*, XII, lect. I (20), ubi dicit visionem intellectualem fieri sine similitudinibus corporalibus et quidem si aliquis videret intelligibilia non per sensibilia nec per phantasmata, sic esset raptus ad tertium caelum, id est, caelum spirituale animae, de quo loquitur Augustinus, quem sequitur. Item *De veritate*, quaest. 13, art. 2 (21), dicit species intelligibiles

---

(9) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 1-3; *Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, pp. 152ª-159ª. Ubi inveniuntur textus fere omnium auctorum hic relatorum.

(10) *Directorium mysticum*, tract. III, disp. 3, sect. 9; ed. 1904, pp. 323-326.

(11) Ed. 1874, t. II, pp. 320-329.

(12) *In Ioan. evang. tract.* CII, num. 4; Migne, P. L., t. 35, col. 1897-1898.

(13) *De Genesi ad litteram libri duodecim*, lib. XII, cap. 3, num. 6, Migne, P. L. t. 34, col. 455-456; cap. 5, num. 13, col. 457-458; cap. 6, num. 15, col. 458-459; cap. 12, num. 25, col. 463; cap. 24, num. 50, col. 474; cap. 26, num. 54, col. 476.

(14) *De septem itineribus aeternitatis*, itin. III, dist. 4, art. 2 et 3; *Opera omnia*, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, t. VIII, p. 426-431ᵇ. — *Ib.*, itin. V, dist. 4, pp. 460ª-461ª. — Editio Quaracchi (t. VIII, *Prolegomena*, cap. 3, art. 2, p. CXI; t. X, *Dissertationes de scriptis et vita S. Bonaventurae*, dissert. I, cap. 2, §. 3, num. 2, p. 11ᵇ; *ib.* part. II, cap. 1, num. 29, p. 23ª) enumerat hoc opusculum inter *certe spuria*, illudque adscribit Fratri Rodulpho de Bibraco, O. Min., qui floruit circa 1360 (Waddingus, *Scriptores Ord. Minor.*, 1650, p. 309, 2ª, 210). Cf. etiam Benedictus Bonelli, *Podromus ad opera omnia S. Bonaventurae*, Venetiis, Bassani, 1767, col. 606. — Hoc opusculum deest in ed. Quaracchi.

(15) Sic apud Thomam a Iesu, l. c., cap. 1, t. II, p. 153ᵇ; sed omnes textus quos refert, etiam illi duo quos *sermoni* 35 attribuit, veniunt ex *Sermone* 52 *in Cantica*, num. 5; Migne, P. L., t. 183, col. 1031.

(16) Ioseph a Spiritu Sancto, hic; Thomas a Iesu, l. c., cap. 1, t. II, p. 153ᵇ et Nicolaus a Iesu Maria, loco mox citando, dicunt: « *De anima*, lib. II, cap. 20 ». Atqui e quatuor libris *De anima* qui Hugoni de S. Victore adscribuntur, quartus tantum liber ab ipso conscriptus est. Qui liber IV apud Migne, P. L., t. 177, col. 171-190, invenitur. Liber vero II inter *subdititia opuscula* S. Augustini numeratur, P. L., t. 40, col. 779-832 sub titulo *De spiritu et anima liber unus*, estque epistola responsoria Alcheri Clarevallensis Abbati Isaac. Liber I et III autem, inter *aliena et supposititia opera* S. Bernardi, P. L., t. 184, col. 485-552 et t. 177, col. 165-170. — Duo textus qui ab illis auctoribus referuntur, veniunt ex opusculo *De spiritu et anima liber unus*, cap. 34, §. *Redeat ergo;* Migne, P. L., t. 40, col. 804.

(17) i. e., *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 2, §. *Ex his; Opera omnia*, ed. crit., Monstrolii-Tornaci, 1896-1912, t. XVI, pp. 488ª sqq.

(18) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce Carmelitarum excalceatorum Parentis primi elucidatio*, part. II, cap. 3, §. 3; Coloniae Agrippinae, 1639, pp. 96 sqq.

(19) Ed. cit., pp. 92-96.

(20) Ed. Vivès, t. XXI, p. 154ª.

(21) Corp.; ed. Vivès, t. XIV, p. 638ᵇ.

a Deo infundi sine ullo phantasmatum consortio, quomodo per species infusas fit aliquando revelatio prophetica, iuxta eundem S. Doctorem, IIª IIᵃᵉ, quaest. 173 (22). Item in III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 4 (23), docet quod in statu vitae praesentis debent removeri omnia phantasmata ad perfectam Dei contemplationem assequendam, iuxta Dionysium, cap. 1 *De Mystica Theologia*.

Probatur *secundo*: Quia qui angelice vivunt in terra, consentaneum est ut etiam angelice contemplentur divina. — Confirmatur *primo* ex Dionysio Cartusiano (24): Si anima in hac vita non potest aliquid intelligere sine conversione ad phantasmata, non poterit naturali ratione probari immortalitas animae; nam, iuxta Philosophum in libro *De anima* (25), si anima rationalis in hac vita non habet aliquam operationem liberam ac separatam a corpore, non potest extra corpus subsistere. — Confirmatur secundo: Nam licet in raptu sensuum externorum ad visionem imaginariam non tollatur imaginatio, in raptu seu in alienatione sensuum externorum et internorum ad visionem intellectualem cessat omnis operatio sensibilis; quod D. Thomas, quaest. 13 *De veritate*, art. 2, ad 9 (26), fatetur et explicat, adducens exemplum in extasi Adami, ut dicitur *Genes.*, II, in *Glossa* (27). Et ideo admittit visionem divinae essentiae in via per modum transeuntis in raptu: quia tunc quodammodo moritur et abstrahitur a sensibus et ab operationibus phantasiae, de quo loquitur Iª part., quaest. 12, art. 11, ad 2 et IIª IIᵃᵉ, quaest. 175, art. 3. Ergo saltem in raptu ut solent fieri istae contemplationes mysticae theologiae, non potest negari contemplatio pura sine interventu phantasiae.

Probatur *tertio* a nostro Thoma a Iesu, loco supra citato (28), dicente hoc posse contingere non solum in raptu, sed manente libera imaginatione; quia saepe experiuntur viri sancti, dum mens eorum caelestia contemplatur, imaginationem non solum in diversa divagari, sed etiam in obiecta valde opposita illis quae intellectus contemplatur, ut fatetur D. Gregorius, lib. X *Moralium*, cap. 8 (29), in quibus (ut ipse ait) caelum simul atque infernus coniunguntur. Quod etiam experta est S. M. N. Theresia (30), uti pluribus in locis de imaginatione et memoria sensibili conqueritur. Ergo tunc non concurrit imaginatio ad contemplationem, immo potius perturbat. Potest ergo etiam sine ista imaginationis evagatione fieri praedicta contemplatio pura extra raptum sine totali vel saltem imperceptibili conversione ad phantasmata, quod a mysticis appellatur *silentium potentiarum*, dum sine strepitu imaginationis et sensuum mens in Deo defigitur; quod quidem brevissime solet evenire et, ut dicit Hu-

(22) Art. 2 et 3.

(23) Corp.; ed. Vivès, t. IX, p. 557ᵃ.

(24) l. c.; cf. supra, nota (17).

(25) Aristoteles, *De anima*, lib. III, cap. 4 et 5; Didot, t. III, p. 467-468; Bekk., 429ᵃ-430ᵃ. — Cf. Corderius (Balthasar —) S. I., *Adnotationes in librum Dionysii Areopagitae De Mystica Theologia*, cap. 1, Migne, P. G., t. 3, col. 1055: *Praeterea, si istud negetur, non poterit naturali ratione ostendi immortalitas animae (cujus oppositum sanctus Thomas saepius scripsit). Nam et phisolophus libro* De anima *dicit: Si anima rationalis in hac vita non habet aliquam operationem liberam, propriam ac separatam a corpore, non potest extra corpus subsistere: si autem habet actionem hujusmodi, potest a corpore separari.*

(26) Ed. Vivès, t. XIV, p. 640.

(27) *Biblia sacra cum glossa ordinaria a* Strabo Fuldensi *Monacho Benedict. collecta*, Antverpiae, 1634, *Genes.*, cap. II, v. 20, t. I, col. 81.

(28) l. c., *De contemplatione divina*, cap. 2, §. *Insuper; Opera omnia*, ed. 1684, t. II, p. 156ᵇ.

(29) *Moralium* lib. X, cap. 10 (rec. 8), num. 17; Migne, P. L., t. 75, col. 931: *Coelum ergo simul infernusque coarctatur cum unam eamdemque mentem et sublevatio contemplationis illuminat,...* — Textus refertur a Thoma a Iesu, l. c., pp. 156ᵇ-157ᵃ.

(30) Cf. *Vida*, cap. 17, §.*Hay otra; Obras*, ed. crít., t. I, pp. 125-127. — *Moradas* IV, cap. 1 y 3, t. IV, pp. 45-52; 59-67.

go de S. Victore, lib. II. *De anima*, cap. 20 (31), tunc fit silentium in caelo quasi dimidia hora.

Unde ad locum D. Thomae in principio adductum et ad alia consimilia ubi negat posse dari hanc puram cognitionem, respondetur: vel loqui de cognitione naturali, de qua solum loquitur Philosophus; vel de supernaturali ordinaria quae fit nostro modo humano; non tamen de extraordinaria et elevata supra nostrum modum humanum; et ut ipse ait Iª part., quaest. 12, art. 11, ad 2: *Sicut Deus miraculose aliquid supernaturaliter in rebus corporeis operatur, ita etiam et supernaturaliter, et praeter communem ordinem mentes aliquorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium, usque ad visionem suae essentiae elevavit.*

Si iterum obiicias locum D. Dionysii quaestione praecedenti propositum in prima obiectione, ibidem satis bene ei responsum est. Quae autem solent afferri in probationem dependentiae intellectus ab operatione phantasiae ex auctoritate Philosophi et experientia in phraeneticis et amentibus, in quibus laesa phantasia impeditur usus intellectus; immo in quocumque intelligente deprehenditur formari idolum corporeum, sive illud quod intelligitur sit corporeum, sive spirituale; et ratione desumpta ex aliquali dependentia animae rationalis a corpore pro hoc statu, etc.; omnia debent intelligi de cognitione naturali et ad summum de supernaturali ordinaria secundum nostrum modum humanum, ex quo nihil infertur contra nos.

Obiicies *secundo*: Ideo in beatis, etiam post resurrectionem, non datur conversio ad phantasmata, quia in illis anima perfecte dominatur corpori, ut docet D. Thomas, IIIª part., quaest. 11, art. 2. Unde etiam Christus Dominus poterat intelligere vel convertendo se ad phantasmata, vel sine tali conversione; quia dum erat in mundo, erat simul comprehensor et viator, ut ibidem docet S. Doctor. Sicut e converso in damnatis, etiam post resurrectionem, intellectio pendebit a conversione ad phantasmata, cum eorum animae maxime subiiciantur corpori. Immo etiam Adam in statu innocentiae cum haberet species infusas rerum et cum anima dominaretur corpori (saltem ut nihil fieret in corpore quod animae adversaretur), non poterat intelligere sine conversione ad phantasmata; quia non ita perfecte dominabatur corpori sicut beati, in quibus corpus per dotes gloriae redditur spirituale. Ergo a fortiori in nobis pro hoc statu, in quo anima neutro modo dominatur corpori, non potest dari intellectio sine tali conversione. — Respondetur: Quidquid sit de Adamo (probabile enim est potuisse cognoscere in illo statu sine conversione ad phantasmata per species infusas quas habuit in sua productione), non est contra nos. Loquimur enim de contemplatione supernaturali elevatissima, in qua Deus non adstringitur modo connaturali nostro operandi, sed potest elevare intellectum et ita informare per species clarissimas, ut nullo modo indigeat phantasmatibus, immo convenientius removetur pro tunc talis conversio, ne impediat puritatem et perfectionem contemplationis obiecti repraesentati.

Obiicies *tertio* ex Aristotele, III *De anima* (32): Phantasmata comparantur ad animam intellectivam humanam sicut colores ad visum. Sed potentia visiva non potest exire in actum nisi convertendo se ad colo-

---

(31) i. e., *De spiritu et anima liber unus*, cap. 34, §. *Redeat ergo;* Migne, P. L., t. 40, col. 804: *Ut fiat silentium in coelo quasi hora dimidia.* - Cf. supra nota (16).

(32) cap. 5, num. 1; cap. 7, num. 3 et 4; cap. 8, num. 3; Didot, t. III, pp. 468 et 470; Bekk., 430ª, 13-14; 431ª, 14 sqq.; 432ª, 3 sqq.

res. Ergo nec anima intelligere nisi convertendo se ad phantasmata. — Respondet D. Thomas ad hoc argumentum (quod etiam militat contra illud quod docet de anima Christi, quae per scientiam inditam poterat cognoscere sine tali conversione), III[a] part., quaest. 11, art. 2, ad 1: exemplum Aristotelis non tenere in omnibus; licet enim conveniant in hoc quod aspicit utraque potentia, scilicet visiva colores, intellectiva species intelligibiles, quas accipit a phantasmatibus et pro hac vita etiam in phantasmatibus, finis tamen intellectivae non est cognoscere phantasmata, sed species; unde licet visus nihil cognoscat absque colore, intellectus tamen secundum aliquem statum potest cognoscere sine phantasmate, non tamen sine specie intelligibili. Similiter ergo respondetur: exemplum non tenere in cognitione valde supernaturali et elevata etiam pro hoc statu, cum species non sint receptae a phantasmatibus, neque phantasmata conducant, sed impediant potius perfectionem cognitionis divinorum.

Sed quaeres utrum ista contemplatio quae est absque praedicta conversione, necessario fiat per species supernaturaliter infusas? — Respondent auctores nostrae sententiae hoc tripliciter posse fieri: vel per infusionem alicuius luminis extraordinarii sine infusione specierum, vel per coordinationem specierum praehabitarum, vel etiam per infusionem specierum. De quo videri potest noster Philippus a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, loco supra citato (33).

Si rursum quaeras utrum in contemplatione supernaturali quae est secundum humanum modum, inveniatur etiam aliquando depuratio a phantasmatibus et a discursu intellectus? — Respondeo: in qualibet ex istis contemplationibus quae fiunt humano modo, dari quidem denudationem a discursu; quia licet semper in illis praecedat, cum tamen ad contemplationem pervenimus cessat discursus et succedit simplex veritatis intuitio, in qua consistit contemplatio. De quo D. Thomas, II[a] II[ae], quaest. 180, art. 6; ubi communiter expositores et inter ceteros optime Suarez, lib. II *De oratione*, cap. 10 (34).

Quod vero attinet ad phantasmata et formas imaginarias, dicendum est quod in illa contemplatione quae fit per remotionem, non concipitur Deus vel res spirituales sub aliqua imagine aut forma corporea; requiritur tamen cooperatio phantasiae ad repraesentandas illas formas et imagines corporeas quae a Deo removentur, dum removentur, ut docet D. Thomas, I[a] part., quaest. 84, art. 7, ad 3; quod bene explicat noster Nicolaus a Iesu Maria in sua supra laudata *Elucidatione Theologica*, II part., cap. 3, §. 1 (35). Quia vero intellectus in ipsa contemplatione negativa, in qua potius dicendum est non cognoscere, venit ad quandam sublimem notitiam Dei ut supereminentis, incomprehensibilis et excedentis omnem cognitionem nostram, tunc aliqua cooperatio phantasiae debet se intromittere, licet non ita sit perceptibilis sicut est quando cognoscitur Deus per affirmationem. Et quia de istis cognitionibus saepe nobis loquendum est, operae pretium erit aliquas quaestiones de variis Dei cognitionibus hic apponere. Sit igitur

---

(33) *Summa theologiae mysticae*, part. II, tract. III, disc. 2, art. 2, §. *Sed, etsi* sqq.; ed. 1874, t. II, pp. 325 sqq.

(34) i. e., Tom. II *De religione*, tract. IV *De oratione*, etc., lib. II, cap. 10; Parisiis, L. Vivès, 1856-1878, t. XIV, pp. 160[a] sqq.

(35) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 3, §. 1, praesertim num. 6 sqq.; Coloniae Agrippinae, 1639, pp. 92 sqq.

QUAESTIO VI

AN ET QUOMODO DEUS POSSIT A NOBIS NATURALITER COGNOSCI?

Cognitio nostri intellectus vel est *quidditativa*, vel *quoad an est*. Cognitio *quoad an est* dicitur illa qua cognoscitur aliquid esse in rerum natura, licet non cognoscatur expresse et distincte quidditas eius. Cognitio vero *quidditativa* illa est qua cognoscitur clare et distincte tota rei essentia usque ad ultimum gradum et differentiam, saltem secundum genus proximum et differentiam ultimam. In quo differt cognitio *quidditativa* proprie dicta a cognitione *quidditatis* (ut tenent communiter auctores contra Scotum), quia ut cognoscatur utcumque quidditas rei, sufficit cognoscere saltem confuse quodcumque eius essentiale praedicatum, quod non sufficit ad cognitionem *quidditativam* proprie dictam.

Rursus cognitio *quidditativa* vel potest esse *abstractiva*, vel *intuitiva*, vel *comprehensiva*. *Abstractiva* dicitur cognitio simplicis intelligentiae; quia est cognitio essentiae abstrahendo ab eius existentia ac proinde non cognoscendo illam ut praesens est. *Intuitiva* appellatur cognitio visionis; quia est notitia rei ut existens et praesens est, ad quod requiritur quod res cognoscatur (1) non in alio cognito, sed in se per propriam essentiam aut per propriam speciem, si illam habuerit. *Comprehensiva* denique est illa qua res tantum et tam perfecte cognoscitur quantum ipsa cognoscibilis est, ita ut cognoscantur omnes ipsius causae tam internae quam externae, omnes etiam eius potentiae, proprietates et perfectiones, ac proinde quod cognoscatur tota et totaliter. Hoc supposito,

Sit conclusio: Deus non potest cognosci comprehensive ab ullo intellectu creato, sive naturaliter, sive supernaturaliter. *Secundo*, non potest naturaliter cognosci intuitive. *Tertio*, nec etiam abstractive cognitione proprie quidditativa. *Quarto*, Deus quatenus unus potest cognosci aliquali cognitione quidditatis confusa et imperfecta, quae solum improprie dicitur quidditativa. *Quinto*, Deus quatenus unus potest naturaliter cognosci *quoad an est* evidenter et per demonstrationem. *Sexto*, Deus quatenus Trinus seu mysterium Trinitatis nullo modo potest naturaliter cognosci, etiam *quoad an est*.

Prima pars conclusionis est de fide, ut tenent communiter thomistae contra Vazquez, *ad I partem D. Thomae*, quaest. 12, art. 7 (2). Nec est cur immoremur in probatione illius.

Secunda pars de cognitione *intuitiva* etiam est de fide, de qua thomistae ad dictam quaestionem, art. 4.

Tertia pars de cognitione abstractiva *quidditativa* est communis thomistarum et probatur *primo*: quia omnis cognitio quam naturaliter habemus de Deo in hac vita, est per effectus. Sed nullus effectus potest Deum adaequate repraesentare eo modo qui requiritur ad cognitionem quidditativam. Ergo. *Secundo*: quia praedicata quae de Deo cognoscimus, vel sunt negativa, ut esse infinitum, immensum, etc., per quorum conceptus negativos potius cognoscitur id quod Deus non est quam id quod est; vel sunt relativa ad creaturas, ut esse Creatorem, et haec solum dicunt de formali denominationem extrinsecam vel relationem rationis, quae sunt extra essentiam Dei; vel sunt positiva et absoluta, at ista a nobis confuse nimis cognoscuntur (ut esse summe sapien-

(1) « *non cognoscatur* » in ed. 1684.

(2) i. e., *Commentariorum ac Disputationum in Primam* disp. 52; Antverpiae, P. I. Belleros, 1621, t. I, pp. 268b-273b.

tem) aut cum adiuncta negatione imperfectionis quam in creaturis solent habere, ut esse sapientem infinite, etc. *Tertio*: quia existentia est de essentia Dei, quae est per se prima ratio qua Deus intelligatur. Ergo non potest cognitio quidditativa terminari ad essentiam Dei, quin terminetur ad existentiam et quod ipsa existentia moveat per se primo intellectum ad cognitionem. Ergo non potest esse *quidditativa*, quin sit *intuitiva*.

Quarta pars de cognitione *quidditatis* quae improprie dicitur *quidditativa*, probatur: quia de Deo cognoscimus plura praedicata essentialia, scilicet esse ens increatum, actum purum, omnipotentem, summe sapientem, immensum, etc.; quae tamen confuse solum cognoscimus, ut supra diximus; quae licet sufficiat ad aliqualem cognitionem quidditatis, non ad proprie quidditativam.

Quinta pars de cognitione *quoad an est* est adeo certa, ut contraria opinio ad minus iudicetur temeraria. Immo aliqui dicunt hanc propositionem *Deus est* ita esse per se notam non solum secundum se, sed etiam viatoribus, ut demonstratione non indigeat, sed sola explicatione terminorum. Nos tamen dicimus cum D. Thoma, I^a part., quaest. 2, art. 1 et communi sententia illam propositionem esse quidem per se notam secundum se, quia praedicatum est de essentia subiecti; non tamen esse per se notam quoad nos, quia non cognoscimus de Deo quid sit ac proinde indigemus ratione aliqua ad assensum illius.

Est autem propositio naturaliter demonstrabilis, quomodo philosophi etiam gentiles hoc demonstrant, vel ex motibus physicis, puta motu caelorum; quod enim movetur, ab alio movetur, unde deveniendum est ad aliquem Motorem immobilem; vel ex ente creato et causato; quod enim causatur, ab alio causatur, usque dum veniamus ad aliquam primam causam non causatam; vel ex omni collectione causarum productarum, quae quidem collectio non est causata ab aliqua causa causata, haec enim includitur in illa collectione et esset causa sui ipsius; ergo ab aliqua causa non causata et independente, quae est Deus. Similiter probatur naturaliter et evidenter hanc primam causam esse unicam tantum et plures habere perfectiones tam positivas quam negativas. De quo philosophi in *metaphysica* et thomistae in I part. D. Thomae.

Sexta et ultima pars de cognitione Trinitatis naturaliter etiam *quoad an est* est communis sententia thomistarum cum D. Thoma, I^a part., quaest. 32, art. 1; et ratio est: quia homo non potest naturaliter Deum cognoscere nisi in creaturis; Deus autem in creaturas non influit ut Trinus, sed ut Unus; virtus enim et potentia Dei est una et communis tribus divinis Personis. Unde ait D. Thomas (3): qui rationibus naturalibus nititur probare hoc mysterium, dupliciter derogat fidei: primo, quantum ad dignitatem fidei, quae est de rebus invisibilibus; secundo, quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem, per rationes enim non cogentes cederet in irrisionem infidelium.

Obiectiones contra omnes partes conclusionis consulto omittimus, tum quia facile ex praedictis solventur, tum quia a scholasticis afferuntur et solvuntur in locis citatis.

---

(3) l. c., corp.; ed. Leon., t. IV, p. 350^a: *Qui autem probare nititur Trinitatem Personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem, quantum ad dignitatem ipsius fidei, quae est ut sit de rebus invisibilibus,... Secundo, quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes quae non sunt cogentes, cedit in irrisionem infidelium.*

QUAESTIO VII

QUOMODO DEUS TAM UT UNUS QUAM UT TRINUS POSSIT LUCE SUPERNATURALI IN HAC VITA COGNOSCI?

Supponimus ex fide Deum in patria cognosci a beatis per intellectum elevatum lumine gloriae non quidem *comprehensive*, sed *quidditative* et *intuitive*, de quo thomistae cum D. Thoma, Ia part., quaest. 12. Supponimus etiam posse dari miraculose et per modum transeuntis eandem cognitionem claram Dei quidditativam et intuitivam in hac vita, ut de visione Moysis et Pauli tenet D. Thomas, Ia part., quaest. 12, art. 11, ad 2 et IIa IIae, quaest. 175, art. 3. Hoc autem dicit non posse fieri nisi in raptu, quod secundum Augustinum (1) est quoddammodo mori, cum sit aversio et alienatio a corporeis sensibus.

Extra vero visionem beatam potest Deus ut Unus et ut Trinus pluribus modis supernaturaliter cognosci. *Primo*, evidenter non quidem evidentia eius in seipso, sed evidentia in attestante. *Secundo*, certissime, sed inevidenter et obscure per fidem. *Tertio*, per aliquod lumen superadditum, nempe doni sapientiae et intellectus, maiori certitudine et claritate ex parte cognoscentis, sed semper inevidenter et obscure; et hoc tripliciter: vel affirmando de Deo perfectiones positivas simpliciter simplices, vel removendo ab eo omnes perfectiones, vel denique deveniendo ad aliquem conceptum confusum Dei tanquam superexcedentis omnem perfectionem. *Quarto*, per aliquod lumen transiens et superius donis, quo (adiuncta experientia voluntatis) perfectiori et clariori modo quo potest in hac vita, infra visionem beatam, cognoscatur.

Conclusio quoad *primam* partem quod non detur talis cognitio evidens Dei in seipso neque ut Unius neque ut Trini, est communis thomistarum, in I part. D. Thomae, quaest. 32, art. 1. Probatur *primo*: quia cognitio evidens rei in seipsa non potest haberi nisi per ipsammet essentiam rei intelligibiliter unitam intellectui vel per speciem intelligibilem quidditative et adaequate eam repraesentantem. Sed Deus nec ut Unus, nec ut Trinus potest sic adaequate uniri intellectui extra visionem beatam; nec potest dari species illum sic quidditative repraesentans, ut statim dicetur. Ergo, etc. Probatur *secundo*: quia si foret possibilis talis cognitio evidens, fuisset in Christo. Sed in illo non fuit nisi per scientiam beatam, ut docet D. Thomas, IIIa part., quaest. 11, art. 1. Ergo, etc.

De cognitione autem evidenti in attestante non est dubium: quia cum ad istam solum requiratur quod evidenter et certo cognoscatur Deum esse infallibilem in revelando et ipsum esse qui revelat; quo modo prophetae et multi alii sancti cognoverunt mysteria divina in hac vita *quoad an est*.

Secunda pars de cognitione inevidenti et obscura per fidem *quoad an est* de fide est, de quo late doctores in materia de fide ad IIam IIae D. Thomae, quaest. 1, etc.

Tertia pars de cognitione per aliquod lumen supernaturale donorum superadditum fidei vel saltem alicuius gratiae gratis datae communiter recipitur; hoc enim est officium donorum Spiritus Sancti, maxime intellectus,

---

(1) *De Genesi ad litteram libri duodecim*, lib. XII, cap 27, num. 55, fine; Migne, P. L., t. 34, col. 477-478: *Sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit* (II *Cor.* XII, 3), *cum in illam rapitur et subvehitur visionem.* — Refertur a D. Thoma, IIa IIae, quaest. 175, art. 4, *Sed contra.*

sapientiae et scientiae; nam per donum intellectus penetrantur credibilia per fidem, per donum sapientiae iudicatur de illis per altissimas causas, per donum scientiae per causas inferiores; concurruntque ad contemplationem, quae principaliter dicitur actus doni sapientiae, per quod intellectus illustratus cognoscit perfectius et clarius, immo et dulcius res divinas creditas per fidem; quae quidem tribuit actui certitudinem, dona autem manifestationem et claritatem infra tamen evidentiam, quae reservatur pro patria. Dixi *vel alicuius gratiae gratis datae*, qûia potest contemplatio ab illa etiam procedere; si enim quis certus esset quod contemplatio sua procedat a donis, certus etiam esset de statu gratiae, dona enim cum gratia infunduntur.

Haec igitur contemplatio vel est affirmativa, quando cognoscimus per illam attributa et perfectiones Dei positivas *quoad an est*. Vel potest esse negativa, quando removemus a Deo omnem perfectionem positivam, eo quod non sint in illo eo modo quo illas concipimus in hac vita, et ita coniungimur Deo per intellectum tanquam prorsus ignoto; qui quidem modus cognoscendi Deum per negationem etiam potest fieri per lumen naturale, sed non ita firmiter et perfecte quomodo per fidem et lumen donorum; vel denique devenimus per istam negationem ad aliquem conceptum Dei perfectissimum tanquam obiectum nobis incomprehensibile et omnibus perfectionibus infinite perfectum omnesque perfectiones a nobis cognitas supergrediens. Ad omnes istas contemplationes inserviunt dona praedicta, quibus obiecta cognita per fidem obscuram ut plurimum ita repente et breviter illuminantur, sicut a fulgure in nocte tenebrosa illuminantur res materiales. Hoc tamen tantum *quoad an est*, vel *quia est*, vel quoad aliquas similitudines; quid enim Deus sit, non cognoscitur extra visionem beatam nisi tantum obscure et confuse plus minusve iuxta perfectionem luminis.

Quarta denique pars conclusionis non est ita communis mysticorum doctorum; licet enim omnes concedant aliquam perfectissimam Dei notitiam quae sit veluti media inter fidem obscuram et visionem claram et beatificam, aliqui tamen dicunt hanc maiorem perfectionem cognitionis Dei solum provenire ex gustu et experientia voluntatis Deo unitae; quae quidem experientia dulcedinis Dei cum illa cognitione obscura intellectus quae dicitur *contemplatio Dei in caligine*, componunt istam perfectissimam huius vitae contemplationem. Alii vero dicunt praeter experientiam et gustum voluntatis etiam in intellectu resultare clariorem cognitionem provientem ex aliqua luce transeunte superaddita, quae quidem sit perfectior et clarior luce donorum et quaedam participatio luminis gloriae, licet deficiens in claritate, ut non excedat limites obscuritatis fidei, multo tamen propinquior visioni Dei clarae omnibus aliis contemplationibus huius vitae. Et hanc ultimam expositionem potius secuti sumus in *Catena mystica Carmelitana* (2) cum plurimis auctoribus nostris quos *ibi* retulimus; verum hoc infra per alias quaestiones amplius explicabitur.

Contra *primam* partem est opinio aliquorum extra scholam D. Thomae, qui admittunt notitiam evidentem Trinitatis in seipsa extra visionem beatificam; tum quia non repugnat species quae repraesentet quidditative et evidenter Deum ut Trinum, quam quidem speciem habuit Paulus cum recordaretur se vidisse Deum Unum et Trinum; tum quia sicut cognoscimus evidenter *quoad an est* Deum ut Unum ex effectibus natura-

(2) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 2, 3, 24 y 25; pp. 10a-25b y 199a-216b; praesertim autem in conclusionibus, ubi propriam sententiam exponit.

libus, ita possumus evidenter eum cognoscere saltem *quoad an est* ex effectibus supernaturalibus. — Respondetur tamen ad primam: talem speciem repugnare, ut dicemus quaestione sequenti; species autem remanens in Paulo non erat mysterii Trinitatis in se quidditativa et clara, sed ipsius visionis Dei Trini et Unius. Species autem visionis Dei solum confuse et indirecte Deum repraesentat. — Ad *secundam* negatur assumptum; quia effectus supernaturales etiam procedunt a Deo ut uno, cum tres divinae Personae operentur per eandem potentiam, opera enim Dei ad extra sunt indivisa.

Obiicies praeterea cum Bañez (3) qui negat extra visionem beatam posse nos cognoscere mysterium Trinitatis et alia divina mysteria evidenter in attestante, hoc est, cognoscendo evidenter Deum esse qui revelat talia mysteria; quia non potest cognosci evidenter Deum esse qui revelat, quin ipse Deus evidenter cognoscatur. — Respondetur negando assumptum loquendo de cognitione evidenti *quoad quid est*, de qua est quaestio. Si enim in testimonium Trinitatis fieret aliquod miraculum evidens quod solus Deus potest efficere, puta resurrectio mortui vel visus caeci nati, evidenter cognosceretur Deum esse qui illud attestaretur, quin cognosceretur evidenter Deus in seipso. Similiter si Deus vel per se, vel per angelum (quod solum potest angelus facere ut instrumentum Dei) producat speciem in intellectu quae evidenter repraesentet habitum fidei Trinitatis, v. g. Item si in testimonium illius producat in mente aliquem habitum supernaturalem et nobis illum evidenter ostendat, etc.

Contra *secundam* partem nullus est Catholicus qui aliquid obiiciat. Solutio autem obiectionum haereticorum ad scholasticos pertinet. — Quoad *tertiam* partem quidquid poterit obiici, afferetur infra in suo proprio loco, ubi S. Dionysius agit de cognitione Dei per affirmationem, negationem et excessum.

Contra *ultimam* partem sentiunt illi qui dicunt mysticam theologiam proprie et perfecte sumptam consistere in actu voluntatis percipientis gustum Dei in intima unione et nullo modo in actu intellectus, vel quia putant aliqui posse dari actum voluntatis quin praecedat actus intellectus; vel quia etiamsi admittatur actus intellectus praecedens, non ideo resultaret in illo perfectior cognitio ex perceptione voluntatis, nec illa cognitio pertineret ad illum perfectissimum gradum theologiae mysticae. De hac tamen opinione infra nobis erit disserendum.

QUAESTIO VIII

UTRUM PRAEDICTAE COGNITIONES FIANT PER ALIQUAM SPECIEM CREATAM REPRAESENTATIVAM DEI?

Supponimus dari in intellectu possibili species naturales non solum repraesentativas universalium, quales sunt illae quae ab intellectu agente producuntur; sed etiam particularium quae relictae fuerunt ex cognitione ipsorum singularium per conversionem ad phantasmata vel arguitive ab intellectu. Quae quidem species nimis confusae sunt et parum de obiecto repraesentant, unde necesse est quod per laborem discursus indagetur veritas rerum.

Aliquando ex ipsismet speciebus taliter vel taliter ordinatis a Deo oritur perfectior cognitio. Aliquando

(3) *Scholastica commentaria in secundam secundae Angelici Doctoris S. Thomae*, quaest. 5, art. 1; Duaci, 1615, t. I (III), pp. 221ª-225ª; praesertim §. *Tertia sententia*, p. 222ᵇ et conclus. 2 sqq., p. 223ª sqq.

etiam infundit Deus in intellectu species supernaturales quae clarissime et perfectissime repraesentant res prout sunt in seipsis, sive sint substantiae materiales, sive spirituales, sive accidentia et perfectiones supernaturales; et ideo non indigent discursu, sed per illas simplici intuitu penetratur veritas rerum.

Solet etiam Deus cum istis speciebus intelligibilibus infusis (ut docet D. Bernardus, *Serm* 41 *in Cant.* (1)) infundere aliquando etiam species sensibiles in imaginatione et phantasia, ut melius et facilius possit homo aliis explicare per figuras et similitudines quae supernaturaliter cognovit, et ut splendor specierum intelligibilium infusarum magis attemperetur debili captui nostro pro hoc statu.

Quaeritur ergo an dentur aliquae ex iis speciebus quae Deum aliquo modo repraesentent, in aliqua ex praedictis cognitionibus Dei; quam tamen quaestionem in plura dubia dividemus ob maiorem resolutionis claritatem.

DUBIUM I

Quaenam species inserviant ad cognitionem ordinariam quam habemus per fidem?

Conclusio: Ad actum fidei supernaturalis concurrunt species naturales et acquisitae, nec est necesse quod sint supernaturales et infusae per se. Haec est communis thomistarum, quam etiam tenet Vazquez, *In I*^{am} *part.*, disp. 43, cap. 5 (2). Probatur: tum quia Deus, Trinitas et alia obiecta supernaturalia non cognoscuntur a nobis prout sunt in se, sed per analogiam et ad instar rerum materialium et naturalium; ita ut species quae per se primo repraesentant res materiales, secundario per quandam assimilationem repraesentent res divinas, supernaturales et spirituales. Sed species debent proportionari et esse eiusdem ordinis cum obiecto primario repraesentato et non cum secundario. Ergo, etc. Tum etiam, quia species propriae obiectorum supernaturalium repraesentant illa ut sunt in se et non possunt deservire cognitioni fidei, quae est aenigmatica.

Tum denique, quia, iuxta doctrinam D. Thomae, perfectio cognitionis saltem iudicativae quando est abstractiva, proportionatur lumini et non speciei; I^{a} Part., quaest. 12, art. 3, ad 2; et II^{a} II^{ae}, quaest. 173, art. 2; et *De veritate*, quaest. 12, art. 7 (3) et quaest. 8, art. 4, ad 5 (4). Cuius ratio est: quia species quae inserviunt apprehensioni, v. g., Dei et Trinitatis sunt naturales, utpote quae non repraesentant Deum et Trinitatem ut est in se, sed per similitudinem analogam rerum naturalium. Sed istaemet species inserviunt ad iudicium fidei quod sit Trinus (cum in isto secundo actu nihil de novo repraesentetur, quod in apprehensione non fuerit repraesentatum). Ergo solum debent proportionari actui apprehensionis, qui ab illis immediate procedit; et non actui iudicii, qui mediate et remote.

Obiicies *primo*: Species impressa debet proportionari obiecto cuius est vicaria et mediante qua obiectum concurrit ad actum. *Secundo*: Species impressa debet proportionari speciei expressae seu actui qui ab illa procedit. *Tertio*: quia si Deus concurrat ad actum fidei cum intellectu, v. g., pueri qui nondum habet species naturales sufficientes, debet consequenter ei infundere species ad illum actum necessarias; ergo saltem in hoc casu erunt species infusae sine inconvenienti quod tetigimus in secunda probatione.

(1) num. 3 et 4; Migne, P. L., t. 183, col. 986.

(2) *Commentariorum ac Disputationum in Primam* disp. 43, cap. 5, num. 21; Antverpiae, 1621, t. I, p. 226^{a}. — In ed. 1684 erronee legitur; « *disp.* 45 ».

(3) Ed. Vivès, t. XIV, pp. 614^{a}-617^{a}.

(4) T. cit., p. 488^{b}.

Respondetur ad primam distinguendo: debet proportionari cum obiecto primario, concedo; cum secundario, nego. Primarium enim quod repraesentat, est aliqua res materialis et naturalis, ut dictum est. — Ad secundam etiam respondetur distinguendo: debet proportionari actui qui immediate ab illa procedit, qualis est apprehensio, concedo; actui qui mediate et remote, quale est iudicium fidei, nego. — Ad tertiam respondetur: in illa suppositione quod Deus velit concurrere cum intellectu nondum habente species et proinde illas infunderet, tales species fore infusas per accidens et solum quoad modum productionis supernaturalis, cum deberent repraesentare res materiales sicut illae quae fuissent acquisitae. Si autem Deus infunderet species per se infusas seu simpliciter supernaturales repraesentantes proinde obiectum sicut in se est, non essent aptae ad iudicium fidei obscurae, sed scientiae infusae et evidentis.

DUBIUM II

Quaenam species requirantur ad cognitionem Dei evidentem in attestante?

Conclusio: Aliquando sufficiunt species naturales et acquisitae, ut dictum est de actu fidei; aliquando requiruntur species supernaturales et infusae. Probatur quoad *primam* partem: quia cognitio evidens in attestante (ut diximus quaest. 7) non est cognitio Dei prout est in se, sed tantum quod sit Deus ille qui revelat. Sed hoc potest fieri vel impediendo haesitationem intellectus, vel per aliquod miraculum, quod potest cognosci per solas species naturales et acquisitas. Ergo, etc. Probatur minor: quia in testimonium quod Deus sit qui loquitur, potest adduci resurrectio alicuius mortui vel largitio visus caeco nato. Sed ad cognoscendum hominem esse mortuum sufficit species naturalis cadaveris exanimis, foetidi et sepulti vel forte iam ad ossa resoluti; et ad cognoscendum iam esse vivum etiam sufficiunt species naturales loquentis et se moventis, etc. Similiter de caeco nato et de visu ei divinitus collato, et maxime si sit idemmet resurgens et videns cui Deus attestaretur; et ex alia parte evidenter constat hoc non posse naturaliter fieri. Ergo, etc.

Quoad *secundam* partem probatur: quia in praedictum testimonium potest Deus infundere habitus supernaturales et evidenter mihi ostendere ipsos habitus supernaturales quos infundit, v. g., fidem, gratiam et dona. Sed ex suppositione quod Deus velit hoc modo attestari se loquentem, requiritur infusio specierum talium habituum; quae necessario debent esse supernaturales et infusae per se, cum non possint naturaliter produci et acquiri, nec species naturales et acquisitae possunt habitus illos clare repraesentare. Ergo, etc.

Obiicies: Deus non potest cognosci *quoad an est*, quin aliquo modo cognoscatur *quoad quid est*, iuxta doctrinam D. Thomae, in *Boetium de Trinit.* (5) et Aristotelis, I *Physicorum* (6). Sed non potest dari species per quam Deus cognoscatur evidenter *quoad quid est*. Ergo nec species qua cognoscatur evidenter *quoad an est*. — Respondetur: hoc argumentum vel nihil probare, vel nimium ;quia non potest negari Deum *quoad an est* posse etiam naturaliter cognosci evidenter, ut diximus quaest. 6, et supernaturaliter

(5) *Opusc.* LXIII: *In librum Boetii De Trinitate expositio*, quaest. 1, art. 2; ed. Vivès, t. XXVIII, pp. 489a-491a.

(6) cap. 1, num. 4-5; Didot, t. II, p. 248; Bekk., 184a, 23 sqq.

evidentia in attestante, ut diximus quaest. 7. Unde solum sequitur ex eo quod Deus cognoscatur vel evidenter, vel inevidenter *quoad an est*, cognosci etiam aliquo modo *quoad quid est*, nempe confuse et imperfecte, sicut eum cognoscimus ex speciebus rerum sensibilium. Aliud enim est cognoscere evidenter attestationem esse Dei, aliud cognoscere evidenter ipsum Deum qui attestatur; illud enim est solum evidentia attestationis, hoc autem est evidentia Dei. Sicut meridie in nubilo videmus lucem et ex ea cognoscimus evidenter esse solem in nostro hemisphaerio, licet non videamus solem ipsum in se.

Si obiter quaeras an quando Deum cognoscimus ex speciebus rerum sensibilium, formemus proprium conceptum Dei et an sit simplex vel complexus? — Respondeo: duplicem conceptum formari: unum ipsius rei sensibilis primario repraesentatae per speciem, alterum confusum et respectivum quo cognoscitur Deus tanquam quid simile aliquo modo illi rei, v. g., soli, vel luci, vel nebulae, sed infinite eam excedens. Qui quidem conceptus proprius est Dei, cum non possit alteri accomodari; ex qua cognitione remanent etiam species in intellectu, quibus possumus uti quoties Deum intelligere volumus.

Iste autem conceptus quem de Deo formamus, solet esse complexus seu mixtus ex negativo et positivo vel ex relativo et absoluto, ut bene advertit Molina, I part., quaest. 13, art. 1, ad 2 (7). Licet non recte asserat omnem conceptum Dei esse huiusmodi; potest enim multoties esse simplex, ut docet Fonseca et Suarius; quia Deus voce simplici significatur a nobis et cum voces sint signa conceptuum, datur etiam conceptus simplex qui Deum confuse repraesentet, sicut significatur voce illa; quem quidem conceptum possumus efformare ex praedictis conceptibus complexis.

DUBIUM III

Utrum per solas praedictas species naturales et sine novo lumine infuso praeterquam fidei possit Deus cognosci et mysteria divina maiori claritate et certitudine quam ordinaria ipsius fidei?

Conclusio: Potest Deus ita specialiter applicare, vivificare et adiuvare lumen fidei, ut sine novo alio lumine superaddito, nec aliis speciebus praeterquam acquisitis possimus ipsum Deum et mysteria divina maiori claritate et certitudine cognoscere quam antea cum ipsomet lumine et speciebus; ita ut illa maior claritas et certitudo intelligatur ex parte nostra et non ipsius fidei. Probatur: quia in hoc nulla datur implicatio; sicut enim eadem potentia visiva aut intellectiva magis roborata, vivificata et adiuta potest lumine naturali melius et perfectius cognoscere, ita etiam habitus fidei perfectiorem elicere actum, habet enim se habitus supernaturalis per modum potentiae proximae ad suos actus.

Dices: Certitudo fidei est infallibilis et simul est essentialiter obscura. Ergo non potest augeri eius certitudo, nec eius obscuritas clarescere. — Respondeo distinguendo consequentiam: ex parte ipsius fidei, concedo; ex parte nostra, nego. Nam ex parte subiecti seu intellectus non solum potest illa certitudo augeri per maiorem radicationem habitus, sed per exclusionem duritiei cor-

(7) MOLINA (LUDOVICUS —), S. I., *Commentaria in Primam D. Thomae partem in duos tomos divisa*, quaest. 13, disp. 1, §. *Ad hoc ergo;* Lugduni, 1622, t. I, p. 145b.

dis et haesitationis intellectus; sicut, attenuata nebula aëris vel oculorum, augetur nobis claritas solis, quin ipsa augeatur in seipsa. Similiter obscuritas fidei non potest tolli, sed tollitur a nobis confusio specierum naturalium quibus divina mysteria per sensibilia cognoscimus, ut melius penetrentur eorundem congruentiae et rationes; quod magis est tollere seu minuere obscuritatem rationis quam fidei.

DUBIUM IV

Quaenam species inserviant contemplationi infusae per affirmationem?

Conclusio: Ad contemplationem affirmativam Dei, ad quam ipse concurrit speciali auxilio et motione et potest provenire ab aliquo dono Spiritus Sancti, vel ordinantur species naturales iam praehabitae, vel infunduntur novae et supernaturales, in quibus essentiae rerum vel materialium vel spiritualium repraesententur. Probatur: quia species naturales iam praehabitae ita possunt a Deo ordinari et disponi, ut clarius et perfectius repraesentent effectus Dei; ex quo et lumine infuso superaddito perfectius etiam penetrentur divinae perfectiones contemplandae.

Deinde per species supernaturales repraesentantes essentias rerum sive materialium, sive spiritualium, puta animarum, vel angelorum, aut etiam habituum supernaturalium, nempe gratiae, fidei, spei, etc., clarius et simplicius cognoscit intellectus, nec indiget discursu et labore ad investigandam veritatem, sicut indiget utendo speciebus naturalibus, quae sunt nimis confusae. Ex illarum igitur rerum cognitione, utpote effectuum Dei perfectiorum et clarius cognitorum, possumus devenire in perfectiorem cognitionem Dei quam ex cognitione sensibilium et melius penetrare perfectiones eius, quamvis semper confuse. Videatur D. Thomas, I^a part., quaest. 12, art. 13.

Si obiicias *primo*: species repraesentantes essentias rerum materialium vel substantiarum spiritualium non posse esse supernaturales; siquidem naturae repraesentatae sunt naturales. — *Secundo*: non melius cognosci Deum per istas species rerum spiritualium quam per naturales aliquarum rerum materialium; quia, ut ait Dionysius, *De Divinis Nominibus*, cap. 4 (8), radius solaris maxime habet similitudinem divinae bonitatis. — Respondetur ad *primam*: quamvis illae species non sint supernaturales per ordinem ad obiectum repraesentatum, esse tamen supernaturales per ordinem ad subiectum seu intellectum; quia sunt illi indebitae saltem pro hoc statu et similiter cognitio talium essentiarum inde procedens. — Ad *secundam*, negatur assumptum. Ad S. Dionysium respondet D. Thomas, I^a part., quaest. 93, art. 2, ad 2: assimilare *radium solarem divinae bonitati quantum ad causalitatem, non* autem *secundum dignitatem naturae*. Unde ibi in corpore articuli dicit assimilari creaturas Deo primo secundum quod sunt; secundo, quatenus vivunt; tertio, quatenus intelligunt; quo in creaturis nihil est propinquius Deo; unde *solae intellectuales creaturae proprie loquendo sunt ad imaginem Dei* (8bis). Ac proinde perfectius ex illis cognoscetur quam ex materialibus.

---

(8) §§. 1 et 4; Migne, P. G., t. 3, col. 693 et 697. (8bis) *Ib.*, corp.

DUBIUM V

Utrum ad contemplationem Dei per remotionem et negationem requiratur aliqua species?

Quaestio potest procedere vel de contemplatione acquisita, qua per industriam et diligentiam propriam pervenimus ad contemplandum Deum in obscuritate et caligine; vel de contemplatione infusa ex speciali auxilio et donis Spiritus Sancti. Rursus contemplatio acquisita per negationem vel potest fieri *primo* per meram negationem cognitionis, dum intellectus removendo a Deo quidquid potest cognoscere, cessat a cognoscendo in illa carentia omnium cognitionum detentus, innitens tamen et anhelans ad illius cognitionem. *Secundo*, advertendo simul se nihil cognoscere aut cognoscere posse de Deo ut in se est. *Tertio*, attendendo ad illam caliginem et obscuritatem sub qua Deum proponit. *Quarto*, formando aliquem conceptum supereminentem de Deo ut quid perfectissimum excedens omnem cognitionem.

Sit ergo *prima* conclusio: In mera negatione cognitionis non datur aliqua species; species enim dantur ad cognoscendum et non ad carentiam cognitionis; sed quia intellectus simul potest insistere et attendere in cognoscendo Deum sibi ignotum, tum saltem ex obliquo illi proponitur Deus confuso modo per aliquam speciem naturalem quae Deum secundario repraesentat, ut diximus de speciebus fidei servientibus. Ratio est: quia non potest intendere cognoscere Deum ut est in se, quin illi proponatur vel naturaliter, vel per fidem saltem confuso modo id quod vult cognoscere, vel praesupponatur cognitum *quoad an est*.

In *secundo* modo quando simul advertit se nihil cognoscere de Deo, sive hoc fiat per ipsammet cognitionem in se reflexam, sive per aliam, necessaria erit illa species quae requiritur ad cognitionem cognitionis, vel ipsamet cognitio cognita quae supleat vicem speciei; haec tamen species non est Dei, sed cognitionis Dei, et dum ista cognoscitur, aliquo modo interrumpitur contemplatio vel non ita est perfecta sicut quando directe Deum attendit sine reflexione.

In *tertio* modo dum intellectus attendit ad caliginem illam quae ut mera carentia non cadit sub obiecto intellectus, necessario illam debet cognoscere vel ad modum quo cognoscit tenebras naturales ad modum alicuius rei positivae, vel ad modum alicuius magnae lucis perstringentis oculos; quae cognitio, ut patet, per aliquam speciem naturalem debet fieri, quae primario repraesentet tale obiectum creatum et secundario referatur ad Deum sic obscure et confuse repraesentatum.

In *quarto* modo dum formamus de Deo aliquem conceptum supereminentem mixtum ex positivo et negativo, scilicet perfectionis infinitae, incomprehensibilis, incognoscibilis pro hoc statu, etc., necessaria est species quae repraesentat illam perfectionem saltem ad modum creatarum per aliquam speciem naturalem iam acquisitam adiuncta simul specie ad illum conceptum negativum, scilicet infinitatis aut incomprehensibilitatis, eo modo quo possumus has negativas perfectiones ex creatis cognoscere, quod semper fit sub quadam confusione et ignorantia.

Secunda conclusio: In contemplatione infusa in caligine ad quam possumus elevari per speciale auxilium et quae procedit ab aliquo dono Spiritus Sancti, omnibus illis quatuor modis se potest habere intellectus; sed cum illa cognitio procedat a luce superiori, altiori etiam modo se habet in illis et cum minori dependentia a phantasmatibus. Potest enim Deus vel ordinare taliter species praehabitas, ut perfectius repraesentent; vel infun-

dere species clariores et perfectiores tum ad melius penetrandum Deum esse incognoscibilem, tum ad apprehendendam illam caliginem, tum etiam ad formandum conceptum illum perfectionis divinae ut infinitae et incomprehensibilis; quae quidem species licet primario repraesentent perfectionem aliquam creatam illustriorem et perfectiorem quam ex industria nostra possemus intelligere, non repraesentabunt Deum nisi secundario, perfectius tamen concurrent ad cognitionem infinitatis et incomprehensibilitatis *quoad an est*. Si enim ex solis speciebus naturalibus et lumine vel naturali vel fidei aliquando ita miramur aeternitatem aut infinitatem ut multum excedat haec cognitio illam quam ordinarie de illis habemus, quanto magis hoc eveniet quando Deus sapienter ordinat praehabitas species vel novas infundit ad hoc intentum?

Conclusiones istae sic explicatae non indigent maiori probatione, cum ex terminis ipsis et ex iam dictis et dicendis constare videantur. Si tamen obiicias *primo* contra id quod diximus de primo modo se habendi intellectus: Si in mera carentia cognitionis maneret intellectus suspensus ab operatione ut nihil cognoscat de Deo, etiam voluntas maneret suspensa et nihil amaret. Sed experientia constat et ex doctrina mysticorum voluntatem in illa contemplatione caliginosa ardenter in Deum ferri. Ergo non potest non intellectus aliquid intelligere. Minor patet: quia voluntas non potest amare, quin intellectus proponat obiectum.

Respondeo: distinguo maiorem: si intellectus nihil cognoscat de Deo *quoad quid* et *quoad an est*, concedo; solum *quoad quid est*, nego. Unde etiam distinguo consequens: non potest non aliquid intelligere saltem *quoad an est*, concedo; *quoad quid est*, nego. Itaque intellectus dum intendit cognoscere Deum *quoad quid est*, ab eo removet omnem positionem et denique remanet suspensus in cognoscendo quid Deus sit; sed non desinit cognoscere per fidem aut per aliquam aliam lucem quid est; immo iam experientia doctus perfectius cognoscit quia est infinite excedens omnia, quia est incomprehensibilis et quia incognoscibilis ut in se est pro hoc statu. Unde voluntas fertur in Deum sic ignotum *quoad quid est* et notissimum *quoad an est*, et magis excitatur amore videndi et cognoscendi Deum.

Obiicies *secundo* contra id quod diximus de tertio modo: Si intellectus cognosceret illam caliginem sicut cognoscit tenebras ad modum rei positivae, deciperetur. Sed non debet admitti deceptio in intellectu contemplante ex lumine fidei. Ergo, etc.

Respondetur distinguendo maiorem: si ita iudicaret, concedo; si solum apprehenderet, nego; in simplici enim apprehensione non datur deceptio, immo corrigitur per iudicium fidei caliginem illam non esse sicut apprehenditur; apprehenditur autem sic, quia non possumus cognoscere non entia nisi ad modum entis. Fides autem non potest tollere ab intellectu quod est de eius essentia, nec facere quod non ens ut est in se sit obiectum illius; illustrat tamen illum, ne decipiatur in iudicando ea quae ad fidem pertinent.

Obiicies *tertio* contra id quod diximus de quarto modo, scilicet quod ad conceptum illum positivum in quem solet terminari contemplatio negativa, sufficiant species naturales: Quia ex Dionysio Cartusiano, in *Comment. ad Areopagitam De Mystica Theologia* (9), ad istam contemplationem infunduntur species quae per

(9) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae*: a) *Commentaria in librum De Mystica Theologia*, art. 3; b) *Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 2, §. *Ex his; Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, pp. 450a-451b et 488a sqq.

se primo Deum repraesentant immediate. — Respondetur: quaestionem esse infra resolvendam an Dionysius Cartusianus et alii ex antiquioribus mysticis cognoverint aliam perfectiorem contemplationem mysticae theologiae quam illam in caligine, necne? Quid etiam dicendum sit de speciebus servientibus supremae contemplationi, discutietur duabus mox sequentibus quaestionibus. Interim non videtur inconveniens admittere quod etiam in ista contemplatione in caligine ad formandum illum conceptum positivum possint a Deo infundi tales species ipsum immediate repraesentantes clare *quoad an est* et aliquo modo, saltem confuse, *quoad quid est*. Sed quod illas sic de facto semper infundat, non mihi probatur, cum ad illum conceptum videantur sufficere species naturales modo dicto, salvo tamen meliori iudicio.

DUBIUM VI

Quaenam species concurrat ad ultimum et perfectiorem gradum contemplationis theologiae mysticae infusae?

Ab hac quaestione facile se expediunt qui istum gradum theologiae mysticae in sola voluntate constituunt, sive praecedat actus intellectus contemplationis in caligine, sive non ; tunc enim sola notitia experimentalis voluntatis gustantis Deum in unione fruitiva constituit istum gradum, ad quam notitiam nulla requiritur species vel si praesupponat contemplationem in caligine, non alia requiritur quae immediate repraesentet Deum, sed quae primario creaturam, ut diximus quaestione praecedenti. Verum quia istam opinionem non sequuntur recentiores propter rationes suo loco adducendas, ideo ex suppositione quod iste ultimus gradus theologiae mysticae consistat principaliter in actu intellectus et iste sit adeo perfectus et clarus ut communiter dicatur visio Dei, et ita sit immediata cognitio Dei ut non admittat medium creatum cognitum ut *quod*, sed ad summum speciem seu medium *quo*, ut ex S. Dionysii doctrina patet; restat inquirere quaenam sit ista species aut quomodo exerceatur praedicta contemplatio?

Conclusio: Probabilis valde est sententia quae asserit ad hanc contemplationem concurrere speciem creatam quae Deum obiective et immediate *quoad an est* et saltem secundario aliquo modo *quoad quid est*, confuse tamen, universaliter et imperfecte repraesentat. Hanc ex nostris sequitur P. Thomas a Iesu, *De contemplatione*, lib. V, cap. 14, (10) cum nonnullis quos citat; ut probabilem etiam admittit. P. Philippus a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, III part., tract. I, disc. 2, art. 1 (11), et saltem quod sit possibilis talis species a fortiori debent admittere, qui possibilem dicunt speciem creatam quae Deum *quidditative* repraesentet prout est in seipso, ut cum Aureolo (12) et Scoto (13) tenet Suarius, *In I^am partem*, lib. II, cap. 13 (14); Valentia,

---

(10) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 14; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, pp. 176ª-178ª.

(11) Ed. 1874, t. III, p. 58.

(12) AUREOLUS (PETRUS-VERBERIUS), O. Min., Cardin., *Commentarii in quatuor libros Sententiarum*, lib. IV, dist. 49, quaest. 2; Romae, 1596-1605, t. IV, pp. 232b-240b. — Cf. SALMANTICENSES, tract. II, disp. 2, dub. 4, num. 118; ed. Palmé, t. I, p. 152b.

(13) *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, dist. 49, quaest. 11, num. 6 (fine) et 10; *Opera omnia*, Parisiis, L. Vivès, t. XXI, p. 392ª et 418b. — Cf. SALMANTICENSES, l. c.

(14) *In primam partem Div. Thomae*, tract. I, lib. II, cap. 13; *Opera omnia*, Parisiis, L. Vivès, t. I, pp. 92b-99b.

tom. I, disp. 1, quaest. 12, punct. 2 (15); Vazquez, I[a] part., disp. 38, cap. 2 (16) et alii quos citant et impugnant nostri Salmanticenses, tom. I, tract. II, disp. 2, dub. 4 (17).

Probatur *primo*: quia ista contemplatio est adeo sublimis, clara et perfecta, ut omnes alias extra visionem beatificam excedat; unde a mysticis solet appellari *visio* et unio immediata intellectus cum Deo, contactus intellectus cum essentia divina; quae omnia petunt ut nullo obiecto mediante fiat ac proinde quod fiat per speciem propriam Dei ipsumque immediate repraesentantem modo dicto.

Probatur *secundo*: quia nulla apparet impossibilitas huius speciei, ut patebit ex solutione argumentorum. Et omnes rationes quae afferuntur a thomistis ad probandam impossibilitatem speciei, solum militant contra speciem repraesentativam Dei clare, perfecte, quidditative et intuitive; non tamen contra istam quae imperfecte et confuso modo quidditatem Dei repraesentet quoad praedicata generalia.

Probatur *tertio*: quia sicut non repugnat per speciem creaturarum cognoscere Deum abstractive et *quoad an est*, ita non repugnabit species propria Dei quae ipsum abstractive et *quoad an est* repraesentet. Sed ista repraesentatio petit quod aliquo modo confuse et generaliter repraesentetur *quoad quid est*. Ergo non potest repugnare species quam admittimus in conclusione, quae scilicet sit propria Dei et Deum repraesentet *quoad an est* et aliquo modo confuse *quoad quid est*. Consequentia patet: quia non est differentia harum specierum. Maior etiam liquet: non enim apparet repugnantia. Minor probatur: quia non potest dari cognitio *quoad an est*, quae simul non sit aliquo modo et saltem confuse *quoad quid est*, ut diximus ex D. Thoma et Aristotele, dub. 2 in obiectione; ergo species talis cognitionis utroque modo debet repraesentare obiectum. Confirmatur: quia, iuxta Salmanticenses, loc. cit., num. 127 (18), ideo non repugnat species Deum repraesentans abstractive tantum, quia talis intelligibilitas est imperfecta et non potest convenire essentiae divinae. Sed etiam intelligibilitas huius speciei est imperfecta, non enim est perfecte intuitiva, nec quidditativa, nec clara. Ergo, etc.

Obiicies *primo*: Species repraesentativa Dei immediate et obiective non potest concurrere ad cognitionem immediatam quidditativam et intuitivam. Sed haec non datur extra visionem beatam. Ergo, etc. — *Secundo*: Essentia Dei est ipsamet intelligibilitas sui. Ergo non potest reddi intelligibilis per aliquam speciem. — *Tertio*: Ista species in esse repraesentativo nec conveniret cum Deo analogice tantum, alioquin per quoslibet effectus creatos posset Deus sic cognosci; nec univoce et generice, quia Deus non est sub genere cum aliqua creatura; nec etiam univoce et sub ratione atoma, quia sic esset perfecte et quidditative repraesentativa Dei. — *Quarto*: Quia quocumque modo repraesentet Deum, debet esse eiusdem immaterialitatis cum Deo; siquidem naturaliter et primario eum repraesentat ac proinde etiam in quarto gradu immaterialitatis essendi suum esse per modum actus purissimi, quod soli Deo convenit. Ergo, etc. — *Quinto*: Quia Deus quocumque modo sumatur, est ens incircumscriptum continens in se quidquid potest intelligi. Omnis autem species creata est limitata et determinata. Ergo nullo modo potest Deum repraesentare.

---

(15) VALENTIA (GREGORIUS DE —), S. I., *Commentariorum theologicorum tomi quatuor*, Ingolstadii, 1603, t. I, disp. 1, quaest. 12, punct. 2, §. *Tertium autem* sqq., col. 230-232.

(16) VAZQUEZ (GABRIEL —), S. I., *Commentariorum ac Disputationum in Primam* disp. 38, cap. 2; Antverpiae, 1621, t. I, pp. 201a-203a.

(17) Ed. V. Palmé, t. I, pp. 152[b] sqq.

(18) Ed. cit., t. I, p. 155[b].

Ad *primam* respondetur ex Dionysio Cartusiano, in *Comment. ad Areopagitam*, quaest. 3 (19): repraesentationem huius speciei et cognitionem quae sequitur ex ea, posse appellari *quidditativam* lato modo et improprie per hoc solum quod aliquo modo sit cognitio *quidditatis;* nam ad cognitionem proprie *quidditativam* requiritur quod cognoscatur obiectum quoad omnes rationes etiam atomas. Et licet sit abstractiva simpliciter, posse tamen aliquo modo etiam et improprie dici intuitivam, quatenus Deus per eam obiective et immediate cognoscitur quoad essentialia et propria sua, quamvis non clare et distincte prout est in seipso, quod requiritur ad perfecte intuitivam.

Ad *secundam* distinguo antecedens: est ipsamet intelligibilitas sui perfecta et denudata ab imperfectionibus, concedo; involvens necessario imperfectionem, nego. Unde neganda consequentia: quia species ista quae solum reddit Deum nobis intelligibilem pro hoc statu *quoad an est* et confuse solum *quoad quid est*, imperfectionem involvit, quae non potest competere essentiae divinae secundum se.

Ad *tertiam* respondetur: hanc speciem quoad munus repraesentandi Deum et perfectiones eius *quoad an est* clare et quasi evidenter non est necesse habere ullam ex praedictis convenientiis in esse repraesentativo; quia sic solum certificat de perfectionibus illis et non illas repraesentat; solum tanquam species creata debet habere convenientiam analogam creaturae cum Deo. Quae quidem claritas tanta est, ut dixerit (20) S. M. N. Theresia (21) se cognoscere in hac contemplatione adeo evidenter mysterium Trinitatis, ut posset disputare cum omnibus haereticis et convincere eos. Quoad munus autem repraesentandi confuse Deum quoad praedicata communia, puta entis, substantiae spiritualis et intellectivae cum addito infinite et incomprehensibiliter, quomodo fiunt praedicata propria Dei, sed semper sub confusione et obscuritate respectu infinitatis et incomprehensibilitatis, si primario ista repraesentaret, haberet quidem identitatem cum Deo in esse repraesentativo confuso, sicut Petrus a longe visus moveri et non expresse cognitus ut Petrus nec ut homo est idem cum seipso in ratione qua cognoscitur, scilicet substantiae, corporis, viventis et animalis. Sed si ista species solum secundario Deum sic repraesentet, sufficit habere cum Deo convenientiam analogam et confusam, perfectiorem tamen et expressiorem quam aliae creaturae, utpote ad hoc munus producta a Deo, nec aliud obiectum repraesentans.

Ad *quartam* distinguo maiorem: eiusdem immaterialitatis cum Deo ut praecise repraesentatur in specie, transeat; ut est in se, nego; in specie autem non repraesentatur expresse ut actus purus, quae est immaterialitas propria Dei, sed secundum gradus communiores in quibus aliquo modo convenit cum creaturis et aliquo modo convenit cum illis in gradu immaterialitatis, puta habendi esse omnino separatum a materia sicut res spirituales, abstrahendo ab hoc an etiam sit separatum ab omni potentialitate. Dixi *transeat maior*: quia illa convenientia in immaterialitate solum petitur in speciebus quae pri-

---

(19) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art 2, §. *Quod autem; Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, pp. 490ª-491b.

(20) « *disserit* » in ed. 1684.

(21) *Vida*, cap. 27; ed. crít., t. I, p. 211: *Se ve el alma en un punto sabia, y tan declarado el misterio de la Santísima Trinidad, y de otras cosas muy subidas, que no hay teólogo con quien no se atreviese a disputar de la verdad de estas grandezas.*

mario ordinantur ad repraesentandum obiectum, hoc autem munus potest esse secundarium in hac specie.

Ad *quintam* distinguo maiorem : est aliquid incircumscriptum in se a parte rei, concedo; ut praecise repraesentatur in specie, nego. Repraesentatur enim confuse quoad praedicata propria Dei saltem in modo habendi illa infinite, incircumscripte et tanquam actus purissimus. Unde non est necesse quod ista perfectio essendi incircumscripte conveniat speciei.

DUBIUM VII

Utrum probabilis sit opinio quae asserit essentiam divinam loco speciei impressae uniri intellectui creato in ista suprema contemplatione theologiae mysticae?

Tanquam probabiliorem sequitur hanc opinionem P. Philippus a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, III part., tract I, disc. 2, art. 1, prope finem (22) et aliis in locis, ubi dicit esse aliorum etiam auctorum. Quibus possumus addere P. N. Petrum a Iesu Maria, *In Apocalypsim*, tom. I, cap. IV, sect. 4, num. 1 (23), ubi hoc expresse docet et pluribus testimoniis Sacrae Scripturae et Patrum per totam sectionem et seq. illam confirmat. Ex quo non sequitur quod anima videat Deum clare et intuitive prout est in se, ut constabit ex rationibus adducendis; ex quibus et ex solutione argumentorum non mihi videtur opinio improbabilis et saltem de possibili non video repugnantiam adeo claram quae convincat non posse essentiam divinam sic uniri per modum speciei intellectui creato ad contemplationem et cognitionem aliquam perfectissimam infra visionem claram.

Probatur ergo *primo* : Quia non est improbabile, quod defendit schola Scoti, posse essentiam divinam ita uniri cum intellectu in ratione speciei, ut non uniantur personae, nec videantur ex vi illius visionis; ergo saltem cum hac probabilitate et a fortiori poterit essentia uniri imperfecte, ut non videatur clare et intuitive sicut in patria. Probatur consequentia : quia ratio qua impugnatur ista sententia Scoti, fundatur in perfectione visionis clarae, intuitivae et quidditativae, cum qua non compatitur videre essentiam non visis personis; et magis videtur repugnare quod essentia divina clare et distincte repraesentet seipsam occultando personas quam quod confuse tantum se et personas repraesentet non ex defectu medii seu essentiae repraesentantis, sed luminis quo unitur intellectui.

Probatur *secundo* : Quia lumen illud quo elevatur et completur intellectus ad hanc mysticam visionem, est quaedam participatio luminis gloriae, ut admittunt auctores mystici saltem recentiores. Ergo ex qua parte est participatio talis luminis, disponit intellectum et petit quod essentia Dei illi uniatur per modum speciei intelligibilis; et ex qua parte est deficiens et imperfectius ipso lumine gloriae, petit quod essentia non uniatur ita perfecte sicut in gloria, sed deficienter, ita ut videatur essentia Dei in se immediate, sed confuso et obscuro modo, non clare et perfecte sicut in patria.

Confirmatur *primo* : Quia lumen gloriae quod est in patria per modum habitus, potest in via communicari per modum actus transeuntis ut Deus clare et distincte, sed transeunter videatur. Ergo non est cur non possit etiam taliter communicari ut solum

(22) Ed. 1874, t. III, p. 58.

(23) PETRUS A IESU MARIA seu DE LA SERNA, O. B. M. de Mercede, *In Apocalypsim*, t. I, cap. IV, sect. 4, num. 1; Matriti, 1670, p. 270a. — Exemplar huius operis (2 t. in-fol.) adest Matriti in bibliotheca S. Isidori, 7-137 et 138.

tribuat facultatem videndi Deum confuse, imperfecte et obscure.

Confirmatur *secundo*: Quia lumen gloriae ita communicatur beatis pro meritis ut omnes videant essentiam Dei, sed nullus comprehendat, et unus magis videat quam alius, et potest videri essentia quin videantur decreta libera vel effectus existentes in aliqua differentia temporis. Ergo per participationem talis luminis imperfectius debet uniri quam minimum lumen in patria, cum lumen participatum sit deficiens ab illo; ac proinde ita poterit uniri, ut videatur essentia deficienter et confuse modo dicto.

Obiicies *primo*: Natura divina est suamet intelligibilitas perfectissima. Ergo non potest uniri per modum speciei, quin videatur perfectissime et quidditative. — *Secundo*: Species quae inservit cognitioni tantum abstractivae vel obscurae, est imperfecta in repraesentando. Ergo non potest suppleri ab essentia divina. — *Tertio*: Quocumque modo uniatur intellectui essentia divina, non potest non uniri ut praesens et ut existens est et ut talis cognosci. Ergo talis cognitio non potest esse abstractiva, sed perfectissime intuitiva.

Respondeo ad *primam*: distinguo consequens: si uniatur etiam adaequate et perfectissime qualiter per lumen gloriae, concedo; si deficienter uniatur per lumen participatum et inferius, nego. Defectus enim huius cognitionis non refunditur in essentiam, sed in lumen; quamvis enim Deus sit summe cognoscibilis, non cognoscitur a nobis nisi iuxta perfectionem luminis vel naturalis, vel supernaturalis; similiter defectu huius luminis non unitur intellectui adaequate in ratione speciei, sed quoad aliqua generalia et confuse, licet tunc *quoad an est* cognoscatur clare.

Ad *secundam* respondeo: distinguo etiam consequens: non potest suppleri ab essentia divina quoad id quod habet imperfectionis, concedo; quoad perfectionem, nego. Species enim creata si daretur, diceret quidem perfectionem in hoc quod esset repraesentativa Dei et hoc suppletur ab essentia divina; diceret tamen imperfectionem in hoc quod solum abstractive et confuse repraesentaret, in quo non suppletur ab essentia, sed a lumine ita deficiente ut non valeat unire essentiam secundum totam suam intelligibilitatem. — Ad *tertiam* respondeo: distinguo antecedens: non potest non cognosci ut praesens et existens *quoad an est*, concedo; *quoad quid est* existentiae et praesentiae saltem clare et distincte, nego. Certificatur enim anima de praesentia Dei, ut Seraphica Mater nostra saepe fatetur, sed quid sit illa praesentia et existentia, non cognoscitur clare et distincte, quod necessarium erat ut esset cognitio Dei perfecte intuitiva.

QUAESTIO IX

QUARE CALIGO ISTA DICATUR SILENTII DOCENTIS OBSCURA ET ARCANA?

Sicut silentium materiale et vocale potest sumi vel pro carentia omnis vocis etiam inarticulatae; vel pro carentia et taciturnitate vocis articulatae seu locutionis; vel pro locutione submissa, ut dicitur *Ioan.*, XI (1): *Vocavit sororem suam in silentio, dicens: Magister adest*, etc.; vel denique pro virtute silentii, quae in medio consistit et non opponitur locutioni necessariae, moderatae et prudenti; sic silentium spirituale et mentale, de quo

(1) v. 28; Hetzenauer, p. 1053: *Vocavit Mariam sororem suam silentio,...*

est quaestio, vel potest sumi pro omnimoda suspensione intellectus; vel pro sola taciturnitate locutionis mentalis, nempe orationis seu petitionis, laudationis et gratiarum actionis, etc.; vel pro intellectione adeo suavi et simplici ut comparetur submissae voci; vel denique pro prudenti et moderata locutione mentali in oratione iuxta regulas bene orandi et meditandi passim traditas.

Dicendum est *primo*: in contemplatione in caligine dari silentium eo sensu quod praeter sensuum quietem, sive intentionalem in contemplatione acquisita, sive violentam in frequenti raptu huius contemplationis infusae, intellectus sine discursu et sine locutione proprie dicta attenta mentis acie Deo assistat. Unde Cartusianus citatus quaest. 3 (2), minus approbat definitionem ab aliquibus traditam de mystica theologia, scilicet quod sit *secretissima cum Deo locutio... Non enim*, inquit, *in mystica theologia dirigitur iugiter sermo mentis in Deum, sed est ipsa mentis in Deum defixio, admiratio maiestatis, suspensio animi in lumen immensum, etc.* Tum etiam, quia actus ipse intellectus quo Deum contemplatur, adeo suaviter elicitur, quasi nihil operetur, sed (ut mystici dicunt) patiatur divina (3).

Hoc est ergo silentium, de quo dicitur *Apoc.*, VIII cap. (4): *Factum est silentium in caelo, quasi dimidia hora.* Ubi Gregorius, XXX *Moralium*, cap. 16 (5): *Silentium contemplationis, quia in hac vita non potest esse perfectum, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo, dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem rursum ad respicienda cordis terrena oculum violenter trahunt, etc.* Hoc est silentium de quo *Sap.*, XVIII cap. (6): *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, etc.* Quia, inquit Henricus Harphius, lib. III *Theologiae mysticae*, part. III, cap. 23 (7), *in caligine cogitationis tenent omnes creaturae silentium, ubi caliginosa nox suum cursum habere cognoscitur, etc.*

Si obiicias silentium istud debere esse non solum a locutione mentali, sed ab omni operatione intellectus. Siquidem S. Dionysius in hoc capite (8) docet Timotheum ut ad illud tendat relinquendo operationes intellectuales. — Respondetur: intellectum in caligine positum nihil quidem cognoscere de Deo quoad quid est et ab hac cognitione suspensus manet, interim tamen non desinit cognoscere Deum *quoad an est*. Contemplatio autem cum sit actus intellectus, licet sit in caligine, non debet appellari illa suspensio cognitionis *quoad quid est*, sed illa concomitans vel supposita cognitio *quoad an est*. In quo sensu possumus dicere Dionysium loqui de operationibus discursivis, ut fusius explicabimus in quaestione super eadem verba.

Dicendum est *secundo*: silentium istud *docere arcana et obscura secreta* (9) ideo dici, quia in contempla-

(2) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 3; *Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, p. 419ᵃ: *Mystica theologia est secretissima mentis cum Deo locutio.... Non enim... mentis ad Deum; sed ipsa...*

(3) Cf. DIONYSIUS AREOPAGITA, *De Divinis Nominibus*, cap. 2, §. 9; Migne, P. G., t. 3, col. 647: *Divina patiendo.* — Text. graec. *ib.*, col. 648.

(4) v. 1; Hetzenauer, p. 1197: ..., *quasi media hora.*

(5) num. 53; Migne, P. L., t. 76, col. 553: ... *terrena cordis oculum violenter trahunt.* — « cap. 12 » in ed. 1684.

(6) v. 14; Hetzenauer, p. 618: *Cum enim quietum...*

(7) HARPHIUS (Henricus —), i. e., ERP (Henricus van —), O. Min. + 1477, *Theologia mystica, sive in Cantica Canticorum*, lib. III, part. III, cap. 23; Coloniae Agrippinae, 1564, fol. CCXXVIIIr: *In caligine quippe cogitationis... habere dinoscitur.* — Circa authenticitatem huius operis consule MARCELLUM VILLER, S. I., in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. III, num. 10, (Avril, 1922), pp. 155-162; ubi p. 155 legitur: *La* Theologia mystica *éditée sous le nom de Henri de Herp (ordinairement appelé de son nom latinisé Harphius) et dont les premiers éditeurs furent les chartreux de Cologne, n'est qu'un recueil factice.*

(8) Cf. supra, cap. 1, §. 1.

(9) Cf. supra, cap. 1, §. 1.

tione ista acquisita mens dum silet, audit quae Deus illi loquitur, iuxta illud *Psalm.* 44 (10): *Audi filia, et vide, etc.* Sic enim perfectiori modo intelligit Deum penetratque divina mysteria, quae sub imaginum velo occulebantur. In contemplatione autem infusa clarius et perfectius haec penetrat et in frequentibus raptibus de illis mysteriis informatur divinitus, plura etiam arcana mirabilia communicantur et revelantur animae, ut loquendo de raptibus diximus in *Catena mystica* (11) et dicemus infra.

QUAESTIO X

QUOMODO IN HAC CALIGINE MENTES CARENTES OCULIS PULCHERRIMIS SPLENDORIBUS ADIMPLEANTUR?

Per *mentes oculis captas* videtur intelligere S. Maximus (1) hic angelos qui, inquit ipse, *sensibilibus oculis non abundant*, cum tamen *substantia eorum sit mens vivens tota existens oculus acutissimi visus.* Simili modo Pachymera (2): *Mentes oculis carentes implet, quas alio modo multorum oculorum esse dicit, Angelicas scilicet divinasque virtutes; non enim sensibilibus oculis plenae sunt, sed earum essentia viva quaedam mens est, id est, oculus perspicacissimus, quae et oculis carere censetur, propter inaccessam illam caliginem silentii divini.* Haec ille.

Non tamen video cur ad angelos divertamur, nec quomodo de angelis iam beatis et clare videntibus Deum hoc possit intelligi, nisi forte considerentur in illo instanti in quo fuerunt viatores. Forsitan illi angelicas et divinas virtutes appellant mentes humanas quae contemplando imitantur angelos. De his ergo mentibus nostris loquitur Dionysius, quae in caligine caecutientes recte oculis captae dici possunt; et, ut inquit ipsemet Pachymera, in quantum Deus invisibilis est, in tantum etiam mentes hae oculis carent.

Dubium tamen est quibus pulcherrimis splendoribus mentes istae adimpleri dicantur? D. Thomas explicans alia verba Dionysii ex cap. 7 *De Divinis Nominibus* (3) ubi etiam loquitur de hac theologia, scilicet: *quando mens ab omnibus recedens unita est supersplendentibus radiis*, addit *Deitatis*, in quantum scilicet cognoscit Deum esse super omnia, etc. Ubi S. Thomas pro radiis supersplendentibus videtur intelligere ipsam Deitatem cognitam ut excedentem omnia. Quae si praesentibus verbis possumus applicare, idem sonant ac si mens in caligine posita impleatur divina luce ad cognoscendum Deum esse super omnia.

Hersentius (4), in hoc loco citatus a Corderio (5), dum per caliginem intelligit illapsum Dei in essentiam animae sub ratione lucis increatae et inac-

---

(10) v. 11.

(11) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 23 y 24; pp. 190ª-212ᵇ.

(1) *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 4, col. 418: *Non enim sensibilibus oculis pleni sunt, sed eorum essentia, velut mens viva, tota oculus acutissimi visus.* — Text. graec. *ib.*, col. 417.

(2) *Paraphrasis in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 1015: ... *oculis carere censentur, propter...*

(3) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, cap. 7, lect. 4; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XXIX, p. 523ª.

(4) Hersentius (Carolus —), *In D. Dionysii Areopagitae De Mystica Theologia librum Apparatus, Interpretatio, Notae, Commentarii, Paraphrasis*, cap. 1, §. 1. Parisiis, apud Thomam Blaise, 1626, pp. 83, 91, 92-93.

(5) *Adnotationes in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1, §. *Ex his omnibus* sq.; Migne, P. G., t 3, col. 1005-1008.

cessibilis (6); splendores etiam interpretatur (7) *ipsam divinam essentiam eiusque proprietates, quae sub ratione lucis in animam illabuntur;* quos etiam *pulchros* nominat (8) more Platonicorum, qui sub nomine *pulchri* splendorem et manifestationem intelligunt. Additque (9) ideo non dixisse *superillustrat*, sed *superadimplet. Nam* (10) *illustrationes quidem divinae seu divinorum luminum in mentem diffusiones quaelibet* (11) *illuminant quidem, et ornant, et adaugent, sed extra hunc* (12) *statum et gradum non implent; solius enim Dei est animam sui capacem implere.* Ex quibus Hersentii explicationibus duo possunt inferri: Primum, hic solum loqui Dionysium de theologia mystica infusa. Secundum, non loqui de supremo eiusdem gradu, sed fundamento eius, nempe de unione animae per illapsum Dei; ex qua unione ulterius resultat gustus seu notitia experimentalis et ex hac maior et perfectior contemplatio in intellectu, in qua consistit ultimus gradus huius theologiae.

Nos igitur, ne a doctrina quam hucusque sequimur de duplici theologia mystica a Dionysio in hoc libro inculcata: altera acquisita et altera infusa, revocemur, consequenter dicimus quod, loquendo de theologia mystica acquisita, dum intellectus in caligine positus seu in illa caeca suspensione et admiratione Dei ignoti impletur pulchris splendoribus fidei (adiutae saltem ex prima elevatione doni intellectus aut sapientiae, ut quidam dicunt), quibus plenius contempletur Deum ut infinite perfectum, ineffabilem et incomprehensibilem, etc.; quam quidem contemplationem secundum et ultimum theologiae mysticae acquisitae gradum esse diximus.

Loquendo autem de theologia mystica infusa, dum in secundo gradu contemplationis, quem esse diximus in caligine, Deum contemplatur et ibi iam unita Deo non solum per intellectum et voluntatem, sed per ipsammet essentiam animae (ut explicuimus in *Catena* (13)) ipsum degustat et experitur, advenit intellectui maior quaedam lux transiens qua Deum ipsum maiori claritate et perfectione possibili extra visionem beatam contempletur; quem tertium et supremum gradum theologiae mysticae infusae saepius appellavimus.

Moveor ad sic explicanda praedicta verba, quia, ut supra diximus quaest. 6 prooem., praecipua Dionysii intentio in hoc libro fuit indicare theologiam mysticam acquisitam; sicut enim docuerat Deum cognoscere per positivas et proprias perfectiones in theologia affirmativa et per improprias et metaphoricas in theologia symbolica, ita etiam docet per omnium ablationem Deum cognoscere in theologia mystica; hoc autem non solum docet, sed monet procurandum et industria propria exercendum, ut patet aperte

---

(6) HERSENTIUS, l. c., §. *Per superfulgidam caliginem*, p. 83: *Per caliginem autem intellige Deum sub ratione lucis increatae et inaccessibilis in animae essentiam illapsum, atque ipsammet illa inaccessibili luce perfundentem atque absorbentem.* — Migne, l. c., col 1005.

(7) HERSENTIUS, l. c., §. *Superpulchris splendoribus superimplentem*, p. 91: *Splendores autem ipsam divinam essentiam et proprietates interpretor, quae sub ratione lucis animam illabuntur, et illustrant.* — Migne, l. c.: *Splendores autem ipsam divinam essentiam eius denique proprietates interpretatur, quae sub ratione lucis in animam illabuntur, eamque illustrant.*

(8) HERSENTIUS, l. c., p. 91: *Splendores pulchritudinis nomine afficit, hac, ut opinor, ratione, quod Platonici (.....) Pulchri nomine boni splendorem et manifestationem intelligunt.* — Migne, l. c.: *Splendores autem pulchritudinis nomine afficit, ea ratione qua Platonici (....) pulchri nomine splendorem ac manifestationem intelligunt.*

(9) HERSENTIUS, l. c., p. 92: *Unde etiam Dionysius non sine magna emphasi* ὑπερπληρουντα, *i.* superimplentem *dixit hoc est supra modum implentem.* — Migne, l. c., col. 1007: *Non dixit autem,* superillustrat, *sed* superadimplet.

(10) Sic apud Migne, l. c., col. 1007-1008. — Similiter apud HERSENTIUM, l. c., pp. 92-93, praeter «... *illuminant quidem, ornant, adaugent, sed ..* ».

(11) « *quaelibet* » deest in ed. 1684.

(12) In eadem ed. 1684 legitur: « *extrahunt* » pro « *extra hunc* ».

(13) Cf. supra, quaest. 7, nota (2).

ex universa huius libri doctrina. Quod quidem non faceret, si de sola infusa theologia ageret; haec enim non cadit sub doctrina hominum, nec potest, nec debet procurari, nec ex industria nostra exerceri; cum enim hoc opus totum sit Spiritus Sancti, ipse animam docet, ipse elevat, ipse inducit et obligat lucem suam accipere et per illam attendere divina.

Sed quia nova ista theologia dum coepit apparere, coepit etiam admirationi esse, eam omnes ut quid insolitum et divinum suspiciebant, et omnem huius libri doctrinam de supernaturali et infusa contemplatione esse autumarunt. Tantum vero abest ut de ea principaliter tractet, quia vix invenietur in hoc libro explicatio mysticae theologiae infusae principaliter dictae, qualis est ultimus et supremus gradus illius; et qui eam ex doctrina Dionysii volunt exponere, ad quaedam verba capitis 7 *De Divinis Nominibus* (14) recurrunt, quae incipiunt: *Est item divinissima Dei notitia, quae per nescientiam accipitur, etc.* Quae quidem verba tam de acquisita quam de infusa theologia mystica accipiuntur ab aliquibus, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 3, resp. 1 (15).

Igitur ne prorsus et omnino discedamus ab hac opinione et quia certum est theologiam mysticam acquisitam disponere et praeparare animam ut facilius et convenientius a Deo elevetur ad infusam, fatemur Dionysium de hac etiam aliquo modo agere tanquam de termino ad quem Deus solet mentes erigere quae per laborem suum ad divina mysteria contemplanda conantur. Unde ut utrique contemplationis doctrinae morem geramus propter aliqualem affinitatem illarum, verba Dionysii in utroque sensu, quando fieri potest, explicamus. Et in praesenti praedicta verba in quaestione apposita tam de acquisita quam de infusa ista theologia intelligimus, nec alia facile in hoc opere invenientur, quae magis supremo gradui theologiae mysticae infusae valeant adaptari.

Nec mirum quod illico in prioribus primi capitis verbis utramque sapientiam complectatur, quia sic bona methodus exposcit ut in principio operis sub compendio quodam proponatur quod diffuse in sequentibus pertractandis proponitur. Et quamvis verbum *implere* non adeo *proprie*, sed potius *scholastice* accipiatur, sufficienter exprimitur eius significatio per infusionem copiosam lucis, a qua mentes imaginibus et affirmativis apprehensionibus vacuae plenitudinem capiunt.

Si obiicias: Sub nomine theologiae mysticae noluit comprehendere Dionysius illam supereminentem contemplationem quae sequitur ad unionem Dei quamque tertium eius gradum appellamus. Ergo non bene verba eius ad talem contemplationem significandam adaptamus. Antecedens probatur: Tum quia hoc nomen *theologia mystica* impositum fuit ab isto sancto Doctore illi contemplationi de qua tractat in hoc libro. Sed de nulla alia tractat quam de contemplatione in caligine, quae ad summum potest extendi in theologia mystica sive acquisita, sive infusa ad primum et secundum gradum, qui proinde in utraque debet esse ultimus. Ergo perperam alium tertium et ultimum gradum huius contemplationis confingimus. Tum etiam, quia doctores mystici antiquiores pro supremo gradu vel absolute pro contemplatione mystica solam contemplationem in caligine cognoverunt; siquidem praeter illam suspensionem seu caecam admiratio-

---

(14) Ioseph a Spiritu Sancto sequitur hic versionem Corderii, *De Divinis Nominibus*, cap. 7, §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 871. — Supra verò, quaest. prooem. 3 et infra, quaest. 11, legi potest versio qua usus est D. Thomas, *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, cap. 7 lect 4; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XXIX, p. 521b

(15) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 3, resp. 1, pp. 19a-20a; prop. 9, resp. 1, p. 70. — Erronee in ed. 1684 legitur: « *resp.* 2 ».

nem intellectus solum amorem fruitivum addiderunt, qui cum sit actus voluntatis, contemplationem intellectus non variat.

Respondetur: quod, etiam admisso antecedenti, non sequitur consequentia; quia quamvis Dionysius non comprehenderet sub hoc nomine *theologiae mysticae* altissimam illam contemplationem quam tertium eius gradum appellamus, posset nihilominus de illa agere et huic doctrinae inserere saltem tanquam terminum et scopum ad quem ex caligine illa saepe conscenditur. Negandum tamen est antecedens, cuius probatio postulat ut sequentem moveamus quaestionem.

QUAESTIO XI

UTRUM SUB NOMINE THEOLOGIAE MYSTICAE DEBEAT INCLUDI ILLA SUPREMA CONTEMPLATIO QUAM PRO TERTIO EIUS GRADU SAEPIUS INCULCAVIMUS?

Pro parte negativa sunt rationes argumenti propositi in fine praecedentis quaestionis. Pro parte autem affirmativa sunt communiter omnes doctores mystici qui non solum dicunt istam contemplationem esse theologiam mysticam, sed solam illam proprie et rigorose appellari hoc nomine, ita ut contemplatio in caligine non sit tam dicenda theologia mystica quam dispositio ad illam seu ad unionem fruitivam, ex qua oritur. Quod ex verbis S. Dionysii colligit noster Thomas a Iesu, *De contemplatione*, lib. V, cap. 11, §. *In quibus* (1).

Dicendum igitur est contemplationem illam divinissimam quam pro tertio gradu theologiae mysticae insinuavimus, esse proprie et rigorose theologiam mysticam et ista est quae principaliter et absolute sic debet inter alias nuncupari. Probatur in primis auctoritate doctorum mysticorum, qui in tradenda et definienda theologia mystica de solo isto tertio gradu agere videntur. Dionysius Cartusianus in *Commentariis De Mystica Theologia*, quaest. 3 (2), postquam adduxerat eius definitionem et dixerat habitum huius contemplationis esse donum sapientiae, addidit: *Quemadmodum etiam triplex est gradus charitatis, ita et sapientiae huius, quae secundum gradum suum tertium et supremum est ipsa mystica theologia, etc.* Gerson in lib. *De Theologia mystica* (3), dum theologiam mysticam definit, hunc supremum gradum insinuat dicens: *Theologia mystica est experimentalis cognitio de Deo per amoris unitivi complexum.* D. Bonaventura seu Henricus de Balma (4), *De mystica theologia*, cap. 3, (5), theologiam mysticam in unione cum Deo consistere dicit ac proin-

---

(1) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 11, §. *In quibus; Opera omnia*, ed. 1684, t. II, p. 173.

(2) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 3; *Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, p. 491b: ... *sapientiae, quae...*

(3) *Considerationes de mystica theologia*, part. VI principal., consid. 28; *Opera omnia*, Antverpiae, 1706, t. III, col. 384: ... *cognitio habita de Deo...*

(4) « *Palma* » in ed. 1684.

(5) *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, t. VIII, pp. 21b-46a; praesertim particula 1 et 4, pp. 21a et 39b. — Hoc opusculum, quod deest in ed. Quaracchi 1882-1902, numeratur inter certe spuria. De auctore huius opuscoli diu disputatum est, opusculumque variis auctoribus tributum fuit. Nunc temporis vero certum est auctorem huius opusculi *Theologia mystica* esse cartusianum, nempe Hugonem de Balma, ex nobili familia de Balmey de Dorche, priorem conventus Meyriat circa finem saeculi XIII. Cf. PIERRE DUBOURG, S. I., *La date de la Theologia mystica* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. VIII, num. 30 (avril 1927), pp. 156-161; S. AUTORE in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 215-220, voce *Hugues de Balma;* ÉDOUARD D'ALENÇON, *ib.*, t. VI, col.

de sub hoc nomine gradum istum intelligit. Et ut alios antiquos omittamus, ita communiter recentiores sequentes nostrum Ven. P. Ioannem a Iesu Maria, qui singularis fuit in hac materia dilucide pertractanda in libro proprio *De theologia mystica* (6) et in tractatu brevi de eadem materia quem suae *Scholae orationis* (7) inseruit; ac nostrum Ven. Michaelem de Fonte in opere *De triplici statu vitae spiritualis* excusso Toleti an. 1623, libro III, cap. 6 et seq. (8). Hanc quoque tuentur sententiam e nostris Philippus a SS. Trinitate in discursu prooemiali *Theologiae* suae *mysticae*, art. 1 (9); Antonius a Spiritu Sancto in *Directorio mystico*, tract. I, disp. unica, sect. 1 et seqq. (10); Balthasar a S. Catharina in *Commentario Castelli animae S. M. Theresiae*, cap. 1, mansione V, splendore 2 (11); Dominicus a SS. Trinitate, tom. VII, lib. VII *Bibliothecae* suae *Theologicae*, sect. 4 (12); Hieronymus Gratianus in II parte *Dilucidarii veri spiritus*, cap. 1 et seqq. (13).

Omnes isti auctores fundantur in doctrina S. Dionysii ac per consequens sentientes eum non exclusisse ab hoc nomine istam contemplationem. Sic solet citari in cap. 7 *De Divinis Nominibus*, lect. 4, (14), ubi inquirens quomodo cognoscatur Deus et varios modos cognoscendi attingens, addit: *Et est rursus divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita secundum unitionem super mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis; inde et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata.* Quae verba licet ab aliquibus ad theologiam mysticam acquisitam etiam applicentur, omnes tamen fatentur infusam principaliter describi et de solo ultimo et perfectissimo gradu eius debere intelligi, cum dicat exordium sumere istam contemplationem ab unione cum Deo, etc.

Adducit etiam D. Bonaventura, *Itin. III aeternit.*, dist. 4, art. 4, (15), alia verba D. Dionysii ex fine huius capitis primi *Theologiae Mysticae*, quibus (ut ipse explicat) ista suprema Dei contemplatio luculenter describitur sub exemplo Moysis; quam tamen expositionem remittimus ad quaestiones infra discutiendas supra eadem verba. Denique, ut supra diximus quaest. 10, ex verbis illis Dionysii ibi relatis ex eodem capite 1 non obscure idipsum colligitur.

Probatur etiam ratione: Quia essentia theologiae mysticae, in qua ab aliis contemplationibus secernitur, est obscuritas illa contemplandi Deum ita immediate ut nullum aliud obiectum sive imago creaturarum mediet, ita tamen sublimiter ut omnes alias

---

2190-2191, voce *Henri de Baume; Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Quaracchi, t. VIII, Prolegomena, cap. 3, art. 2, num. 11, p. CXI[b]; t. X, Dissertatio I, part. II, cap. 1, num. 38, p. 24; BENED. BONELLI, *Prodromus ad Opera omnia S. Bonaventurae*, Venetiis, Bassani, 1767, col. 677 sq.

(6) *De theologia mystica*, cap. 2, §. *Ex his ergo* et cap. 5; ed. 1650, t. II, pp. 13[b] et 19[a]-21[a]; ed. 1771-1774, t. II, pp. 429[a] et 433[b]-436[a].

(7) *Schola in qua de oratione, contemplatione,... praecepta traduntur*, tract. XII *De theologia mystica*, dub. 4; ed. 1650, t. II, p. 607; ed. 1771-1774, t. II, p. 559.

(8) FUENTE (MICHAEL DE LA —), O. Carm., *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. III, cap. 6 sqq.; Barcelona, 1887, pp. 420 sqq.

(9) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 1, praesertim §. *Tertius et supremus gradus* sqq.; ed. 1874, t. I, pp. 22-24.

(10) Ed. 1904, pp. 1 sqq.

(11) BALTHASAR A S. CATHARINA DE SIENA, C. D., *Splendori riflessi di sapienza celeste vibrati da' gloriosi Gerarchi Tomaso d'Aquino e Teresa di Giesù sopra Il Castello Interiore, e Mistico Giardino metafore della Santa*, mans. V, cap. 1, splend. 2; Bologna, 1671, pp. 281[a]-282[b].

(12) Romae, 1666-1676, t. VII, pp. 591[a]-658[b].

(13) *Dilucidario del verdadero espiritu*, parte II, cap. 1; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 54[r].

(14) *Opera omnia D. Thomae*, ed. Vivès, t. XXIX, p. 521[b].

(15) *De septem itineribus aeternitatis*, itin. III, dist. 4, art. 4, §. *Quinto;* ed. Peltier, t. VIII, p. 432[a]. — Hoc opusculum Fratri RODULPHO DE BIBRACO, O. Min., adscribitur; cf. quae diximus supra, quaest. 5, nota (14). — Textus adducitur a THOMA A IESU, *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 11, §. *Praecedere; Opera omnia*, ed. 1684, t. II, p. 173[a].

contemplationes excedat. Sed hoc principaliter invenitur in isto gradu. Ergo, etc. Minor probatur: quia licet haec contemplatio dicatur *visio* propter maiorem claritatem cognitionis, semper tamen est sub caligine; non enim potest Deus clare videri ut in se est nisi in visione beatifica; item quia fundatur in experientia voluntatis unitae Deo ipsumque degustantis, quae licet dicatur notitia experimentalis, semper est caeca, utpote potentiae non cognoscitivae. Est etiam ita immediata ut per nullam speciem creaturarum fiat, sed vel per speciem infusam propriam Dei et repraesentativam eius confuso modo, vel per ipsammet essentiam unitam intellectui loco speciei, ut aliqui dixerunt et nos supra discussimus. Est denique ista sublimissima contemplatio quae omnes alias antecellit. Unde et contemplatio pura seu ingressus in caliginem, quem primum gradum theologiae mysticae appellamus, et contemplatio ipsa in caligine, quae secundum promeruit, dicitur a doctoribus non esse proprie theologia mystica, sed dispositio ad illam, nempe ad istam de qua modo loquimur. Quod etiam ex verbis relatis D. Dionysii colligit noster Thomas a Iesu, ut in principio quaestionis diximus.

Ex quibus patet ad argumentum relictum ex quaestione 9: dicimus enim Divum Dionysium agentem de contemplatione in caligine non ideo excludere istum supremum gradum, qui etiam in caligine fit, licet secundus gradus sibi peculiariter hoc nomen arroget; eo quod sicut in nocte datur crepusculum vespertinum et matutinum quae ab obscuritate mediae noctis in caligine superantur, ita in istis gradibus contemplationis mysticae licet omnes sint sub caligine, primus adhuc sub crepusculo seu a primis tenebris ingreditur caliginem, tertius iam sub aurora consummatur, secundus est medius qui densam noctis patitur obscuritatem.

Ad id quod additur in probatione antecedentis respondebitur quaestione sequenti. Interim tamen licet admittatur nihil aliud addi contemplationi in caligine quam voluntatis experientiam, hoc sufficeret ad discernendos istos gradus; nam secundus ex sola contemplatione in caligine constaret, tertius vero ex illa et ex notitia experimentali voluntatis. Id vero nihil impediret quominus iste gradus theologiae mysticae describatur.

QUAESTIO XII

AN PRAETERMITTENDO SENSUS ET MENTIS ACTIONES SEU INTELLECTUALES OPERATIONES, UT DIONYSIUS MONET, CONSTITUATUR ANIMA IN ISTA CONTEMPLATIONE SINE ULLA PRORSUS INTELLECTUS OPERATIONE?

Non renuunt hoc concedere qui dicunt theologiam mysticam, nempe supremum eius gradum, non solum consistere in actu voluntatis, sed nec ad actum voluntatis intellectionem supponi; dicunt enim voluntatem a Spiritu Sancto immediate tangi ipsamque sine ulla praevia cognitione intellectus cum Deo uniri ascendendo ad ipsum per actus anagogicos, et cum ex ista unione sequatur experientia et gustus Dei, quae proinde appellatur notitia experimentalis, in hac sola consistere mysticam theologiam praedicant. Quod ex citatis verbis S. Dionysii aperte comprobare contendunt. Pro qua opinione solet citari D. Bonaventura seu potius Henricus de Balma (1), *De mystica theologia*, cap. 3,

(1) « *Palma* » in ed. 1684.

part. 4 (2), cui plures ex commentatoribus D. Dionysii subscribunt, ut Lincolniensis (3) et Vercellensis (4).

Dicendum tamen est nullum actum amoris dari in unione mysticae theologiae sine cognitione intellectus, nec verba S. Dionysii oppositum asserere. Conclusio quoad *primam* partem est communis philosophorum et theologorum cum Aristotele, III *De anima*, cap. 10 (5) et D. Thoma, I part., quaest. 82, art. 4 et I^{a} II^{ae}, quaest. 3, art. 4, ad 4; idemque docet D. Augustinus, lib X *De Trinitate*, cap. 1 et 2 (6). Unde exstat proverbium: *nihil esse volitum, quin sit praecognitum;* quia voluntas est inclinatio in bonum sibi conveniens tanquam appetitus rationalis et simul est potentia caeca quae non potest cognoscere quod est sibi conveniens, nisi ab intellectu proponatur. Unde quamvis aliqui teneant posse voluntatem supernaturaliter ferri in incognitum, hoc communiter non admittitur, sed quod cognitio sit conditio sine qua voluntas in obiectum non fertur. Utrum vero cessante intellectione quae praecesserat actum voluntatis, ipse etiam necessario cesset? Nonnulli dicunt nec per momentum unum posse permanere; alii docent posse; quos sequitur noster Philippus a SS. Trinitate in *Theologia mystica*, discursu prooemiali, art. 4, in principio (7). Quod quidem supernaturaliter posse fieri, conservante Deo amorem iam elicitum a voluntate postquam cessaverit intellectio, non videtur aperte repugnare. Sed de hoc iudicent alii.

Quoad *secundam* partem probatur ex aliis locis D. Dionysii, ubi hanc theologiam vocat *sapientiam* et *cognitionem*, quae actum intellectus significant. Unde ex verbis saepe citatis ex cap. 7 *De Divinis Nominibus* (8), ubi agit de ista contemplatione, dicit: *Est rursus divinissima Dei cognitio, etc.* et quod ibi illuminetur mens. Quae verba exponens D. Thomas (9) aperte adstruit ibi intervenire cognitionem intellectus. Similiter hoc eodem cap. 1, in fine (10), sub exemplo Moysis aperte loquitur de cognitione et quamvis possit exponi iuxta duplicem paraphrasim quam affert noster Ven. P. Ioannes a Iesu Maria in suo *De mystica theologia* libro, cap. 7 (11), et iuxta unam admittatur actus intellectus, iuxta alteram vero excludatur; hanc quae illum admittit communiter sequuntur auctores mystici Taulerus (12), Blosius (13), Cartusianus (14) cum aliis quos citat et sequitur noster Thomas a Iesu, cit. lib. V, cap. 13 (15) et Phi-

(2) *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 39^{a} sqq. — Auctor huius opusculi est neque S. Bonaventura, neque Henricus de Balma, sed Hugo de Balma. Cf. supra, quaest. 11, nota (5).

(3) GROSTHEAD (ROBERTUS —), episc. Lincolniensis, *De Mystica Theologia cum commento*, cap. 1; *Opera Dionysii*, Argentinae, 1502, t. I, fol. CCLXV^{v} et CCLXVII^{r}. — Textus afferuntur a RODULPHO DE BIBRACO, *De septem itineribus aeternitatis*, itin. V, dist. 6; *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, p. 462^{b}.

(4) Textus legi potest apud HUGONEM DE BALMA, *Mystica theologia*, cap. 3, particula 4, §. *In illa mystica; Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, p. 41. — Vercellensis est Thomas Gallus, prior Vercellensis ab anno 1223 usque ad 1226, deinde Abbas, † 1246. Eius opus *De mystica theologia* Ioannes Eck Augustae Vindelicorum 1519 in *Commentariis in Mysticam Theologiam S. Dionysii Areopagitae* publicavit. Cf. AUTORE (S. —) in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 217, voce *Hugues de Balma*.

(5) num. 2; ed. Didot, t. III, p. 472; Bekk., 433^{a}, 14 sqq.

(6) Migne, P. L., t. 42, col. 971 et 974.

(7) *Summa theologiae mysticae*, l. c.; ed. 1874, t. I, pp. 32 sqq.

(8) Cf. supra, quaest. 11.

(9) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, cap. 7, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 523^{a}.

(10) §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 1000.

(11) *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, pp. 28^{b}-30^{a}; ed. 1771-1774, t. II, pp. 442^{a}-444^{b}.

(12) TAULERUS (IOANNES —), O. Pr., *Institutiones*, cap. 12, medio; *Opera*, interprete Laurentio Surio, Coloniae Agrippinae, 1553, p. 589^{a}.

(13) BLOSIUS (LUDOVICUS —), *Institutio spiritualis*, cap. 12; *Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1572, p. 435.

(14) DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Comment. in lib. De Mystica Theologia*, cap. 1, art. 4; *Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, p. 452^{b}.

(15) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 13; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, pp. 174^{b}-176^{a}.

lippus a SS. Trinitate, cit. art. 4 (16); quod confirmant auctoritate M. N. Theresiae, cap. 18 *Vitae suae* (17), ubi narrans quod cum scire optaret quid intellectus operaretur in illa mystica unione, hoc responsum acceperit a Christo: *Quia quae* anima *intelligit, nequit comprehendere, hinc perinde est, atque si intelligendo non intelligeret.*

Ad verba igitur D. Dionysii de quibus excitata est quaestio et ad alia similia quae ex eius operibus poterunt allegari, respondemus: debere intelligi tum de operationibus quibus intellectus agens species a rebus sensibilibus abstrahit easque ad intellectum patienten naturaliter transmittit, ut aliqui explicant. Tum de cognitionibus quae sunt per affirmationem et positionem earum perfectionum quae inveniuntur in creaturis ac proinde quae sunt distinctae et particulares, non tamen de illis quae sunt per remotionem ac proinde confusae et generales, ut explicat mox laudatus P. Philippus (18). Tum etiam de quibuslibet operationibus intellectus quoad reflexionem supra ipsas, ita ut sicut ab aliis creaturis abstrahitur, ita etiam a suis operationibus intellectualibus ut nullo modo reflectat supra ipsas, ut explicat noster Thomas a Iesu (19). Quibus ego adderem operationes intellectus quae pertinent ad cognoscendum Deum *quoad quid est;* in hoc enim caecutit intellectus, licet non amittat cognitionem Dei *quoad an est.*

QUAESTIO XIII

UTRUM SALTEM EX ILLIS ET SIMILIBUS VERBIS DIONYSII DEBEAMUS COLLIGERE HANC CONTEMPLATIONEM POTIUS IN ACTU VOLUNTATIS QUAM INTELLECTUS CONSISTERE?

Admissa praevia intellectione ad actum voluntatis et non excluso actu intellectus ab ista contemplatione, adhuc remanet quaestio an ipsa principaliter in actu voluntatis vel potius in actu intellectus consistat? Pro quo notandum est, quod bene advertit noster Ven. P. Ioannes a Iesu Maria (1), ad hanc supremam contemplationem theologiae mysticae quatuor actus concurrere. *Primus* est actus contemplationis in caligine, qui pro secundo gradu theologiae mysticae solet assignari. *Secundus* est amor ardentissimus Dei sic ignote cogniti. *Tertius*, unio voluntatis amantis cum Deo dilecto, in qua gustat et percipit voluntas quam suavis sit Dominus. *Quartus* est perfectior notitia Dei sic experimentaliter gustati, quae inde resultat in intellectu. Quis vero ex his actibus hanc ultimam et supremam contemplationem mysticam constituat disquiritur.

Dicunt nonnulli consistere principaliter in illo tertio actu seu in illo gustu et unione voluntatis. Et si illis obiicias quod actus voluntatis non potest dici cognitio seu notitia, respondent: esse notitiam affectivam et experimentalem, ut enim dicit D. Gregorius, *hom. 27 in Evang.* (2): *Amor*

---

(16) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 4. §. *Haec communis*, ed. 1874, t. I, p. 33.

(17) *Vida*, cap. 18; *Obras*, ed. crit., t. I, p. 135: *Como no puede comprehender lo que entiende, es no entender entendiendo.* — Auctor sequitur versionem latinam Mathiae Martinez, *Opera*, Coloniae Agrippinae, 1626-1627, t. I, p. 113.

(18) l. c.

(19) l. c.

(1) *Schola in qua de oratione, contemplatione,... praecepta traduntur*, tract. XII *De theologia mystica*, dub. 2 et 3; *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, pp. 606a-607b; ed. 1771-1774, t. II, pp. 558b-559b.

(2) num. 4; Migne, P. L., t. 76, ed. 1207.

ipse notitia est. Et D. Augustinus, lib. VII *Confessionum*, cap. 10 (3): *Charitas novit veritatem, etc.* Quod amplius explicat D. Bonaventura, *itiner. VI aeternitatis*, dist. 1 (4), sub exemplo gustus corporalis attingentis gustabile, ex quo proinde habet quis de eo notitiam experimentalem quam antea non habebat. Et D. Thomas, IIª IIᵃᵉ, quaest. 172, art. 4, ad. 2, ubi *amorem notitiam* vocat; quod luculenter explicat *in Psal.* 33 (5), ubi docet quomodo experientia sumatur a sensibus, de rebus tamen distantibus ab oculo et auditu, de unitis extrinsece a tactu, de intrinsece habitis a gustu; et cum Deus sit in nobis et intra nos, eius experientia e gustu voluntatis desumitur, quae dicitur *notitia experimentalis*. Unde quod ista contemplatio mysticae theologiae consistat potius in actu voluntatis sequitur Gerson, *Alph.* 86, lit. i et in libro *De mystica theologia* (6), D. Bonaventura, *Serm. 2 de luminar. Eccles.* (7); et in hoc sensu possunt facile exponi plures ex auctoribus qui videntur negare intellectionem praeviam; videtur etiam in hanc opinionem inclinare Ven. P. Ioannes a Iesu Maria, lib. *De mystica theologia* (8) et alii complures.

Nihilominus probabilior seu magis consona theologiae scholasticae videtur sententia asserens principaliter et formaliter consistere in illo ultimo actu intellectus, connotando tamen voluntatem, a qua etiam completur; ita Dionysius Cartusianus, *Commentaria de Mystica Theologia*, quaest. 3 (9); P. Thomas a Iesu, lib. V *De contemplatione*, cap. 14 (10); P. Philippus a SS. Trinitate, cit. discursu prooemial., art. 1 (11). Probatur *primo* ex modo loquendi mysticorum, qui hanc mysticam theologiam appellant *visionem*, *contemplationem*, *intuitionem* et aliis similibus, quae ad intellectum spectant, nominibus. *Secundo*: quia ex D. Dionysio, qui hoc nomen imposuit, ut saepe diximus, ex illo cit. cap. 7 *De Divinis Nominibus*, haec cognitio oritur ex unione dilectionis, quae est affectiva. Ergo non in ipsa unione vel gustu, sed in cognitione inde resultante constituenda est. *Tertio*: quia sic melius assimilatur visioni beatae, per cuius analogiam recte explicatur ab aliquibus, ut videre est apud P. Thomam a Iesu, cit. cap. 14. Legendus de his etiam noster Ven. P. Michael de Fonte, lib. III operis supra laudati, cap. 6, 7 et 8 (12).

Unde ad supra dicta de notitia experimentali respondetur: quod quamvis haec tribuatur voluntati, non tamen quod sit cognitio, contemplatio, visio et intuitio qualiter tribuitur theologiae mysticae, nisi forte metaphorice et valde improprie.

Si obiicias *primo*: Voluntas plus potest amare quam intellectus cognoscere, ut docet D. Thomas Iª IIᵃᵉ, quaest. 27, art. 2, ad. 2, et de facto in hac contemplatione, ut omnes doctores mystici fatentur, actus dilectio-

---

(3) Migne, P. L., t. 32, ed. 742.

(4) *De septem itineribus aeternitatis*, itin. VI, dist. 1; *Opera omnia*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 464ᵇ-465ᵃ. — RODULPHUS DE BIBRACO auctor est huius opusculi; cf. supra, quaest. 5, nota (14).

(5) v. 9; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XVIII, p. 419ᵇ.

(6) *Considerationes de mystica theologia*, part. IV, consid. 21; part. V, consid. 27; part. VI, consid. 28; *Opera omnia*, Antverpiae, 1706, t. III, col. 378, 383 et 384.

(7) i. e., *Collationes in Hexaemeron sive Illuminationes Ecclesiae*, collat. II, num. 30 sq.; *Opera omnia*, ed. Quaracchi, t. V, p. 341ª sqq.; *serm. II* in ed. Peltier, t. IX, pp. 39ª sqq.

(8) *Schola in qua de oratione, contemplatione,... praecepta traduntur*, tract. XII *De theologia mystica*, dub. 3 et 4; *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, p. 607; ed. 1711-1774, t. II, p. 559.

(9) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 3; *Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, pp. 491ª-492ᵇ.

(10) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 14; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, pp. 176ª-178ª.

(11) *Summa theologiae mysticae*, discurs. prooem., art. 1; ed. 1874, t. I, pp. 19-24.

(12) FUENTE (MICHAEL DE LA—), O. Carm., *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espíritual*, lib. III, cap. 6-8; ed. Barcelona, 1887, pp. 420-447.

nis excellit actum cognitionis; plus de Deo percipit quam didicerit intellectus; immo intellectu foris seu ad fores manente, intrat voluntas ad thalamum sponsi et cum eo unitur. Ergo principaliter debet consistere in dilectione. — Respondetur negando consequentiam; non enim consistit principaliter in eo actu qui est magis intensus, sed in eo qui amplius habet de essentia contemplationis.

Obiicies *secundo*: Beatitudo supernaturalis huius vitae consistit in actu voluntatis. Sed iste gradus theologiae mysticae est perfectior actus huius vitae, in quo beatitudo eius supernaturalis debet consistere. Ergo in actu voluntatis consistet.

Respondetur *primo* concedendo maiorem in probabili opinione et distinguendo minorem: debet consistere in actu concomitante vel complente istam contemplationem, concedo; in actu quem formaliter et principaliter dicit, nego. — Respondetur *secundo* negando maiorem in probabiliori opinione, quae asserit hanc beatitudinem consistere primo in actu intellectus, licet consequenter etiam dicat actum voluntatis, ut de beatitudine patriae docent communiter theologi et ita sentit D. Thomas I^{a} II^{ae}, quaest. 3, art. 4; quia beatitudo formalis huius vitae est inchoatio beatitudinis patriae, ac per consequens est possessio summi boni, licet imperfecta; voluntas autem per suum actum non possidet, sed possidetur ab obiecto.

Cum hoc tamen stat quod beatitudo moralis, quae est per modum dispositionis, pertineat ad voluntatem; sic enim tribuitur in Scriptura Sacra actibus virtutum nomen beatitudinum. In hoc tamen non multum immorabimur, quia latius disputatur et exponitur a nostris Salmanticensibus, tom. III *Cursus theologici*, in I^{am} II^{ae}, tract. IX, disp. 1, dub. append. (13). Solum est advertendum quod si beatitudo supernaturalis huius vitae pertinet ad intellectum, cognitioni fidei debet adscribi; quae quidem cognitio non tollitur per contemplationem mysticae theologiae etiam infusae, immo potius perficitur intra latitudinem beatitudinis imperfectae.

QUAESTIO XIV

QUOMODO RELINQUENDA SUNT AB INTELLECTU OMNIA QUAE SUB SENSUM CADUNT ET ANIMO CERNUNTUR SEU SENSIBILIA ET INTELLIGIBILIA OMNIA, ET EA QUAE SUNT, ET QUAE NON SUNT?

Quaestio ista super praedicta verba Dionysii aliquas involvit quaestiones, quae suo ordine proponentur. Supponendo per *sensibilia* intelligi omnia quae sensu percipi possunt, ut sunt omnia materialia; et per *intelligibilia* omnia quae per solum intellectum concipiuntur, ut sunt res spirituales; et per *ea quae sunt et quae non sunt* vel intelligi res permanentes seu incorruptibiles et mutabiles seu corruptibiles, ut supra diximus; vel ea quae existunt et quae nondum existunt; vel bona et mala, secundum id quod dicit cap. 4 *De Divinis Nominibus* (1): omnia quae sunt esse bona, mala autem non esse; vel denique omnia ista. Quibus suppositis, licet a fortiori hoc videatur manere resolutum ex quaestione 5, ubi asseruimus fieri istas contemplationes mysticae theologiae sine conversione ad phantasmata, unde dicuntur *purae;* quod nomen *purae* applicatur frequentius primo gradui tanquam minus perfecto, ut solent nomina communia imperfectiori potius applicari. Nihilominus propter verba Dionysii, quae de ob-

(13) Ed. V. Palmé, t. V, pp. 262^{b} sqq.

(1) Migne, P. G., t. 3, col. 693 sqq.

iectis et formis sensibilibus et intelligibilibus intelliguntur, de illis hic particulariter movetur quaestio praesens; in qua

Dicendum est *primo* ad contemplationem mysticae theologiae acquisitae relinquenda esse haec omnia ex industria nostra, ita ut quidquid ex istis repraesentetur intellectui vel sub qualicunque etiam eorum forma Deus nobis proponatur, debeat negari de Deo et cognosci Deum non esse, nec in Deo aliquid istorum quantumvis perfectum sit, saltem eo modo quo a nobis concipitur, donec ex ista totali remotione, quae antecedit contemplationem, sistat intellectus in Deo simplici quadam cognitione fidei tanquam in bono quod est super omnia, a nobis tamen incognito et incognoscibili pro hoc statu.

Haec est doctrina constans S. Dionysii in toto hoc libro, ad quam particulariter manuducit cap. 4 et 5 (2). Hoc enim est intrare caliginem illam divinam seu potius lucem inaccessibilem quam Deus inhabitat (3) caecutiendo et ignorando quidnam sit, de quo iterum loquitur in *Epist. I ad Caium* (4), et *Epist. V ad Dorotheum* (5), et alibi saepe. Eamque tradunt communiter doctores mystici et ex recentioribus luculentissime e nostris Ioseph a Iesu Maria, *Ascensus animae ad Deum*, lib. I (6), iuxta mirabilem doctrinam N. B. P. Ioannis a Cruce, lib. *De ascensu montis Carmeli*. Plures etiam doctores citat P. Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucidatione phrasium theologiae mysticae*, part. II, cap. 2 (7).

Ubi bene advertit obiectum connaturale nostri intellectus pro hoc statu esse res sensibiles et materiales, quas quidem res homo naturaliter appetit cognoscere per scientiam quae importat evidentiam et claritatem. Quas duas conditiones excludit fides seu mystica fidei contemplatio; habet enim alias duas oppositas. *Prima* est: tendere in Deum obscure et in caligine. Secunda: ut non ad instar rerum sensibilium, nec etiam aliarum rerum creatarum Deum cognoscat per affirmationem, sed potius per negationem et remotionem eiusmodi rerum, cognoscendo utique non quid sit, sed quid non sit, ac proinde potius ignoratione et caecitate quam scientia. Unde merito dum anima in contemplatione utitur hac mystica cognitione sub his duabus conditionibus modo naturali cognoscendi contrariis, dicitur a Patribus et doctoribus esse in tenebris et caligine, cum ignorantia et sine oculis, atque privata rationali lumine non quidem quoad eius habitum et potentiam, sed quoad eius connaturalem modum et usum. Quae omnia idem auctor ex Scriptura et Patribus late comprobat.

Ego tamen adderem, iuxta dicta in *Catena* mea *Carmelitana* (8), quod dum intellectus post illam remotionem vel supposita fide vel per fidem sistit in illa carentia cognitionis Dei *quoad quid est*, concipiens tantum illum ut quid nobis ignotum, exercetur primus gradus theologiae mysticae acquisitae. Dum tamen ulterius per actum fidei concipit Deum ut quid perfectissimum excedens omnia cognoscibilia sub conceptu confuso et universali, exerceri secundum et ultimum gradum praedictae theologiae. Qualis autem sit iste conceptus quem tunc format de Deo, statim dicetur.

Rationem conclusionis reddit B. P. Ioannes a Cruce lib. II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 8 (9). Quia se-

---

(2) Migne, P. G., t. 3, col. 1040 et 1045-1048.

(3) I *Tim.*, cap. VI, v. 16.

(4) Migne, P. G., t. 3, col. 1065.

(5) Migne, P. G., t. 3, col. 1073-1076.

(6) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 18 y 19; ed. 1694, pp. 44a-49b.

(7) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 2; Coloniae Agrippinae, 1639, p. 83-91

(8) *Cadena mystica Carmelitana*, passim; cf. v. g., colac. I, prop. 7, conclus., p. 51; prop. 9, pp. 70a-80b.

(9) Ita in ed. lat. 1639, pp. 45a sqq. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 7; *Obras*, ed. crít., t. I, pp. 127 sqq.

cundum principia philosophica omnia media debent fini proportionari et aliquo modo assimilari; ut autem intellectus in hac vita uniatur cum Deo, ea media debet assumere, quae cum ipso habent convenientiam; sed inter Deum et creaturas nulla datur proportio, immo potius infinita distantia; ergo nulla creatura potest esse medium quo intellectus uniatur Deo, sed ad istam unionem potius debet ascendere ignorando et caecutiendo quam cognoscendo et videndo; ipsaque lux divina inaccessibilis quo in se est magis clara et refulgens, eo magis oculis nostris est obscura et ignota.

Dicendum est *secundo* ad contemplationem mysticae theologiae infusae hoc ipsum operari in nobis lumen donorum Spiritus Sancti, maxime doni intellectus, ut docet D. Thomas in III *Sent.*, dist. 34, quaest. 1, art. 2 (10), dicens: *Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est; et hoc facit donum intellectus, quod de auditis per fidem mentem illustrat.* Et in III *Sent.*, dist. 35, quaest. 2, art. 2 (11): *Fides quae spiritualia in speculo, et aenigmate quasi involuta tenere facit, humano modo mentem perficit, et ideo virtus est; sed si supernaturali lumine mens in tantum elevatur ut ad ipsa spiritualia aspicienda introducatur, hoc supra humanum modum est; et hoc facit intellectus donum.* Et de hac contemplatione infusa frequentius loquuntur doctores agentes de contemplatione in caligine; qui autem de acquisita loquuntur, a fortiori hanc caliginem et caecitatem ab omni apprehensione rei sensibilis et intelligibilis in mystica et infusa debent admittere. De qua tamen contemplatione infusa in caligine abunde agit noster Ven. P. Thomas a Iesu, *De contemplatione*, lib. V, cap. 4 (12). Quae omnia magis confirmantur ex quaest. 5, ubi asseruimus fieri istas contemplationes sine conversione ad phantasmata seu dependentia ab imaginatione; unde dicuntur *purae*, licet hoc nomen commune his tribus gradibus approprietur primo tanquam minus perfecto.

Si obiicias *primo*: Ex hoc modo contemplandi in obscuritate et ignoratione saltem ex nostra industria videmur coincidere in doctrinam haereticorum illuminatorum, quorum primam sectam referens Ruusbrochius, *De ornatu spiritualium nuptiarum*, lib. II, cap. 76 (13): *Huius sectatores*, inquit, *seorsum abeunt, manentque quieti, et otiosi absque ulla interna vel externa exercitatione, quo optata potiantur requie, nec aliunde impediantur.* Sed in hac contemplatione in caligine mens manet otiosa et nihil intelligit. Ergo, etc.

Respondetur ex verbis eiusdem Ruusbrochii (14): *Est igitur quies haec supernaturali illi, quae in Deo possidetur quieti plane contraria; quandoquidem ea amorosa spiritus liquefactio est cum simplici quodam in incomprehensibilem claritatem prospectu coniuncta.* Idemque docet B. P. N. Ioannes, lib. II. *Ascensus montis Carmeli*, cap. 14 (15), et alibi saepe, ubi semper postulat simplicem illam et affectivam notitiam atque advertentiam in Deum. Unde nego minorem; non enim manet otiosus in-

(10) Ed. Vivès, t. IX, p. 552a.

(11) qla 1, corp.; ed. Vivès, t. IX, p. 592b.

(12) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 4; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, pp. 159a-160b.

(13) RUUSBROEC (IOANNES—), *Opera omnia*, versio latina Laurentii Surii, Coloniae Agrippinae, 1609, p. 498: *Huius sectatores sessum abeunt,... absque ulla vel interna vel externa... — Die Chierheit der Gheesteleker Brulocht*, boec II, cap. 74; *Werken*, Maetschappy der Vlaemsche Bibliophilen, Gent, 1858-1868, t. VI, p. 168: *Maar nu merket de maniere, hoemen deser natuerliker rasten pleghet. Dat es een stille sitten sonder oefeninghe van binnen ofte van buten, in ere ledicheit, op dat die raste vonden werde en onghehindert blive.*

(14) l. c.; ed. 1609, p. 498. — Ed. 1858-1868, t. VI, p. 168: *Dese raste es contrarie der overnatuerliker rasten, diemen in Gode besit; want das es ene minlike ontvlotenheit met enen eenvoldighen insiene in onbegripeliker claerheit.*

(15) Ita in ed. lat. 1639, pp. 60a-65a. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 12; ed. crít., t. I, pp. 153-162.

tellectus, dum simplici et generali notitia in Deum tendit, licet obscure et sine interventu apprehensionum rerum creatarum; nec manet otiosa voluntas, quae interim Deum ipsum ardenter amat et desiderat.

Obiicies *secundo*: Saltem per hoc approbare videmur doctrinas illorum qui animas nondum meditationi assuetas statim ad istam obscuram contemplationem inducunt, quod improbatur ab auctoribus mysticis expertis. — Respondetur negando assumptum; aliud enim est agere de contemplatione ista, aliud de tempore quo debeat procurari et exerceri; nimirum quando post exercitium meditationis iam non valent ut antea meditari, cum hoc non proveniat ex humore melancholico vel ex affectu ad creaturas, et maxime quando Deus animam recollectionibus et suavitatibus saepe ad istam contemplationem invitat. De quibus signis agit praefatus Beatus Pater lib. II supra laudato, cap. 13 (16) et iterum lib. I *Noctis obscurae*, cap. 8 et 9 (17).

Obiicies *tertio*: Gratia non destruit naturam, ut docet D. Thomas I part., quaest. 1, art. 8, ad 2, sed perficit. Sed per istum modum contemplandi destruitur natura seu naturalis modus cognoscendi et lumen naturale extinguitur. Ergo non debet talis contemplatio hoc modo explicata esse secundum mentem D. Dionysii. — Respondetur negando minorem; potius enim perficitur natura, dum elevatur ad cognoscendum quod naturaliter non potest cognoscere et modus naturalis cognoscendi Deum imperfecte per creaturas corrigitur per modum cognoscendi perfectiorem huius vitae, nempe per negationem et ablationem, ut fit per fidem et contemplationem mysticam.

QUAESTIO XV

UTRUM IN HAC CONTEMPLATIONE PER NEGATIONEM OMNIUM SENSIBILIUM ET INTELLIGIBILIUM SISTENDUM SIT IN ALIQUO CONCEPTU DEI ABSOLUTO?

Dicendum est *primo* in contemplatione acquisita per negationem sistendum esse in aliquo conceptu confuso et universali Dei reverenterque amando eum quem cognoscit esse super omnia cognoscibilia quemque non potest clare cognoscere, nec comprehendere. Ita noster Ioseph a Iesu Maria in *Ascensu animae ad Deum*, lib. I, cap. 14 (1); et probat ex D. Thoma III *Sent.*, dist. 35, quaest. 2, art. 2 (2) atque ex D. Dionysio variis in locis. Similia inveniuntur in *Concordantia mystica*, cuiuscunque auctoris sit (quem nos alibi unum ex nostris esse demonstravimus), lib. I, cap. 22 (3) et in *Apologia mystica* (4), cuius mentionem fecimus in *Catena mystica*, quaest. 12 (5); qui omnes expresse loquuntur de contemplatione acquisita. Hi tradunt quod ubi ista contemplatio desinit in tali conceptu Dei universali et confuso, ibi incipit contemplatio simplicissima et univer-

(16) Ita in ed. lat. 1639, pp. 58a-59b. — cap. 11 in ed. crit., t. I, pp. 150-152.

(17) Ita in ed. lat. 1639, pp. 206b-211a. — *Noche oscura del sentido*, canc. I, v. 1, §. 9 y 10 (cap. 8 y 9); ed. crit., t. II, pp. 25-32.

(1) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 14; ed. 1694, pp. 34a-35b.

(2) qla 2; ed. Vivès, t. IX, pp. 592a-593a.

(3) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. I, cap. 22; Barcelona, 1667, pp. 83-86. — Circa authenticitatem vide quae supra diximus, pp. 9-10, n. (10).

(4) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Apologia mistica en defensa de la contemplacion divina contra algunos maestros escolasticos que se oponen a ella*, cap. 2, Ms. 4.287 Bibl. Nacion. de Madrid, pp. 10-12; Ms. 4.478 Bibl. Nac. de Madrid, pp. 10-11.

(5) Sic in ed. 1684. — Cf. *Cadena mystica Carmelitana*, cathalogo de los autores Carmelitas Descalços, de que se forma esta Cadena Mystica, num. 10; prop. 9, resp. 1-2 y 7, pp. 70b-71b y 76b-77a; prop. 10, resp. 1 y 4, pp. 81a y 82b.

salis (6) fidei non iam comparando et denudando conceptum Dei a formis creatis, sed immediate ad illum simplicem et universalem conceptum Dei se suaviter erigendo. Itaque primam contemplationem habitam de Deo in illo conceptu confuso et universali eruto ex negatione perfectionum creatarum primum gradum appellaverim theologiae mysticae acquisitae. Secundam vero contemplationem per fidem iam sine labore et denudatione apprehensionum in Deum erectam et defixam sub illomet conceptu universali et confuso secundum gradum eiusdem theologiae acquisitae nuncupaverim ex mente horum et aliorum doctorum mysticorum.

Conclusio sic proposita explicatione practica patebit. Intendit quis per discursum ascendere ad Dei cognitionem, proponitur ei Deus tanquam *lux*: tunc intellectus vel lumine naturali ex supposita fide vel ex lumine fidei negat Deum esse lumen, sed aliquid superlucidissimum omni luce superius. Deinde proponitur eidem Deus tanquam *bonitas* vel *sapientia*: tunc intellectus negat Deum esse bonitatem et sapientiam prout eas nos concipimus ad modum bonitatis et sapientiae creatae, sed esse aliquid superbonum et supersapiens omnem bonitatem et sapientiam a nobis intellectam excedens. Sic per alias perfectiones similiter discurrendo duo simul praestat: unum est denudare conceptum Dei ab omni conceptu rerum creatarum, alterum est simul formare seu vestire illum perfectione supereminenti, v. g., superboni, supersapientis, etc. vel explicite, vel implicite, donec sistat in aliquo conceptu universali quo Deum contemplatur ut infinite excedentem omnia, incomprehensibilem, ineffabilem, etc., qui est primus gradus huius contemplationis acquisitae.

Inde huic contemplationi iam assuetus Deum sine labore denudationis ac remotionis, simplici et universali fidei actu sic intuetur sub illo generali et confuso conceptu. Qui quidem conceptus veluti mixtus est ex affirmativo et negativo, affirmando scilicet esse ens perfectissimum, optimum, etc., sed negando hoc esse taliter ut a nobis cognoscitur, sed infinite excedens, cuius infinitudinis conceptus semper manet confusus. Istumque secundum esse gradum theologiae mysticae acquisitae saepe diximus, quem appellamus contemplationem ex fide. In quibus contemplationibus quamvis intellectus suaviter et simplici attentione sit defixus, voluntas tamen efficax et affectuosa esse debet, nec cessare ab amore vel generali et confuso, vel particulari et distincto per actus anagogicos iuxta exigentiam animae et conformiter ad influentiam divinam, cuius signa et documenta dedimus in *Catena mystica*, quaest. 10, resp. 4, 5 et 6 (7).

Dicendum est *secundo* in contemplatione infusa et negativa quantumvis intellectus constituatur in caligine, Deo etiam debere assistere et ipsum intelligere sub aliquo conceptu absoluto et ab omni imperfectione denudato. De hac praecipue contemplatione infusa ita resolvit istam quaestionem P. Thomas a Iesu, *De contemplatione*, lib. V, cap. 10 (8), ubi plures doctores citat, ut Dionysium Cartusianum (9), Gersonem (10), Augustinum (11), etc.

(6) In ed. 1684 legitur: « *ibi incipere contemplationem simplicissimam et universalem* ».

(7) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 10, resp. 4-6; pp. 82b-84a.

(8) *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 10; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, pp. 169a-171b.

(9) *Elucidationes seu commentaria in libros S. Dionysii Areopagitae; Difficultatum praecipuarum praecedentium librorum absolutiones breves ac necessariae*, art. 2, §. *at vero; Opera omnia*, ed. crit., t. XVI, p. 486a.

(10) *Considerationes de mystica theologia practica*, consid. XII, §. *Amplius vero; Opera omnia*, ed. 1706, t. III, col. 420-421. — *Tractatus de simplificatione, stabilitione seu mundificatione cordis*, notula VIII; *Opera omnia*, ed. 1706, t. III, col. 459.

(11) *De Trinitate libri quindecim*, lib. VIII, cap. 3; Migne, P. L., t. 42, col. 949-951. — *De doctrina christiana libri quatuor*, lib. I, cap.6; Migne, P.L., t. 34, col. 21.

Ex quibus ipse colligit *primo*: intellectum se habere in hac contemplatione per modum sculptoris (exemplum est S. Dionysii in hoc lib., cap. 2) (12), qui per solam remotionem materiae ligni format *agalma* seu simulachrum pulcherrimum. Quando enim Deum concipimus ut ens infinitum, per illam negationem indicatur quid positivum, quod nihil aliud est quam ipsa consummata Dei perfectio, qua maior nec aequalis excogitari possit. *Secundo*: in hac vita sive Deus cognoscatur per attributa affirmativa, sive per negativa, quae de eo per remotionem dicuntur, nunquam clare in se et immediate cognoscitur *quoad quid est*, sed solum a posteriori et *quia est;* magis tamen, clarius et perfectius, quando cognoscitur magis eminens et elongatus a cunctis creatis; et dum cognoscitur *quoad an est* vel *quia est*, aliquo modo saltem confuse cognoscitur etiam *quoad quid est*. *Tertio*: ista cognitio Dei in contemplatione negativa sub conceptu illo iam dicto late potest dici intuitiva per hoc solum quod obiective et immediate cognoscitur quoad essentialia et propria, licet non clare et distincte ut in se est. Eodem modo potest dici quidditativa impropria seu quidditatis, ut iam tetigimus quaest. 8, dub. 6.

Applicando igitur conclusionem tribus gradibus theologiae mysticae infusae: quando per donum sapientiae ita elevatur et illustratur conceptus contemplationis acquisitae per fidem ut non excedat modum nostrum humanum operandi, adhuc remanet sub sphaera theologiae mysticae acquisitae, quod ex D. Thoma probat noster P. Ioseph a Iesu Maria, lib. I *Ascensus animae ad Deum*, cap. 25 (13). Quando vero ita elevatur ipse conceptus fidei a dono sapientiae ut excedat modum nostrum humanum contemplandi, tum ob maiorem claritatem qua penetratur convenientia et excellentia perfectionis divinae et attributorum eius, tum ob imperceptibilem vel totalem independentiam a phantasmatibus, tunc exercetur primus gradus theologiae mysticae qui dicitur contemplatio pura et ingressus in caliginem divinam.

Quando vero intellectus iam contemplationi assuetus immediate erigitur a dono sapientiae ad Deum contemplandum in caligine et sub illo conceptu confuso sed illustrato modo dicto, quin praecedat saltem ordinarie contemplatio acquisita, sed mens adeo frequenter his illustrationibus acta videatur quasi permanentem inhabitare caliginem, tunc excercetur secundus gradus quo absolute et praecipue dicitur contemplatio in caligine; sive hoc fiat ex praecedentibus speciebus ordinatis et dispositis a Deo, sive per speciem infusam repraesentativam Dei et attributorum eius clare *quoad an est* et confuse *quoad quid est*, iuxta superius dicta quaest. 8, dub. 5 et 6.

Quando denique ultra praedictam contemplationem in caligine datur perceptio experimentalis Dei in voluntate ei unita per amorem fruitivam et inde elevatur et illustratur intellectus superiori lumine transeunte, quod sit quaedam participatio luminis gloriae, et simul infunduntur species perfectissimae quae clariori modo possibili Deum repraesentent *quoad an est* et confuse etiam *quoad quid est*, vel eademmet essentia divina uniatur intellectui per modum speciei, iuxta ibidem dicta dub 6 et 7, tunc excercetur tertius gradus atque supremus theologiae mysticae, in quo perfectius quam in praecedentibus conceptus Dei formatur, clarissimus quidem *quoad an est*, adhuc tamen confusus atque obscurus *quoad quid est;* ex qua confusione et ignoratione Dei *quoad quid est* habet iste gradus per-

(12) *De Mystica Theologia*, cap. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 1025.

(13) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 25; ed. 1694, pp. 63-67a.

tinere aliquo modo ad contemplationem in caligine.

Quibus sic explicatis, solum restat ostendere utramque conclusionem esse ad mentem D. Dionysii; quidquid enim docet in hac materia, potest, servatis servandis, tam contemplationem acquisitam quam infusam complecti, ut saepe diximus. *Primo*, ex hoc lib., cap. 2 (14), ubi contemplationem in caligine comparat statuario qui sola ablatione *agalma* seu statuam eiusque pulchritudinem manifestat. *Secundo*, ex *Epist. I ad Caium monachum* (15), ubi docet illam ignorationem quam in libro *De Theologia Mystica* commendat, non privative, sed superlate intelligendam esse. *Tertio*, ex *Epist. V ad Dorotheum* (16), explicans quid sit divina caligo, affert exemplum D. Pauli *ad Roman.*, XI, v. 33, dicens: *Quemadmodum D. Paulus Deum cognovisse dicitur, quando illum supra omnem scientiam et intelligentiam existere cognovit.* Ut autem cognoscat anima Deum esse supra omnem scientiam et intelligentiam, aliquem conceptum debet efformare. Plura etiam loca similia possent afferri, ex quibus colligitur per omnium negationem ad aliquem conceptum Dei super omnia nos manuduci.

Si obiicias Dionysium in *Epist. I ad Caium* (17) dicere: *Si quis, viso Deo, cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid e rebus eius quae existunt et cognoscuntur.* Sed qui non vidit Deum, nec cognoscit, nullum eius conceptum format. Ergo in hac contemplatione per negationem non debemus sistere in aliquo conceptu Dei. — Respondetur: D. Dionysium loqui de cognitione distincta *quoad quid est*, ut patet ex verbis *cognovit id quod vidit*, non tamen de cognitione confusa vel *quoad an est*. In cognitione enim confusa non videtur intuitive id quod est, sed obscure et per aliqua praedicata generalia vel involventia negationem. In cognitione autem *quoad an est* non cognoscitur *quid est*, sed *quia est*, v. g., esse Deum in mundo, esse nobis praesentem, esse quid perfectissimum, incomprehensibile et excedens omnia, sed non cognoscitur qualis sit ista perfectio et excessus, etc. Unde remanet reverenter suspiciendo Deum in illo conceptu confuso et universali et amando eum quem intellectus comprehendere non potest. Videatur D. Thomas in III *Sent.*, dist. 35, quaest. 2, art. 2 (18).

QUAESTIO XVI

UTRUM SENSIBILIA ET INTELLIGIBILIA OMNIA RELINQUENDA SINT NON SOLUM AB INTELLECTU CONTEMPLANTE, SED ETIAM A POTENTIIS AFFECTIVIS ET APPETITIVIS?

Sit conclusio: Quamvis Dionysius directe et explicite loquatur de intellectu, indirecte tamen et implicite potest de voluntate et appetitu etiam intelligi. Conclusio quoad *primam* partem constare videtur ex contextu, ubi S. Dionysius aperte loquitur de negatione et remotione rerum creatarum quae intellectui obiiciuntur ad cognoscendum Deum. Quoad *secundam* vero partem probatur: quia S. Dionysius intendit nos instruere de modo perfectiori contemplandi divina, ut per contemplationem erigamur ad unionem cum Deo. Sed nec istam contemplationem perfecte quis potest

(14) Migne, P. G., t. 3, col. 1025.

(15) Migne, P. G., t. 3, col. 1066: *Haec superlate et non privanter accipiens.*

(16) Migne, t. cit., col. 1074: *Quemadmodum etiam divus Paulus...*

(17) Migne, t. cit., col. 1066.

(18) qla 2; ed. Vivès, t. IX, pp. 592a-593a.

assequi, nisi potentiae appetitivae retrahantur ab amore et affectu creaturarum tam sensibilium quam intelligibilium, nec voluntas potest uniri Deo dum creaturis afficitur. Ergo sub hac eadem remotione explicita intellectus intelligenda quoque remotio voluntatis et appetitus.

Maior et consequentia patent. Minor probatur ex unanimi doctorum mysticorum consensu, quorum praecipua cura in instruendis contemplativis est mortificatio passionum et affectuum inordinatorum, immo etiam illorum qui licite possunt exerceri, exceptis solum illis qui ex praecepto vel voluntate Dei eiusque amore potius quam rerum creatarum oriuntur. Unde N. B. P. Ioannes a Cruce *Ascensum montis Carmeli* (1) in tres libros distinguit. In *primo* tanquam in limine agit de mortificatione passionum et quomodo mens debeat sensus a sensibilibus cohibere, ut possit ad unionem Dei tam per intellectum et contemplationem quam per voluntatem et amorem assurgere. In *secundo* intellectum abstrahit non solum a sensibilibus, sed intelligibilibus etiam creatis per obscuritatem fidei, quae est mystica theologia acquisita. In *tertio* denique negationem et mortificationem memoriae et voluntatis particulariter commendat. Quae omnia includuntur sub remotione et abstractione affectus ab omni obiecto sensibili et intelligibili creato seu, quod idem est, ab omni amore proprio non solum illicito, verum etiam indifferenti. Legendus quoque qui de hoc praeclare scripsit noster Simon a S. Paulo opere inscripto *Reformatio hominis*, libro primo et secundo (2).

Quis autem sit amor proprius reiiciendus vel amplectendus, explicat D. Thomas, IIª IIªe, quaest. 19, art. 6 (3), ex triplici respectu quem amor proprius habere potest ad caritatem: *Amor autem sui*, inquit S. Doctor, *tripliciter se potest habere ad charitatem. Uno enim modo contrariatur charitati, secundum quod aliquis in amore proprii boni finem constituit. Alio modo in charitate includitur, secundum quod homo se propter Deum et in Deo diligit. Tertio modo a charitate quidem distinguitur, sed charitati non contrariatur, puta cum aliquis diligit seipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituat finem; sicut etiam et ad proximum potest esse aliqua alia specialis dilectio, praeter dilectionem charitatis, quae fundatur in Deo, dum proximus diligitur ratione commoditatis, consanguinitatis vel alicuius conditionis humanae, quae referibilis sit ad charitatem, etc.* Ex his ergo tribus amoribus primus debet ab omnibus iustis vitari, ne caritatem et Dei gratiam amittant. Tertius debet etiam mortificari et cohiberi ab iis potissimum qui ad perfectionem caritatis per contemplationem et unionem Dei aspirant.

Ratio autem cur negatio appetitus circa sensibilia pertineat aliquo modo ad caliginem et obscuritatem mysticam, tradit idem B. P. Ioannes a Cruce, lib. I *Ascensus montis Carmeli*, cap. 3 (4): nimirum, quia sensus sunt ianuae per quas anima fit pervia luci temporali seu imaginibus rerum; quibus veluti clausis per retractionem appetitus ab affectu videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, remanet sub caligine et vacuitate quadam respectu obiectionum sensibilium; quamvis enim his sensibus utatur, cum hoc fiat sine affectione et delectatione, non magis illam occupant et

(1) *Opera*, ed. lat., 1639, pp. 1ª-188ᵇ. — *Subida del Monte Carmelo; Obras*, ed. crít., t. I, pp. 27-410.

(2) *Riforma dell'huomo*, part. I, lib. I-II; *Opera spirituale*, Venetia, 1694, t. I, pp. 8ª-272ᵇ.

(3) Ed. Leon., t. VIII, p. 143: ...: *secundum scilicet aliquis... Alio vero modo in... cum aliquis diligit quidem seipsum... proximus diligitur vel ratione consanguinitatis vel alicuius alterius conditionis humanae, quae tamen referibilis sit ad caritatem.*

(4) Ed. lat. 1639, p. 4ª. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. I, cap. 3; ed. crít., t. I, p. 42.

impediunt quam si nihil sentiret; non enim impletur aut evacuatur anima rebus ipsis, sed earum affectibus.

Rationes item quare caligo ista et denudatio ab appetitu sensibilium conducat ad contemplationem et unionem, late prosequitur in eodem libro (5) idem S. Doctor. *Primo*, propter oppositionem inter amorem Dei et creaturae. *Secundo*, propter inquietudinem quam affectio creaturarum causat. *Tertio*, propter afflictiones et anxietates quas inducit. *Quarto*, propter obscuritatem et caecitatem qua lux creaturarum interposita occupat et praepedit oculos ne divinam conspiciant et attendant. *Quinto*, propter inquinamentum quo mentem ipsam maculant et deformant. *Sexto*, propter imbecillitatem qua animus ad virtutem flaccescit. *Denique*, quia status unionis in hoc consistit quod voluntas humana ita in divinam transformetur, ut nihil omnino velit nisi quod vult Deus; non vult autem quod Deus vult, qui voluntate propria inordinatos appetitus passionis amplectitur. Quae omnia idem B. Pater noster sacrae paginae auctoritatibus egregie confirmat.

Si obiicias ac dicas *primo*: sensus externos, proposito obiecto, non posse non percipere sensibilia; deinde imaginatio per sensum informata non potest non illa cogitare et appetitui proponere; et tandem appetitus sensitivus necessario fertur in bonum delectabile et sensibile propositum ab imaginatione. Ergo non possunt denudari a sensibilibus. — Respondetur negando consequentiam; si enim sensatio vel appetitio rationem antevertat, non obest perfectioni; si autem voluntas illis resistat, tunc potest sensus externos cohibere ne vanitates hauriant, cum sensus isti despotice illi obediant; potest etiam, licet maiori difficultate, imaginationem ab illis cogitandis suspendere vel saltem ad alia obiecta non delectabilia divertere; potest denique appetitum retrahere amovendo obiectum appetibile per imaginationis declinationem ad alia obiecta vel etiam posito obiecto appetitum fraenare ne in adeo fervidas et deordinatas passiones prorumpat. Unde tota ista sensibilium remotio a voluntate tanquam a primo mobili debet incipere.

Obiicies *secundo*: Quilibet appetitus in sensibilia voluntarius valet praedicta damna causare in anima. Sed cohibere totaliter omnes appetitus eorumque passiones et motus est valde difficile, ne dicam impossibile. Ergo nunquam anima ad contemplationem vel unionem Dei perveniet. — Respondetur: difficile hoc quidem esse et pene impossibile assequi per solam mortificationem et purgationem activam, et ideo quas Deus animas ad contemplationem perfectam sublevare intendit, eas in purgationem passivam sensus solet inducere, qua pene totaliter a sensibilibus avocantur; de qua purgatione passiva locuti sumus in *Catena* nostra *mystica*, quaest. 15 (6). Legendi quos ibidem citavimus, S. M. Theresia (7) et B. P. Ioannes a Cruce (8), Ioannes (9) et Ioseph a Iesu Maria (10), Ven. M. Feliciana a S. Ioseph (11) et P. Philippus a SS. Trinitate (12). De hac etiam purgatione pas-

---

(5) cap. 4-11; ed. lat. 1639, pp. 4b-23a; ed. crít., t. I, pp. 44-83.

(6) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 15; pp. 125a-132b.

(7) Pluribus in locis; cf., v. g., *Vida*, cap. 11; *Obras*, ed. crít., t. I, pp. 75-83; *Moradas* IV, cap. 1; t. IV, pp. 45-52.

(8) *Noche oscura del sentido*, canc. I, v. 1, §. 9-v. 5 (cap. 8-14); *Obras*, ed. crít., t. II, pp. 25-50. — *Noche oscura del espíritu*, §. 1-3 (cap. 1-3); t. II, pp. 51-57. — *Llama de amor viva*, canc. III, v. 3, §. 4-7; t. II, pp. 443-450 y 654-658.

(9) IOANNES A IESU MARIA, *Schola in qua de oratione, contemplatione,... praecepta traduntur*, tract. II *De oratione*, §. *De ariditate*, dub. 44-50; *Opera omnia*, ed. 1650, t. II, pp. 554a-556b; ed. 1771-1774, t. II, pp. 516a-518a.

(10) *Subida del alma a Dios*, lib. III, cap. 1-3; ed. 1694, pp. 156a-164b.

(11) *Instruccion de religiosas con titulo de « Recreacion espiritual » compuesto en dos dialogos*, dialogo II, §§. 1 y 2; Zaragoza, 1654, pp. 48-53.

(12) *Summa theologiae mysticae*, part. I, tract. III, disc. 1 et 2; ed. 1874, t. I, pp. 347-407.

siva partis sensitivae praeclare scripserunt Dominicus a SS. Trinitate, lib. VII tomi VII suae *Bibliothecae theologicae*, sect. 2, cap. 6 et 7 (13) et Antonius a Spiritu Sancto in *Directorio mystico*, tract. II, disp. 4 et 5 (14). Non tamen omnes appetitus etiam voluntarii aequaliter impediunt contemplationem, sed hoc vel ex materia, vel ex plenitudine advertentiae adiudicandum est; solet tamen Deus animas nondum plene purgatas ad contemplationem allicere, sic enim citius et facilius denudantur a sensibilibus, ut ad perfectiorem contemplationis gradum et inde ad unionem paulatim accedant.

Obiicies *tertio*: Videtur saltem sufficere denudare animum ab appetitu sensibilium, nec opus erit ab intellectualibus obiectis removere. — Respondetur negando illationem; quilibet enim affectus et omnis inhaesio voluntatis erga creaturas quamvis spirituales et supernaturales potest impedire unionem, nisi in Deo et propter Deum amentur. Licet non aeque impediant istae affectiones sicut sensibilium, quae magis materialem et improportionatum reddunt animum ad divina contemplanda et capessenda. Ut intellectus perfecte uniatur Deo, ab omnibus aliis obiectis etiam spiritualibus debet vacare ac denudari; ut memoria plene uniatur Deo, omnium creaturarum quantum potest debet oblivisci; et ut voluntas plene uniatur Deo, ab omnibus aliis amoribus, desideriis et delectationibus abstrahenda est. Ad quod etiam perfecte consequendum introducitur anima in illam terribilem purgationem spiritus, de qua egimus in *Catena mystica*, quaest. 16 (15) et tetigimus supra dicta quaest. 8.

QUAESTIO XVII

DE QUANAM UNIONE LOQUATUR DIONYSIUS, DUM MONET TIMOTHEUM UT PER PRAEDICTAM REMOTIONEM SE EXERCITET AD UNIONEM ET CONIUNCTIONEM CUM DEO?

Corderius videtur haec intelligere de unione amoris, dum ad particulam *ad unionem* addit (1): *quae per charitatem fit et gratiam*. Pachymera, de unione intellectus in se seu de intellectione indivisa in plura obiecta, dum in solum Deum ab aliis formis denudatus erigitur. *Haec enim*, inquit (2), *est unio, secundum quam mens unitur, et adducitur ad aliquid intelligendum*. Mihi tamen videtur primario loqui de unione intellectus cum Deo, quae involvit etiam unionem intellectus in se et supponit vel ordinatur ad unionem Dei per gratiam et amorem; unde etiam de aliis unionibus saltem secundario et implicite potest intelligi, ut diximus de remotione creaturarum quaestione praecedenti.

Quod autem primario et directe loquatur de unione intellectus cum Deo, probo: tum quia in praesenti principaliter intendit S. Doctor instruere intellectum circa contemplationem mysticae theologiae; tum etiam quia in cap. 1 *De Divinis Nominibus*, §. 5 (3), loquens de istamet unione ad

(13) cap. 6; Romae, 1666-1676, t. VII, pp. 248a-254b. — In ed. 1684 additur: « *cap.* 7 », at vero cap. 7, pp. 254b-259b, tractat de purgatione passiva partis intellectualis.

(14) Ed. 1904, pp. 121-146.

(15) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 16; pp. 132a-143b.

(1) *Adnotationes in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 1003.

(2) *Paraphrasis in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 1018.

(3) Migne, P. G., t. 3, col. 594: *Siquidem per omnem mentalis operationis vacationem ejuscemodi deificatarum mentium ad supremum Dei lumen unio exsistit.*

quam postulat ablationem omnium, aperte se explicat de unione intellectus, dicens: *Per omnem vacationem operationis mentalis existit unio mentium Deiformium ad supremum Dei lumen.* Ubi D. Thomas, lect. 2 (4), addit: *Quasi dicat: postquam secundum Deiformitatem uniti fuerimus per cognitionem rebus divinis, etc.*

Ratio autem utriusque est: quia sicut unio intellectus cum Deo impeditur per formas creatas apprehensas et veluti interpositas inter Deum et intellectum, ita etiam unio memoriae per easdemmet formas non oblitas. Et unio voluntatis per earum rerum amorem, desiderium, gaudium, tristitiam, etc., ut late explicat B. P. Ioannes a Cruce in *Ascensu montis Carmeli*, lib. II (5), ubi agit de unione intellectus et lib. III (6), ubi disserit de unione memoriae et voluntatis. Consulendus quoque noster Simon a S. Paulo, lib. I et II operis sui *De reformatione hominis* (7). Sed occasione huius quaestionis et pro maiori eius intelligentia aliquot dubia circa unionem hic inserere lubet.

DUBIUM I

Quid et quotuplex sit unio mentis cum Deo?

Unio, ut nomen ipsum sonat, est distinctarum seu rerum diversarum coniunctio et copulatio. Unde cum Deus et anima valde sint diversa, tunc dicentur uniti, quando vel anima immediate secundum suam essentiam vel mediantibus potentiis suis cum Deo copuletur.

Haec igitur unio inter Deum et animam est multiplex. Altera enim est *naturalis*, altera *supernaturalis*. Unio *naturalis* inter Deum et animam est illa quae etiam invenitur inter Deum et creaturas omnes, in quibus omnibus Deus substantialiter habitat conservando earum entitatem; omnibus enim rebus assistit Deus per essentiam, potentiam et praesentiam. De qua unione non procedit quaestio, nec verba Dionysii, ut patet.

Unio *supernaturalis* vel est communis omnibus iustis, vel solum est iustorum perfectorum. Illa quae est communis omnibus iustis, est gratia habitualis, non solum quatenus ipsa essentia gratiae, quae est essentia Dei participata, unitur et inhaeret animae; sed quatenus ipsamet gratia est vinculum supernaturale et accidentale quo anima unitur Deo; ita ut, si per impossibile Deus non esset in ea sicut in aliis creaturis per unionem naturalem modo supra dicto, nihilominus esset in ea per unionem istam supernaturalem gratiae, proportionabiliter ad id quod dicitur de unione hypostatica: quod si per impossibile Verbum divinum non esset per immensitatem et actionem conservativam praesens illi humanitati, tamen ex vi unionis hypostaticae esset ei intime praesens. De quo videatur Suarius, lib XII *De Trinitate*, cap. 5 (8) et NN. Salmanticenses, tom. II, in I^am^ partem D. Thomae, tract. VI *De Trinitate*, disp. 19, dub. 5 (9). Quod fundatur in illo *ad Rom.*, V (10): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* et I *Corinth.*, VI (11):

---

(4) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, cap. 1, lect. 2; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XXIX, p. 389a.

(5) *Opera*, ed. lat. 1639, pp. 29a-119b. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II; *Obras*, ed. crít., t. I, pp. 97-267.

(6) Ed. lat. 1639, pp. 120a-188b. — Ed. crít., t. I, pp. 269-410.

(7) *Riforma dell'huomo*, part. I, lib. I-II; *Opera spirituale*, Venetia, 1694, t. I, pp. 8a-272b. — Cf. praesertim lib. II, cap. 1 sqq.; t. I, pp. 157a sqq.

(8) num. 16 sq.; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. I, pp. 812a sq.

(9) Ed. V. Palmé, t. III, pp. 752a sqq.

(10) v. 5.

(11) v. 19.

Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est. Unde theologi cum D. Thoma, I part., quaest. 43, art. 3, dicunt Deum esse in anima iusta non solum per communicationem bonorum, sed quia ipsemet Spiritus Sanctus datur et mittitur et inhabitat animam novo ac speciali modo ab illo quo in ea erat per solam creationem et conservationem. Legendi de hoc ex nostris Gabriel a S. Vincentio, *Tom. I in I^am partem S. Thomae*, disp. 39, dub. 5 (12); Dominicus a SS. Trinitate, lib. VII tomi VII suae *Bibliothecae theologicae*, sect. 4, cap. 2 et 3 (13); Balthasar a S. Catharina in *Commentario Castelli interioris S. M. Theresiae*, cap. 1 mansionis V, splend. 1 (14); citatur etiam pro hac sententia a Salmanticensibus, loco mox indicato, Seraphica nostra M. Theresia cap. 1 mansionis VII (15) et Nicolaus a Iesu Maria I part., cap. 16 *Elucidationis theologicae phrasium mysticae theologiae B. P. Ioannis a Cruce* (16).

Ut autem haec unio realis supernaturalis magis explicetur, notandum est pluribus modis posse Deum uniri creaturis. *Primo*, per illapsum operando in illis, quae est unio agentis ad passum mediante actione. *Secundo*, in ratione obiecti intellectus et voluntatis, quod fit mediante operatione qua creatura Deum ut obiectum attingit. *Tertio*, ut amatum in amante et cognitum in cognoscente, non quia semper actualiter ametur et cognoscatur, sed quia illis assistit cognoscibilis et amabilis et in eis datur principium cognoscendi et amandi, nempe gratia, caritas et fides. *Quarto*, sicut terminus cum re terminabili ad constituendum unum per se suppositum, ut fit solum per unionem hypostaticam. De quibus modis unionis videndi nostri Salmanticenses, tom. III, in I^am II^ae, tract. IX, disp. 1, dub. 1 (17); et Hieronymus Gratianus, II part. *Dilucidarii*, cap. 2 et seqq. (18); Dominicus (19) et Balthasar (20) supra citati.

Per gratiam igitur et caritatem est Deus in primis unitus animae primo modo; est enim gratia unita animae per inhaerentiam et Deus unitus gratiae per operationem ac proinde hoc modo unitus animae mediante gratia. Ceterum, quia per istam operationem magis est creatura habita et possessa a Deo quam Deus habeatur et possideatur ab ipsa, ideo etiam est in illa non solum secundo modo quando actualiter intelligitur et amatur, sed etiam tertio modo tanquam cognitum in cognoscente et amatum in amante saltem habitualiter, et hoc non utcunque, sed tanquam cognitum in cognoscente habitualiter ea cognitione quae sufficiat ad dirigendum perfectissimum amorem amicitiae et tanquam amatum in amante per praedictum amorem; proprium autem est amoris amicitiae quod ex se exigat unionem inter amicos non solum affectivam seu per conformitatem affectuum, sed per inseparabilem praesentiam et coniunctionem personalem quoad fieri potest; ac proinde gratia et caritas, quae sic constituunt hominem amicum Dei, petunt ex natura sua intimam Dei praesentiam in homine, ita ut per realem et personalem praesentiam esset intra ipsum, licet alio titulo non fuisset ibi realiter praesens. Quod latius probant et defen-

(12) Romae, 1664, pp. 687b-690b.

(13) Romae, 1666-1676, t. VII, pp. 600a-619a.

(14) *Splendori riflessi di sapienza celeste vibrati da' gloriosi Gerarchi Tomaso d'Aquino e Teresa di Giesù sopra il Castello Interiore, e Mistico Giardino metafore della Santa*, mans. V, cap. 1, splend. 1; Bologna, 1671, pp. 278a-281b; praesertim riflesso 1, pp. 278a-279b.

(15) *Opera*, ed. lat. 1626-1627, t. II, pp. 291-296. — *Moradas* VII, cap. 1; ed. crít., t. IV, pp. 179-184.

(16) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 16; ed. 1639, pp. 182-190. — In ed. 1684 legitur: « *I part.* ».

(17) Ed. V. Palmé, t. V, pp. 206b sqq.

(18) *Dilucidario del verdadero espíritu*, parte II, cap. 2; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 54v,a-55v,b.

(19) l. c.

(20) l. c., riflesso 1; pp. 278a-279b.

dunt NN. Salmanticenses, *De Trinitate*, tract. VI, disp. 19, dub. 5 iam citato (21) et iterum explicabitur infra dub. 5.

Haec autem unio Spiritus Sancti (ut bene notat noster Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucidatione Theolog.*, part. I, cap. 16, num. 13) (22) *non solum contingit in prima infusione gratiae, sed etiam in eius augmento, maxime quando anima proficit in novum statum gratiae; quia tunc etiam datur missio invisibilis Spiritus Sancti;* quod probat ex D. Thoma, I part., quaest. 43, art. 6, ad 2 et in I *Sent.*, dist. 15, quaest. 5, art. 1, quaestiunc. 4 (23), et art. 2, quaestiunc. 1 (24) eiusque expositoribus et maxime Suarez, lib. XII *De Trinitate*, cap. 5, num. 16 (25).

Quod in praesenti videtur distinguendum secundum principales gradus huius unionis ex maiori profectu in purificatione animae, ad quem sequitur maior etiam profectus in augmento gratiae et habituum cum ea infusorum. *Primus* est communis iustorum, quando gratia de novo infunditur. Cui correspondet unio actualis et affectiva seu amor etiam communis.

Secundus, quando anima iam purificata per mortificationes activas aut etiam per passivam partis sensitivae ingreditur statum perfectionis et contemplationis; et tunc solent etiam exerceri actus unionis activae et acquisitae vel etiam infusae et passivae, sed imperfectae et partialis, ut orationis quietis, ebrietatis et impulsus.

Tertius, quando iam magis est purificata per purgationem passivam spiritus; tunc enim valde proficit in gratia et caritate, et in hoc statu solet exercere unionem actualem totalem quoad priores actus, qui sunt brevissimi et ideo comparantur a Seraphica Matre mutuis sponsorum conspectibus, lib. *Castelli animae*, mans. V, cap. 4 (26). Legendus noster Balthasar in hunc locum (27).

Quartus, quando post maiorem adhuc purificationem tantum proficit in caritate, ut Deus animae sibi unitae saporem et suavitatem divinam faciat experiri et percipere; unde unio actualis voluntatis iam appellatur *fruitiva* et comparatur a Seraphica Matre sponsalibus (28).

Quintus denique, quando iam amplius ardoribus caritatis incensa ita iam purificata depuratur, ut pene nihil propriae conditionis retineat, sed iam totaliter transformata possit dicere cum Paulo (29); *Vivo ego, iam non ego, etc.* In quo statu exercetur illa alia actualis unio fruitiva et transformativa superior omnibus, quae licet non in eadem actualitate permaneat, remanet tamen habitualiter in voluntatis inclinatione ad Deum sibi iam veluti inseparabiliter praesentem; et ideo in hoc statu celebratur matrimonium spirituale (30).

Itaque quo magis anima depuratur et exuitur imperfectionibus habitua-

---

(21) Ed. cit., t. III, pp. 752 sqq.

(22) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 16, §. 2, num. 13; ed. 1639, p. 185: *Haec autem unio specialis Spiritus sancti,...*

(23) Ed. Vivès, t. VII, p. 189a. — In ed. 1684 erronee legitur: « *quaestiunc.* 5 ».

(24) T. cit., p. 190b.

(25) Ed. Vivès, t. I, pp. 812a sq.

(26) Ed. lat., 1626-1627, t. II, pp. 224-228. — Ed. crít., t. IV, pp. 93-98.

(27) BALTHASAR A S. CATHARINA DE SIENA, C. D., *Splendori riflessi di sapienza celeste vibrati da' gloriosi Gerarchi Tomaso d'Aquino e Teresa di Giesù sopra Il Castello Interiore, e Mistico Giardino metafore della Santa*, mans. V, cap. 4, splendore unico; Bologna, 1671, pp. 399a-401b.

(28) *Moradas* VI, cap. 4; ed. crít., t. IV, pp. 123 sqq. — *Moradas* VII, cap. 2, §. *El desposorio espiritual*, t. IV, p. 187. — Cf. etiam IOANNES A CRUCE, *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XIV-XXI; ed. crít., t. II, pp. 233-276.

(29) *Ad Galat.*, c. II, v. 20; Hetzenauer, p. 1133: *Vivo autem, iam non ego.*

(30) Cf. S. THERESIA, pluribus in locis, praesertim *Moradas* VII, cap. 1 sqq.; ed. crít., t. IV, pp. 179 sqq. — IOANNES A CRUCE, *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 4; ed. crít., t. I, pp. 111-115; *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXII sqq.; t. II, pp. 276 sqq.; *Llama de amor viva*, t. II, pp. 383-483; 619-678.

libus et actualibus, per quas imago Dei in nobis obscuratur et maculatur, tanto magis etiam ornatur et induitur augmento gratiae et habituum supernaturalium, quibus magis ac magis assimilatur Deo habitualiter; qui quidem gradus perfectionis sunt gradus unionis realis et habitualis modo supra dicto, licet unio habitualis per antonomasiam sit illa ultimi et felicissimi status transformationis. In quolibet autem horum statuum unionis habitualis exerceri solet unio actualis, quando potentiae animae Deo etiam uniuntur vel perfecte, vel imperfecte, totaliter vel partialiter, affective tantum vel etiam effective seu fruitive et transformative; unde diversa quoque nomina sortitur, uti explicabimus dubio sequenti.

Obiicies *primo*: Si unio habitualis et realis fieret per infusionem gratiae et per maiorem radicationem et augmentum eius, gradus huius unionis essent pene infiniti. Ergo non bene distinguuntur per supra relatos. Probatur antecedens: quia anima iusta et a fortiori quae iam est in statu perfectionis plures quotidie exercet actus caritatis; sed per quemlibet actum caritatis ascendit anima in hac vita ad maius augmentum gratiae; ergo, etc. — Respondetur negando antecedens; ad cuius probationem respondetur *primo* negando minorem loquendo de actibus remissioribus habitu; quia, iuxta doctrinam D. Thomae, II^{a} II^{ae}, quaest. 24, art. 6, actus meritorius remissus non statim in hac vita adducit secum augmentum gratiae et caritatis, sed solus ille qui intensior est habitu; augmentum vero gratiae remissioribus correspondens reservatur ad statum gloriae cum ipsius gratiae consummatione tribuendum. Vel saltem (ut aliqui colligunt ex D. Thoma) dabitur in hac vita quando homo per ferventiorem actum se disponit ad illud. Et licet aliqui etiam ex thomistis intelligant S. Doctorem vel de gratia in esse physico et non de illa in esse gratiae et acceptationis ad gloriam, vel de augmento ut est forma physicae dispositionis, et non de illo ut est praemium meriti, communis vero thomistarum sententia illum intelligit ut proposuimus.

Respondetur *secundo*: etiamsi admittamus cum Suario, (31), Vazquez (32) et aliis augmentum gratiae et caritatis etiam illud quod actibus remissioribus correspondet, statim nobis dari; vel cum Victoria (33), Soto (34) et aliis augeri quidem gratiam, sed non habitum caritatis; vel cum Scoto (35), Montesino (36), etc. quod detur saltem in primo instanti separationis animae; vel denique loquendo de actibus intensioribus, non ideo sequi debere nos multiplicare gradus unionis iuxta quodlibet augmentum gratiae et caritatis, sed iuxta notabile aliquod augmentum inferens aliquam differentiam in statu perfectionis, ut supra recensuimus.

Obiicies *secundo*: In ultimo gradu huius unionis realis et habitualis supponimus non posse animam ad ulteriorem gradum unionis transire. Sed hoc est falsum. Ergo adhuc restant plures alii denumerandi. Probatur minor: quia gratia et caritas in hac vita semper possunt augeri et non potest dari status perfectionis intra quem

---

(31) *Opusc.* V *Relectio de meritis mortificatis et per poenitentiam reparatis*, disp. 2, sect. 3, num. 12 sqq.; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XI, pp. 494^{b} sqq.

(32) *Commentariorum ac Disputationum in Primam secundae* disp. 220, cap. 5 et 6; Antverpiae, 1621, t. II, pp. 826^{a}-832^{b}.

(33) VICTORIA (FRANCISCUS DE—), *Relectiones theologicae*, relectio de augmento charitatis et diminutione, num. 12; Matriti, 1765, p. 343: *Ita dicimus quod per actum remissum augetur gratia, non autem charitas.*

(34) *Commentaria in quartum Sententiarum*, dist. 15, quaest. 2, art. 2; Salmanticae, 1568, t. I, p. 674^{b} sq.; Duaci, 1613, t. I, pp. 389^{b}-390^{b}. — *De natura et gratia libri tres*, lib. II, cap. 17; Salmanticae, 1570, p. 148^{b}.

(35) *Quaestiones in librum quartum Sententiarum*, dist. 21, quaest. 1, num. 9; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XVIII, p. 715^{b}.

(36) MONTESINOS (LUDOVICUS DE—), *Commentaria in Primam secundae Divi Thomae Aquinatis*, quaest. 114, disp. 36, §. ultim.; Compluti, 1621-1622, t. II, pp. 1069^{b}-1072^{b}, praesertim pp. 1070^{b}-1072^{b}.

non sit dabilis alius perfectior. — Respondetur distinguendo maiorem: non posse saltem de lege ordinaria transiri ad perfectiorem statum unionis, concedo; ad perfectiorem gradum intensionis, nego. Unde nego minorem; ad probationem dicendum quod licet gratia et caritas semper possint augeri, non quodlibet augmentum ad perfectiorem statum sufficere, ut supra diximus; et ille status dicitur ultimus, in quo gratia et caritas iam dicitur perfecta; quam perfectionem explicat D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 24, art. 8, dicens non vocari caritatem perfectam per hoc quod diligat Deum quantum ipse diligibilis est, iste enim amor non potest inveniri in creaturis; nec etiam per hoc quod cor hominis actualiter semper feratur in Deum, quia hoc solum in patria potest haberi; nec solum per hoc quod nihil cogitet aut velit divinae dilectioni contrarium, quia hoc est commune omnibus caritatem habentibus; sed pro hoc quod homo studium suum deputet ad vacandum Deo, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit. Et art. 9 distinguens statum perfectorum a statu incipientium et proficientium, dicit quod licet perfecti in caritate proficiant, non tendit ad hoc principalis eorum cura, sed ut Deo inhaereant. Unde ille erit ultimus et perfectior gradus unionis, in quo homo fruitur Deo et transformatus in ipsum pacifice iam quiescit et obdormit in brachiis eius ipsumque semper praesentem experitur et amplectitur. Consulendus noster pientissimus P. Michael de Fonte, qui de divina hac unione praeclare disserit cap. 7 et 8 libri III *De triplici vitae spiritualis statu* (37).

DUBIUM II

Quinam sint gradus unionis actualis et quaenam dicatur unio affectiva et effectiva?

Explicata unione reali et habituali dubio praecedenti, restat inquirere de unione *actuali* et de variis eius nominibus. *Actualis* igitur unio dicitur, quando anima non solum habitualiter, ut dictum est, sed etiam per actus intellectus et voluntatis Deo unitur, ut nihil aliud cogitet, nec amet et multoties nec sentiat; prae nimia enim applicatione intellectus et voluntatis solent suspendi sensus exteriores et interiores ab operationibus suis, tunc autem dicitur unio *actualis totalis;* si autem vel memoria, saltem sensibilis, dissolvatur ab hac unione vel sensus aliquis sensibilia hauriat, dicitur ista unio *partialis*, quia nimirum solus intellectus et voluntas occupatur in Deo.

Unio igitur actualis vel est solum *affectiva*, vel etiam *effectiva*. *Affectiva* dicitur illa qua (38) solum actus voluntatis sunt totaliter conformes voluntati divinae, eo enim ipso quod est conformitas affectuum, recte unio *affectiva* nuncupatur et formaliter consistit in ipso actu amoris. *Effectiva* autem dicitur, quando desiderans praesentiam amati ut eo realiter potiatur, ita se per amorem ferventiorem disponit, ut assequatur gratiam vel notabile aliquod augmentum eius per quod Deum ipsum assequatur per unionem realem supra dictam. Unde dicitur iste actus amoris non solum unio affectiva, sed *effectiva active*, quia effective vel quasi effective concurrit ad praedictam unionem realem; ipsa etiam unio realis sic adepta potest dici unio *effectiva passive*, quatenus scilicet effective aut quasi effective ab illo amore procedit.

---

(37) FUENTE (MICHAEL DE LA—) O. Carm., *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. III, cap. 7 y 8; Barcelona, 1887, pp 430-447.

(38) In ed. 1684 legitur: « *quae* » pro « *qua* ».

Quod D. Thomas Iª IIªᵉ, quaest. 28, art. 1 (39), allegans Augustinum his verbis explicat: *Duplex est unio amantis ad amatum: una quidem secundum rem, puta cum amatum praesentialiter adest amanti; alia vero secundum affectum... Primam unionem facit amor effective, quia movet ad desiderandum, et quaerendum praesentiam amati...: secundam autem unionem facit formaliter, quia ipse amor est talis unio, vel nexus. Unde dicit D. Augustinus in VIII De Trin., quod amor est quasi iunctura quaedam duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet et quod amatur. Quod enim dicit copulans, refertur ad unionem affectus, sine qua non est amor; quod vero dicit copulare intendens, pertinet ad unionem realem.* Haec ille.

Obiicies *primo*: D. Thomas loquitur de passione amoris erga creaturas, qui quidem amor potest effective influere in praesentiam amati, quatenus efficaciter et effective movet potentias ad inquirendam illam; et ideo potest vocari unio non solum affectiva, sed effectiva. Sed unio affectiva seu amor quo Dei praesentiam et unionem realem optamus et inquirimus, non influit effective in talem unionem, quae est per gratiae et caritatis infusionem vel augmentum. Ergo non potest appellari unio effectiva. — Respondetur: quod licet aliqui auctores dicant etiam actus nostros concurrere cum Deo physice et effective ad gratiam et augmentum eius, nos tamen veriorem sententiam amplectentes distinguimus minorem: non influit effective physice, concedo; non influit moraliter et meritorie vel saltem dispositive physice, nego; et ideo non dicimus absolute effective illam consequi, sed quasi effective: quod sufficit ut per analogiam et similitudinem illius de qua loquitur D. Thomas, dicatur ista unio actualis non solum affectiva, sed etiam effectiva.

Obiicies *secundo*: Unio effectiva saepe appellatur ab auctoribus mysticis unio realis et frequentius tribuitur hoc nomen unioni fruitivae etiam habituali. Sed unio realis non influit effective aut quasi effective modo dicto in aliam unionem. Ergo non est necesse quod effectiva influat effective. Probatur minor: quia influere quasi effective disponendo et promerendo est proprium actus meritorii et non habitus; unio autem realis est per modum habitus, ut supra diximus. — Respondetur distinguendo ultimam partem minoris: non influit effective per modum actus, concedo; per modum habitus, nego. Actus enim meritorius procedit ab habitu, qui proinde habitus potest dici meritorius habitualiter seu in actu primo. Nec erit inconveniens quod unio actualis dicatur effectiva active, unio vero realis effectiva passive, ut nominibus non confundantur.

Si quaeras an ista unio actualis affectiva et effectiva possit etiam dividi in activam seu acquisitam et passivam seu infusam? Respondeo affirmative; utraque quippe disponit ad ulterius augmentum gratiae. Activa autem illa est quam nos ex communibus gratiae auxiliis possumus et debemus procurare et quam maximis extollit laudabus Seraphica Mater in libro *Castelli animae*, mansione V, cap. 3 (40) et in libro *Fundationum*, cap. 5 (41); eamque dicit quam semper sibi ac suis

---

(39) Ed. Leon., t. VI, p. 197: .... *Primam ergo unionem amor facit effective... vel nexus. Unde Augustinus dicit, in VIII de Trin., quod amor est quasi vita quaedam...*

(40) *Opera*, ed. lat. 1626-1627, t. II, pp. 219-224. — *Castillo interior o Las Moradas*, moradas V, cap. 3; ed. crit., t. IV, pp. 85-91, praesertim p. 86.

(41) §. *Certum est; Opera*, ed. lat. 1626-1627, t. I., p. 333. — *Las Fundaciones*, cap. 5, § *Está claro;* ed. crít., t. V, p. 43-44: *Yo os digo, que no por falta de ella dejaréis de disponeros para alcanzar esta verdadera unión que queda dicha, que es hacer mi voluntad una con la de Dios. Esta es la unión que yo deseo, y querría en todas.*

alumnis exoptabat sitamque esse aiebat in habendo voluntatem in omnibus coniunctam et conformem voluntati divinae. Quod ut fiat habitualiter, qualiter convenit statui perfectionis, non sufficit unus vel alter actus huiusmodi conformitatis, sed necessaria est frequentia et facilitas horum actuum proveniens ex magna radicatione caritatis et ablatione impedimentorum, scilicet habituum vitiosorum et ordinatione passionum et rebellionis appetituum, quod proinde non sine magno labore et continuo mortificationis exercitio adipiscitur, ut eadem SS. Mater ibidem edocet. De hac activa unione posse etiam intelligi D. Dionysium constat ex dictis de mystica theologia acquisita.

Unio vero actualis affectiva et effectiva active quae sit passiva seu infusa, est illa quae specialibus auxiliis Deoque specialiter illuminante intellectum et inflammante voluntatem exercetur modo dicto, vel solum per affectivam conformitatem, vel disponendo et promerendo ulteriorem gratiae et habituum supernaturalium radicationem; et quia hoc principaliter invenitur in illa unione quae Deum movet ut se gustandum praebeat et praesentem exhibeat, ideo ista solet appellari frequentius *effectiva*, quae simul est *fruitiva* et *transformativa*.

DUBIUM III

Quare unio fruitiva sic appelletur?

Fruitiva unio dicitur a *fruitione*, ut ipsum nomen indicat; *fruitio* autem, iuxta D. Thomam, I^a II^{ae}, quaest. 11, art. 1, est actus delectationis *quam aliquis habet de ultimo expectato, quod est finis*. Unde videtur denominari a fructu, qui *est id, quod ultimo ex arbore expectatur, et cum quadam suavitate percipitur* (42). Invenitur autem fruitio in brutis imperfecte secundum essentiam ac proinde improprie, quia est de particulari fine et non de ultimo. In peccatoribus invenitur imperfecte secundum esse seu potius non vere, quia licet delectentur in aliquo sub ratione ultimi finis, non est tamen vere ultimus finis. In iustis autem viatoribus licet detur fruitio perfecte secundum essentiam et secundum esse, non tamen secundum operationem; quia non habent beatitudinem perfectam. Beati vero omnibus modis perfecte fruuntur; Deus autem perfectissime. Videatur D. Thomas, quaest. cit.; et quaest. 12, art. 2, ad 3; et in I *Sent.*, dist. 1, quaest. 2, art. 1, ad 4 (43); et quaest. 4, art. 1 (44); et in eiusdem *Concordantia* (45).

Addit etiam D. Thomas, dicta quaestione 11, art. 4, in corp. et ad 1, quod fruitio de fine seu de Deo habito tantum in spe et intentione est imperfecta; perfecta autem est de fine habito iam realiter. Ex quibus colligitur quamlibet unionem affectivam, quatenus habet adiunctam spem beatitudinis, posse dici unionem fruitivam imperfectam; sed quia ex his unionibus illae quae exercentur in duobus ultimis gradibus mysticae theologiae infusae, magis accedunt ad perfectam, quia taliter habent Deum in spe quod illum etiam habeant aliquo modo realiter, nempe per experientiam gustus et per aliqualem manifestationem praesentiae realis, ideo isti duo ultimi gradus unionis absolute dicuntur *uniones fruitivae*. Sed principaliter ultimus gradus, in quo anima iam quiescit a sollicita inquisitione Dei in hac

(42) I^a II^a, quaest. 11, art. 1, corp.; ed. Leon., t. VI, p. 90^b: *Fructus autem sensibilis est id quod ultimum ex arbore....*

(43) Ed. Vivès, t. VII, p. 22^a.

(44) T. cit., p. 24^a-25^b.

(45) PETRUS DE BERGOMO, O. Pr., *Concordantiae dictorum et conclusionum Divi Thomae de Aquino*, voce «*frui*», num. 656; *Opera omnia S. Thomae*, Romae, 1570, t. XVIII, fol. 19^{v},b.

vita, immo iam non tantum anxiatur pro praesentia in patria, cum Dei societatem quasi continue sentiat et habitualiter ea potiatur, ibique etiam gustus Dei sit maior, lumenque ad cognoscendum superius, atque inflammatio voluntatis ardentior Dei.

Obiicies: Si datur fruitio Dei in hac vita, vel daretur aliqua ex dotibus animae gloriosae in hac vita, vel daretur matrimonium sine dotibus. Neutrum est dicendum. Ergo, etc. Probatur maior quoad primam partem: quia fruitio est una ex tribus dotibus matrimonii animae gloriosae, quae non possunt dari nisi in gloria. Quoad secundam: quia in ultimo et perfectissimo gradu unionis quam vocamus fruitivam, non solum dantur sponsalia, quae praecesserant in gradu antecedenti, sed celebratur matrimonium spirituale, ut docuit N. Seraphica Mater mans. VII *Castelli animae*, cap. 1 et 2 (46), et in hoc matrimonio non possunt inveniri aliae duae dotes, scilicet visio et comprehensio, nisi forte fruitio, si admittatur.

Si respondeas fruitionem istam non esse perfectam ac proinde non esse dotem gloriae. Contra: quia saltem esset dos imperfecta et dos gloriae nec imperfecte potest dari in via. Quia dos debet esse perpetua iuxta definitionem D. Thomae in IV *Sent.*, dist. 49, quaest. 4, art. 1 (47): *dos est ornamentum animae et corporis, vitae sufficiens, in aeterna beatitudine iugiter perseverans.*

Si vero dicas fruitionem non esse dotem, si sumatur pro actu, sed pro habitu qui est principium eius, nempe caritate. Contra: tum quia fruitionem pro actu esse dotem dicunt plures thomistae fuisse sententiam ultimam D. Thomae, I^{a} part., quaest. 12, art. 7; tum quia sumpta pro habitu seu caritate magis conducit ad argumentum; siquidem caritas patriae et vitae sunt idem habitus et iam daretur in via eadem ratio dotis.

Respondetur ad argumentum negando maiorem quoad primam partem; et ad probationem respondetur primo distinguendo: fruitio perfecta est una ex tribus dotibus animae gloriosae, concedo; fruitio imperfecta, qualem dicimus esse fruitionem huius vitae, nego. Ad instantiam respondetur: supponere fruitionem imperfectam esse dotem saltem imperfectam, quod est falsum; ratio enim dotis semper est perfecta, quia nunquam datur nisi in patria, ubi est perpetua. Respondetur secundo distinguendo: fruitio sumpta pro habitu est dos animae gloriosae, concedo; sumpta pro actu, nego; nam actus fruitionis in patria pertinet ad essentiam matrimonii: siquidem visio sine fruitione non esset iucunda sicut requiritur ad unionem matrimonii. Ad primam instantiam respondetur: probabilius esse D. Thomam non mutasse sententiam quod fruitio sit dos sumpta pro habitu, ut defendunt nostri Salimanticenses, tom. III, in I^{am} II^{ae}, tract. IX, disp. 2, dub. 2 (48). Ad secundam respondetur: caritatem patriae et viae esse eundem habitum secundum substantiam et speciem, concedo; secundum modum essendi, nego; in patria enim est in suo perfecto termino, qui nec potest augeri, nec deficere; est etiam principium fruitionis perfectae.

Instabis adhuc: ergo saltem in confirmatis in gratia habebit caritas rationem dotis. — Respondetur negando: quia licet non possit deficere, potest augeri, et non est principium fruitionis perfectae. Ut enim dicunt nostri Salmanticenses, cit. disp. 2, dub. 2, num. 18 (49): Hoc sufficit ut caritas patriae distinguatur quodammodo

(46) *Opera*, ed. lat. 1626-1627; t. II, pp. 291 sqq. — Ed. crit., t. IV, pp. 179 sqq. — Cf. supra, nota (30).

(47) corp., ed. Vivès, t. XI, p. 525^{a}: *Dos est perpetuus ornatus animae et...*

(48) num. 13, §. *Nec refert;* ed. Palmé, t. V, p. 284.

(49) T. V, p. 286^{b}: *Adde habitum charitatis in patria distingui quodammodo specie a charitate viae: non formaliter, sed virtualiter, sive eminenter: quatenus in patria est principium actus fruitionis, qui specie distinguitur a quocumque actu elicito in via.*

specie a caritate viae non formaliter, sed virtualiter et eminenter; quatenus principium actus fruitionis perfectae, qui specie distinguitur a quocumque actu elicito in via.

Ad illud autem quod dicebatur in secunda parte maioris principalis argumenti de matrimonio spirituali in hac vita, dicendum est: tale matrimonium non esse consummatum, sed inchoatum tantum et imperfectum respectu matrimonii patriae, cui proinde ut consummato et perfecto debentur dotes. Semper enim matrimonium viae habet aliquam rationem sponsalium, licet appelletur matrimonium propter maiorem perfectionem unionis et continuam praesentiam cognitam Sponsi. Unde Christus respectu viatorum non dicitur vir et maritus, sed Sponsus, ut notant Salmanticenses, cit. disp. 2, dub. 1, num. 1 (50); in caelo autem vocantur nuptiae et sponsae uxores, *Apoc.*, XIX (51); ideoque dona supernaturalia viatoribus communicata non dicuntur dotes, sed *pignora* et *arrhae*, II *Corinth.*, I (52). Item, quia semper remanet vertibilitas arbitrii et insecuritas de perseverantia, ut eadem S. Mater docet dicto cap. 2 (53).

Et licet demus (quod aliqui dixerunt) in hoc statu intimae unionis dari confirmationem in gratia et notitiam illius, hoc non sufficit ad matrimonium spirituale consummatum et perfectum. Quia unio ista indissolubilis solum esset habitualis aut radicalis, quomodo gratia unit cum Deo, non vero actualis; quia actualis amor indeficiens non est huius vitae, nec unio actualis quae Deum possideat quomodo debet non solum Sponsus possidere sponsam, sed sponsa possidere Sponsum, ut sit matrimonium perfectum.

Dices: Confirmatio in actuali amore saltem fuit in Christo Domino et fortasse, ut pie creditur, in beata Virgine. — Respondetur: in anima Christi Domini fuisse quidem perfectissimam unionem cum Deo ab instanti conceptionis, quia statim fuit comprehensor et per visionem beatam Deum possidebat, ac proinde habuit perfectiones dotium, licet non sub ratione dotis, quia *Christus non est sponsa, sed sponsus omnium animarum*. De quo Salmanticenses, cit. disp. 2, dub. 4 (54). De B. Virgine (quae licet aliquoties viderit divinam essentiam, non tamen habuit in via istam visionem permanenter) dicendum est quod amor ille actualis et continuus in quo admittimus fuisse confirmatam, non sufficit ad matrimonium consummatum et perfectum; quia licet Deum per amorem nostrum possideat anima, non possidetur ab illa perfecte nisi per visionem beatam, quae est actualis possessio Dei; de ratione autem matrimonii est mutua traditio et possessio contrahentium. Haec omnia diximus fere ex mente Salmanticensium, locis citatis, ut plenius haec unio fruitiva et matrimonium quod in ea celebratur, dignoscatur.

---

(50) T. V, p. 278b: *Et ita respectu viatorum non dicitur* vir, *sed* sponsus.

(51) v. 7; Hetzenauer, p. 1205: *Quia venerunt nuptiae Agni, et uxor eius praeparavit se.* — *Ib.*, v. 9: *Beati, qui ad coenam nuptiarum Agni vocati sunt.* — Qui textus citantur a SALMANTICENSIBUS, l. c., p. 279a. — In ed. 1684 erronee legitur: « *Apoc.* 12 ».

(52) *II ad Corinth.*, cap. I, v. 22; Hetzenauer, p. 1124: *Et dedit nobis pignus Spiritus in cordibus nostris.* — Cf. etiam II *ad Corinth.*, c. V, v. 5; *ad Ephes.*, c. I, v. 14. — Cf. SALMANTICENSES, l. c., num. 2; t. V, p. 279a.

(53) *Castellum animae*, mans. VII, cap. 2, §. *Iam ad id; Opera*, ed. lat. 1626-1627, t. II, pp. 299-300. — *Moradas* VII, cap. 2, §. *Pues tornando;* ed. crít., t. IV, pp. 189-190.

(54) Tract. IX, disp. 2, dub. 4, num. 36; ed. V. Palmé, t. V, p. 295b.

DUBIUM IV

Utrum unio transformativa sit eadem cum fruitiva iam explicata?

Unio *transformativa* sic appellatur a transformatione quam inducit. *Transformatio* autem nomen est quo utuntur mystici sicut nomine annihilationis, liquefactionis et similibus superperfectis et hyperbolicis non ad significandum quod stricte sonant, sed aliquid ita sublime et inexplicabile ob penuriam nominum ut necesse sit recurrere ad eiusmodi metaphorica propter aliquam analogiam et similitudinem. Licet enim anima in annihilatione mystica non redigatur ad nihilum, nec amittat entitatem suam, dicitur tamen annihilari, tum quia amittit connaturalem operandi modum, tum quia in conspectu Dei ita se componat ac si nihil esset; et ideo est communis locutio sanctorum Patrum et doctorum mysticorum quos citat noster Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucid. theol.*, part. II, cap. 4, §. 8 (55). Similiter transformari dicitur anima, non quia realiter transeat in essentiam Dei, sed quia se transfert a modo proprio essendi et operandi ad modum divinum, ut possit dicere cum Paulo (56): *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.*

Unde sancti Patres et doctores adeo istam transformationem exaggerant, ut S. Dionysius in *Epistola ad Ioannem Evangelistam* (57) homines sic transformatos dicat liberos ab omnibus malis et Dei nomine insignitos. Et Ambrosius, *In Psal.* 118 (58), quod vias erroris ignorent, crimen etiamsi velint, non possint admittere, id est, difficillime. D. Bernardus, *De vita solit.* (59), quod *non sit iam similitudo, sed unitas, cum sit homo cum Deo unus spiritus non tantum unitate volendi idem, sed aliud velle non valendi. Et quod fieri mereatur homo Dei, non Deus; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.* D. Bonaventura, opusculo *De septem itineribus*, dist. 3 (60) et aliis, distinguendo tres gradus spiritus, scilicet *spiritus in spiritu*, quando exteriorum obliviscitur et solum de spiritu sollicitus est; *spiritus supra spiritum*, quando ita exit a se, ut se non cogitet, sed Deum solum amet; affert denique tertium gradum, nempe *spiritum sine spiritu*, ut ab humano in divinum videatur transire, quasi ipse iam non ipse. De quibus et aliis similibus auctoritatibus videatur noster Didacus a Iesu in *Annotationibus ad lib. N. B. P. Ioannis a Cruce*, discurs. 2, §. 2, 3

---

(55) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 4, §. 8; ed. 1639, pp. 128-129.

(56) *Ad Galat.*, c. II, v. 20; Hetzenauer, p. 1133: *Vivo autem, iam non...*

(57) i. e., *Epist. X;* Migne, P. G., t. 3, col. 1117.

(58) *In psalmum David CXVIII expositio*, sermo 22, num. 4; Migne, P. L., t. 15, Parisiis, 1845, col. 1513 (ed. 1887, col. 1591): *Tanta vis consummatae emendationis est, ut in quamdam pueritiae redeat spiritalis aetatem, quae vias erroris ignoret, crimen etiamsi velit, non possit admittere; quia desueverit usum nosse peccandi.*

(59) i. e., *Epistola seu tractatus ad fratres de Monte Dei*, lib. II, cap. 3, num. 16; Migne, P. L., t. 184, col. 349: *Haec est de qua jam aliquanta dicta sunt, in tantum proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spiritus nominetur; cum fit homo unum cum Deo, unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis (sicut jam dictum est) aliud velle non valendi... Cum modo ineffabili inexcogitabilique fieri meretur homo Dei non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia.* — Haec epistola, circa 1145 conscripta, neque Sanctum Bernardum, neque Guigonem I, sed GULIELMUM, abbatem Sancti-Theodorici et postea monachum O. Cisters. Signiacensem († 1149), auctorem habet. Cf. ANDREAS WILMART, O. S. B., *Les écrits spirituels des deux Guigues* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. V, num. 17-18 (Janv.-Avril, 1924), pp. 144-158.

(60) *De septem itineribus aeternitatis*, prolog., dist. 3; *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, p. 397a. — RODULPHUS DE BIBRACO auctor est huius opusculi; cf. supra, quaest. 5, nota (14).

et 4, etc. (61), ubi etiam affert aliqua exempla quibus doctores utuntur ad istam transformationem explicandam: ut de gutta aquae in dolium vini immissa aut de gutta vini in mare, illic enim aqua in vinum et hic vinum in aquam transmutatur. Item de ferro candenti in ignem transformato et de cristallo in lucem, etc.

Unio igitur transformativa duo videtur importare: *unionem* scilicet et *similitudinem* perfectiori modo quo in hac vita potest homo uniri et assimilari Deo infra unionem hypostaticam et visionem beatificam. Ratio est: quia transformatio vera et rigorosa importat amissionem unius formae ad ingressum alterius in eodem subiecto; hoc autem in praesenti non habet locum, cum homo non amittat propriam et naturalem formam ut propriam Dei essentiam sibi in formam assumat, sed per quamdam metaphoram et appropriationem ob maiorem unionem et similitudinem possibilem. Quod aliquo modo explicatur per ferrum candens, quod non amittens propriam formam ferri in ignem transformatum esse dicitur ob unionem et similitudinem cum illo.

Dupliciter autem contingit ista unio transformativa iuxta superius dicta: scilicet, *habitualiter* et *actualiter*. Unio transformativa *habitualis* tunc dicitur, quando homo ablatis iam et perfecte purgatis vitiis et imperfectionibus acquisitis et naturalibus, unitusque Deo per insignem et supremum gradum gratiae habitualis et per virtutes et alios habitus infusos similiter radicatos, insuperque adornatus virtutibus acquisitis in gradu heroico, ipsi Deo in omnibus et per omnia modo creaturis possibili assimilatur. Quibus accedit praesentia illa Dei realis, qua semper potitur, quamque sentit in animae centro, et iugiter amando attendit, quamvis non sit tam clare et ardenter sicut in actuali unione huius status matrimonii spiritualis, ut Seraphica Mater experta docuit mansione VII *Castelli animae*, cap. 1 (62), his verbis: *Hanc praesentiam ubique circumferre, non ita accipiendum est, quasi haec ita integre et perfecte (id est, ita clare) habeatur, ac dum prima vice. aut etiam aliis quibusdam vicibus, quibus hanc ei recreationem et voluptatem Deus praestare cupit, haec ei manifestatur. Id enim si fieret, impossibile foret eam ad rem praeterea ullam attendere, imo et inter homines vivere. Verum esto id tanta cum claritate ac luce non fiat, semper tamen ac reflectit, et advertit, divino huic contubernio se interesse deprehendit. Dicamus ergo perinde id esse, ac si, aliquo cum aliquot aliis in lucido et luminoso quodam cubiculo versante, subito omnes eius fenestrae occluderentur, et ipse in obscuris maneret: hic ergo, quod lux ei ad alios videndos erepta sit, non ideo scire desinit, illos praesentes adesse. At rogari hic potest, num in manu et potestate eius situm sit fenestram aperire, ut hac aperta socios denuo, quotiescunque voluerit, videat? Nequaquam: nisi*

(61) DIDACUS A IESU (DIEGO DE JESÚS), C. D., *Apuntamientos y advertencias en tres discursos para más fácil inteligencia de las frases místicas y doctrina de las Obras espirituales de nuestro Padre San Juan de la Cruz*, disc. II, §. 2, 3, 4 sqq.; *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, ed. crít., t. III, pp. 485 sqq.; praesertim §. 4, pp. 487-488.

(62) S. THERESIA, *Castillo interior o Las moradas*, moradas VII, cap. 1; ed. crít., t. IV, p. 183: *El traer esta presencia, entiéndese que no es tan enteramente, digo claramente, como se le manifiesta la primera vez y otras algunas que quiere Dios hacerle este regalo; porque si esto fuese, era imposible entender en otra cosa, ni aun vivir entre la gente; mas aunque no es con esta tan clara luz, siempre advierte se halla con esta compañía. Digamos ahora como una persona que estuviese en una muy clara pieza con otras, y cerrasen las ventanas, y se quedase ascuras: no porque se quitó la luz para verlas, y que hasta tornar la luz no las ve, deja de entender que están allí. Es de preguntar, si cuando torna la luz y las quiere tornar a ver, si puede. Esto no está en su mano, sino cuando quiere Nuestro Señor que se abra la ventana del entendimiento;...* — Auctor utitur hic versione latina Mathiae Martinez: *Opera S. Matris Teresiae de Iesu*, Coloniae Agrippinae, 1626-1627, t. II, p. 295:... *Deus adferre cupit,..., impossibile eam foret in rem ullam intendere, imo...*

cum Dominus intellectus fenestram aperire volet, etc.

De hoc etiam felicissimo statu multa cecinit B. P. N. Ioannes a Cruce in suis *Cantionibus* a 18 et deinceps (63), ubi ostendit quomodo anima et Deus sint hic duae naturae in uno spiritu, quomodo fiat anima per gratiam Deus, quomodo vivat iam vita divina et alia similia encomia quae ibi possunt videri; et etiam in libro quem vocat *Flammam amoris vivam* (64), ubi agit de eadem unione iam magis intensa et qualificata (ut ipse loquitur), intra tamen gradum et sphaeram eiusdem status transformationis, quo in hac vita nullus alius est maior.

Unio vero transformativa *actualis* tunc fit, quando in hoc statu perfectionis actualiter elevantur eius potentiae ad Deum contemplandum et amandum sublimibus illis actibus contemplationis mysticae theologiae et amoris unitivi et fruitivi, de quibus supra. Unde fit ut anima non solum secundum suam essentiam, sed secundum suas potentias transferatur a modo proprio essendi et operandi ad modum divinum et totaliter modo huius vitae possibili assimiletur Deo. Ut enim explicat P. Philippus a SS. Trinitate in discurs. prooem. ad *Myst. Theol.*, art. 6 (65), tunc non solum natura divina participatur per altissimum donum gratiae sanctificantis, sed intellectus divinus per altissimam contemplationem et voluntas divina per ardentissimum amorem praeter dona et virtutes infusas. Quae unio actualis succedit in principio praedicti status matrimonii et unionis habitualis et postea quoque aliquando

---

(63) Iuxta Mss. duplex est lectio (escritura) operis *Cántico espiritual*, utraque ab ipso Sancto Ioanne a Cruce confecta. Prima lectio, brevior, ex 39 cantionibus tantum constat; secunda vero, longior, 40 cantiones complectitur, siquidem post cantionem decimam nova cantio (undecima: *Descubre tu presencia*) cum suo commentario interiecta est, insuper adnotationes singulas cantiones (praeter II-V et VII) praecedunt, variis in locis textus corriguntur et ordo cantionum immutatur, qui ordo melius cum materia quadrat. Prima lectio prius gallice prodiit, Parisiis, 1622; deinde hispane, Bruxellis, 1627. Secunda vero lectio hispane prius, Hispalis, 1703, impressa est. Inter textus impressos tertius textus prodiit ex eo quod cantio undecima: *Descubre tu presencia* cum suo commentario inter decimam et undecimam primae lectionis cantiones interiecta est, sicque ex 40 cantionibus sicut secunda lectio constat; ordo tamen textusque primae lectionis conservatur. Talem textum exhibent editiones: itala, Romae, 1627; hispana, Matriti, 1630; latina, Coloniae Agrippinae, 1639; etc. usque ad annum 1703 excl. — Authenticitas primae lectionis ab omnibus admittitur, illa vero secundae lectionis defenditur: 1) a P. Gerardo de San Juan de la Cruz, C. D., *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, t. I, *Preliminares*, §. XI, p. LXI; §. XII, pp. LXVI-LXVII; t. II, *Introducción al Cántico espiritual*, pp. 137-157; *Dos palabras sobre el primer Cántico espiritual*, pp. 487-490. 2) A P. Florencio del Niño Jesús, C. D., *Reparos a la crítica de un crítico* in *Mensajero de Santa Teresa*, t. I-II (1923-1924), num. 6, 9-12, 1: pp. 170-177, 284-289, 323-328, 361-367, 404-413, 21-28. 3) A P. Marie-Amand de Saint Joseph, C. D., *Remarques sur l'édition critique des oeuvres de saint Jean de la Croix* in *La Vie Spirituelle*, t. IX, num. 2 (nov. 1923), pp. [43]-[47]. 4) A Ferdinand Cavallera in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. VI, num. 23 (Juillet 1925), pp. 307-316. 5) A P. Louis de la Trinité, C. D., *Le procès de la béatification de saint Jean de la Croix et le « Cantique spirituel »* in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. XVI, num. 1-2 (janv.-avril, 1927), pp. 39-50 et 165-187. 6) Ab Eugenio de San José, C. D., *Algunos reparos a un artículo de Fr. Ph Chevalier O. S. B. sobre el Cántico espiritual de San Juan de la Cruz* in *Mensajero de Santa Teresa y de San Juan de la Cruz*, t. V, num. 4-5 (jun. jul., 1927), pp. 103-113 et 142-146. — Authenticitas secundae lectionis reiicitur: 1) a Fr. Ph. Chevalier, O. S. B., *Le Cantique spirituel de Saint Jean de la Croix a-t-il été interpolé* in *Bulletin Hispanique*, t. XXIV, num. 4 (oct.-déc., 1922), pp. 307-342 et *Le Cantique spirituel interpolé* in Supplément à la *Vie Spirituelle Ascétique et Mystique*, t. XIV, num. 4-5 (juil.-août, 1926), pp. [109]-[162] et t. XV, num. 4 (janv., 1927), pp. [69]-[109]. 2) A M. V. Bernadot, O. Pr., *Le texte authentique du Cantique spirituel de Saint Jean de la Croix* in Supplément à la *Vie spirituelle Ascétique et Mystique*, t. VII, num. 6 (mars. 1923), pp. [154]-[161], qui dicta a Ph. Chevalier repetit. 3) A Jean Baruzi, *Saint Jean de la Croix et le problème de l'expérience mystique*, liv. I, §. 3, Paris, F. Alcan, 1924, pp. 16-35; *ib.*, Appendice, §. 2, pp. 713 sqq. — Auctor noster editione latina anni 1639 utitur lectoremque ad cantiones XVIII sqq. remittit, *Opera*, ed. lat. 1639, t. I, pp. 389 sqq; quae proinde sunt cantiones XVII sqq. primae lectionis, ed. crit. t. II, pp. 550 sqq.

(64) Ed. lat. 1639, pp. 273-328; ed. crit., t. II, pp. 383-483; 619-678.

(65) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 6, §. *Sexta est.;* ed. 1874, p. 43.

iuxta dispositionem Dei, ut M. N. S. Theresia docet supra citato loco.

Ex quibus omnibus manet resoluta dubitatio proposita; constat enim ex dictis unionem transformativam, de qua loquuntur mystici, concurrere seu esse idem cum unione fruitiva in ultimo et supremo gradu in quo celebratur matrimonium spirituale; ita ut unio transformativa habitualis sit ille status unionis fruitivae habitualis iam expositus, unio vero transformativa actualis sit actualis unio fruitiva in suo ultimo gradu. Ratio est: quia nulla maior unio aut similitudo cum Deo potest in hac vita dari; quamvis enim possit esse magis intensa in uno quam in altero et etiam in eodem subiecto in diversis temporibus, semper tamen est intra classem et statum supremum unionis iam explicatum.

Obiicies *primo*: Quilibet actus amoris est unio et transformatio amantis in amatum ac proinde unio transformativa. Ergo non debet restringi ista unio ad solum illum statum et amorem supremum. Antecedens probatur tum ex D. Thoma, in III *Sent.*, dist. 27, quaest. 1, art. 1 (66), ubi dicit amorem nihil aliud esse quam quamdam transformationem affectus in rem amatam; tum ratione eiusdem S. Doctoris: quia amor pertinet ad appetitum, qui est virtus passiva movens ut mota ab appetibili secundum Aristotelem (67), ac proinde perficitur et quiescit quando informatur per formam sui activi seu per formam boni amati in quo sibi complacet et cui adhaeret; quod autem afficitur forma alicuius, fit unum cum illo et transformatur in illud; unde dicit Philosophus IX *Ethicor.* (68): amicus alter ego; et Paulus, I *Corinth.*, VI (69): *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est.*

Respondetur concedendo antecedens et eius probationem quam proposuimus ob maiorem et radicalem notitiam huius transformationis, negando tamen consequentiam; quia licet mystici non negent dari aliquam transformationem in quocunque actu et statu amoris, quando vero loquuntur absolute de unione transformativa ut distinguitur ab aliis unionibus, intelligunt illam quae principaliter et per antonomasiam talis est ac proinde omnium aliarum suprema, in qua magis relucet similitudo Dei.

Obiicies *secundo* ex opposito: quod scilicet unio transformativa non debeat amori tribui, sed cognitioni. Ex verbis Pauli II *Cor.*, III, v. 18: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.* Id est, revelata iam facie Christi incarnati et mysteriorum fidei, gloriam Dei in Christo et evangelio quasi in speculo intuemur et inde transformamur clarius in dies et clarius seu cognoscendo magis ac magis usque ad claritatem visionis beatificae.

Respondetur: nomen *transformatio* divagare per omnia vel formam substantialem alterius obtinentia, vel formam aliquam accidentalem et similitudinem gerentia; sic lignum in ignem transformatur substantialiter, quando amittens formam ligni transit ad formam ignis; sic ferrum in ignem accidentaliter transformatur, quando non amittens formam substantialem ferri, sed accidentalem frigiditatis, tantum calorem acquirit ut tanquam ignis sibi applicata comburat; sic etiam vitrum soli appositum transformatur accidentaliter in eius lucem; sic etiam sagae a daemone dicuntur transformari in bestias non substantialiter, nec accidentaliter, sed tantum apparenter. Unde fideles mysteria Christi contemplantes dicuntur trans-

---

(66) corp.; ed. Vivès, t. IX, p. 420a.

(67) *De anima*, lib. III, text. 54, ait D. Thomas, l. c.; cf. ARISTOTELES, *De anima*, lib. III, cap. 9 sqq.; Didot, t. III, p. 471 sqq.; Bekk., 432a sqq.

(68) IX *Ethic.*, cap. 4, num. 5; cap. 9, num. 1; Didot, t. II, p. 107 et 112; Bekk., 1166a, 31-32 et 1169b, 6-7. — Citatur a D. Thoma, l. c. et Ia IIae, quaest. 28, art. 1, corp.

(69) v. 17; Hetzenauer, p. 1114: *Qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est.*

formati in eius claritatem et lucem, ut ab eo illuminati alios item illuminent. Non igitur negamus per actum contemplationis nos Deo uniri per intellectum et in Deum quodammodo transformari amittentes modum proprium cognoscendi et induentes modum quemdam divinum, sed hoc quod est unire et transformare magis spectat ad amorem propter rationes adductas in prima obiectione; unio vero et transformatio totalis huius vitae possibilis utrumque amplectitur amorem et contemplationem et insuper illam perfectionem quae per gratiam et habitus supernaturales obtinetur. Legendum caput 3 partis II *Dilucidarii* (70) nostri Hieronymi a Matre Dei, alias Gratiani, qui ibidem de hac transformatione disserit; et cap. 2 (71) septem unionis genera assignat et exponit: primum nuncupat *unionem similitudinis;* secundum, *unionem approximationis;* tertium, *unionem inhaesionis;* quartum *unionem conversionis;* quintum, *unionem vitalem;* sextum, *unionem hypostaticam;* septimum, *unionem essentialem.* Et haec est, quae reperitur inter tres divinas personas in una essentia. Sexta est inter duas naturas in una persona. Et quia de mysterio SS. Trinitatis ibidem non tractat, solum disserit de quinque prioribus.

DUBIUM V

Utrum praedictae uniones fiant ex parte Dei per aliquem illapsum et quid ei correspondeat ex parte animae?

Natura *illapsus* (ut explicant NN. Salmanticenses, tom. III, in I^{am} II^{ae}, tract. IX, disp. 1, dub. 1 (72) explicanda est per illapsum et effusionem aquae in loco aliquo superiori existentis et inde in inferiora se diffundentis et penetrantis seu permeantis illa. Unde *primo* requiritur quod substantia illapsa sit aliquo modo superior illa in quam illabitur. *Secundo,* ut ingrediatur terminos eius et veluti descendat usque ad intima illius. *Tertio,* quod si fuerit substantia spiritualis, immediate operetur intra terminos alterius, cum non possit esse in loco nisi ratione operationis in sententia thomistarum. Defectu primae conditionis non datur illapsus in penetratione duorum corporum, quia neutrum ex illis est superius. Defectu secundae non datur illapsus per solam approximationem unius rei ad aliam. Defectu tertiae non potest angelus bonus vel malus illabi in animam hominis, nec etiam in essentiam corporis, sed solum in quantitatem eius; quia nec in anima, nec in essentia corporis possunt angeli operari, ut docet D. Thomas in II *Sent.*, dist. 8, art. 5, ad. 3 (73).

Nihil aliud igitur est unio Dei per illapsum quam unio in ratione principii activi seu per operationem immediatam intra terminos creaturae. Et talis est illa assistentia Dei per essentiam in omnibus rebus ratione suae immensitatis, quod formalissime est esse in illis per operationem, in quo consistit essentia Dei. Ac proinde sunt veluti synonyma praesentia Dei per illapsum, per essentiam, per immensitatem et per operationem. Et ultra hunc modum essendi in rebus per essentiam est etiam in illis per potentiam, *in quantum omnia eius potestati subduntur;* et est in illis per praesentiam, *in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius.* Sic D. Thomas I^{a} part., quaest. 8, art. 3 (74).

(70) *Dilucidario del verdadero espiritu,* parte II, cap. 3, *Obras,* Madrid, 1616, fol. 56r,a-57.

(71) *Ib.*, parte II, cap. 2; ed. cit., fol. 54v,a-55v,b.

(72) num. 3; ed. V. Palmé, t. V, pp. 206b-207a.

(73) II *Sent.*, dist. 8, quaest. unica, art. 5, ad 3; ed. Vivès,, t. VIII, p. 113a.

(74) Ed. Leon., t. IV, p. 87b: *Inquantum omnia nuda sunt et...*

Praeter istam naturalem unionem intimam Dei per illapsum in animam sicut in omnes alias creaturas, dum eius immediata operatio pertingit ad intima earum, dans et conservans omnium esse et entitatem, quod omnes fatentur, datur etiam unio alia supernaturalis per illapsum Dei in animam producens et conservans in ea gratiam sanctificantem; qui quidem illapsus est immediatus respectu gratiae immediate productae et mediatus respectu animae; quia per illum non producitur, nec conservatur anima immediate in se, sed aliquid in ea. Quoties autem anima de novo sanctificatur, nova unio supernaturalis per illapsum Dei intervenit. Et similiter datur illapsus Dei ut Auctoris supernaturalis in potentias animae per productionem caritatis et aliorum habituum supernaturalium. In quo etiam illapsu communiter conveniunt auctores. An vero in patria detur novus illapsus Dei in animas beatorum producentis novum et intrinsecum modum quo gratia dicitur consummata et inamissibilis et talis perfectionis et status ut emanet ab ea lumen gloriae et visio beatifica? Aliqui negant; sed verior sententia affirmat, quam amplectuntur nostri Salmanticenses cit. dub. 1, §. 2, in fine (75), licet cum omnibus negent in eo consistere beatitudinem.

Quibus suppositis, dicendum est: quod ad unionem realem seu habitualem animae iustae cum Deo non solum requiritur illapsus ille naturalis communis omnibus creaturis, sed etiam illapsus supernaturalis per productionem et conservationem gratiae sanctificantis in anima et habitus caritatis in voluntate. Sed ultra istam unionem quae est per illapsum, datur alia unio realis et habitualis per eandem gratiam et caritatem, quae dicitur unio per modum obiecti, qua Deus est realiter in illa speciali modo tanquam cognitum in cognoscente et amatum in amante. Hic autem modus essendi (licet supra maneat explicatus) nunc tanquam in proprio loco amplius discutiendus est.

Itaque esse Deum per gratiam unitum et realiter praesentem animae speciali modo et per modum obiecti ut cognitum in cognoscente et amatum in amante non est solum esse ibi per illapsum ad modum principii activi conservantis animam, nec solum per illapsum quo producit et conservat gratiam, nec solum per participationem ex eo quod gratia est participatio Dei prout est in se, nec solum per praesentiam obiectivam vel affectivam, nec necessario requiritur ut actualiter cognoscatur et ametur, sed est alio speciali modo realiter illi praesens et unitus radicaliter et habitualiter correspondente ad illum modum quo actualiter est praesens et unitus per suammet essentiam cum anima, intellectu et voluntate beatorum. Ita ut, si per impossibile Deus non esset praesens animae per illapsum seu per essentiam ratione suae immensitatis, esset illi realiter praesens et unitus per essentiam suam speciali illo modo.

Probo singula. Et in primis quod attinet principaliter ad quaestionem, scilicet quod praeter illapsum Dei naturalem detur illapsus supernaturalis etiam ratione immensitatis, quatenus est Auctor gratiae illam producens et conservans, patet ex praenotatis; quia gratia est effectus Dei supernaturalis et non habetur per solam actionem naturalem qua Deus consecrat animam, sed per aliam supernaturalem qua producit et conservat eandem gratiam, habetque conditiones illapsus supra assignatas.

Quod ultra istam unionem per illapsum detur alia unio per gratiam et caritatem quae sit per modum obiecti et qua Deus sit in anima tan-

(75) num. 12, §. *Alia etiam;* ed. cit., t. V, pp. 210b-211a.

quam cognitum in cognoscente et amatum in amante, probatur: Quia per missionem invisibilem Spiritus Sancti quando producitur gratia, non solum datur eademmet gratia, sed eademmet persona Spiritus Sancti, ut supra probavimus et defendunt cum communiori sententia nostri Salmanticenses, tom. II, in I^am^ part., tract. VI, disp. 19, dub. 5 (76); ita ut, si per impossibile Deus non esset per essentiam, praesentiam et potentiam in anima iusti, esset secundum suam substantiam et Personas substantialiter et personaliter praesens et illam inhabitans. Quod nequit aliter fieri nisi essendo in anima tanquam cognitus in cognoscente et amatus in amante modo explicato et explicando. — Confirmatur: Quia per hoc tantum quod est illabi Deum in animam producendo ipsam vel gratiam, habet se Deus tanquam habens et possidens animam, non tamen habetur et possidetur ab illa, sicut requiritur ad unionem amoris amicitiae et ad donationem personae divinae per missionem. Ergo ulterius requiritur praedictus modus quo Deus animae sit ita praesens et inhabitans, ut habeatur et possideatur ab illa.

Deinde, quod non sufficiat habere Deum per participationem ex eo quod gratia sit participatio Dei prout est in se, patet: quia licet hoc requiratur ut gratia iure naturali exigat realem praesentiam Dei, non tamen est praesentia Dei realis, sed per participationem. Similiter praesentia obiectiva vel affectiva non importat realem praesentiam, sed vel intentionalem, vel per conformitatem affectuum. Denique, quamvis cognitio et amor actualis pertineant ad unionem actualem, non tamen requiruntur ad istam unionem realem, quam etiam habent pueri recenter baptizati, licet nullum actum eliciant.

Sufficit ergo et requiritur quod gratia sit radix visionis Dei in patria, et contemplationis in via, et habitus caritatis, et quod ipsa caritas sit habitualiter amor amicitiae cum Deo, ut postulent realem et intimam Dei praesentiam in anima, qua ipse sit unitus per modum obiecti cum virtute dilectiva, quam dicimus unionem realem habitualem per modum obiecti. Probatur ex D. Thoma: Quia amor non solum est unio affectiva formaliter, sed effective quaerit realem unionem cum amato, ut eum habeat et possit eo frui perfecte in patria et imperfecte in via. Et ideo qui Deum amat, tandem quiescit in illo, quia illum realiter obtinuit; secus qui amat creaturam, non quiescit, quia vel non potest obtinere illam secundum substantiam, vel si obtineat, illico fastidit, quia non est summum bonum habens vim ut anima quiescat in illo.

Confirmatur et explicatur amplius: Quia quando Deum videmus et amamus in patria, ipse non solum est nobis praesens per praesentiam obiectivam, sed realiter est unitus intellectui per modum speciei intelligibilis et realiter praesens voluntati amanti. Ergo in via etiamsi non videamus nec amemus actualiter, erit realiter praesens habenti gratiam et caritatem per modum obiecti radicaliter visibilis et diligibilis. Probatur consequentia primo: quia sicut ibi est ut cognitum in cognoscente et amatum in amante ut actualiter visus et dilectus, ita hic etiam est ut cognitum in cognoscente et amatum in amante ut radicaliter visibilis et radicaliter et habitualiter dilectus. Ergo sicut ibi est realiter praesens ut actualiter visus et dilectus, ita hic erit realiter praesens ut radicaliter visibilis et diligibilis. *Secundo*, quia si beatis per divinam potentiam auferatur lumen gloriae et per consequens tollatur visio et amor beatifi-

(76) num. 77; ed. cit., t. III, p. 752^b^.

cus, maneret Deus illis praesens per suam substantiam per modum obiecti radicaliter visibilis. Sed gratia patriae et gratia viae sunt eiusdem speciei et solum differunt modaliter. Ergo in via ubi deest lumen gloriae seu virtus proxima ad videndum Deum, erit Deus nobis praesens non per modum speciei intelligibilis, nec per modum obiecti actu visi, sed per modum obiecti radicaliter visibilis terminantis habitudinem radicalem gratiae. *Tertio*, caritas viae et caritas patriae est eiusdem speciei atomae et sunt virtus proxima diligendi Deum. Ergo sicut in patria habet Deum ut sibi realiter praesentem et per modum obiecti actualiter amati, ita hic habet illum ut sibi realiter praesentem et per modum obiecti habitualiter amati, immo et actualiter amati, quando Deum actualiter amat.

Obiectiones oppositae sententiae quae negat Deum ipsum seu Spiritum Sanctum nobis donari secundum suam substantiam, ut fiat nobis Deus realiter et substantialiter praesens per seipsum hoc peculiari modo, sed per sua dona, solvunt nostri Salmanticenses, dicta disp. 19, dub. 5 (77), quae ibi possunt videri. Solum pro nostrae quaestionis maiori intelligentia circa illapsum Dei requisitum ad unionem realem et habitualem, de qua loquimur, nonnullis obiectionibus satisfaciemus.

Dices *primo*: Illapsus Dei est unio actualis Dei mediante operatione actuali. Ergo non requiritur ad unionem habitualem, quae non importat actum, sed habitum. — Respondetur negando consequentiam; quia unio habitualis animae et potentiarum eius consistit in habitibus gratiae, caritatis et donorum, quae non possunt esse in anima sine actuali operatione Dei, quae est illapsus et unio eius actualis per modum principii activi; ultra quam unionem est etiam realiter praesens tanquam cognitum in cognoscente et tanquam amatum in amante per modum obiecti radicaliter et habitualiter visibilis et intelligibilis modo iam dicto.

Obiicies *secundo*: Vel in sola prima infusione gratiae datur illapsus ille, vel in quolibet eius augmento. Neutrum dices. Ergo nullo modo datur. Probatur minor quoad primam partem: tum quia augmentum gratiae etiam fit per operationem Dei; ergo si operatio Dei est unio eius per illapsum in infusione, etiam in augmento. Tum quia probabile iudicat D. Thomas, in I *Sent.*, dist. 15, quaest. 5, art. 1, quaestiunc. 2, in fine corp. (78), dari missionem divinae Personae in quolibet augmento gratiae; ergo etiam dabitur illapsus. Quoad secundam partem probatur: quia sic erunt innumeri illapsus, cum tamen vix ab auctoribus concedantur illi tres in principio dubii numerati.

Respondetur: non videri inconveniens concedere illapsum non solum in prima infusione gratiae, sed etiam in eius augmento saltem notabili; sed melius dicetur unum tantum esse illapsum in productione et in augmento: quia sicut terminus productionis est unus sub maiori et maiori intensione, ita sufficit una operatio magis et magis intensa per quam unus illapsus constituitur. Nec est eadem ratio de operationibus creatis quibus producitur qualitas et postea eius augmentum; quia cum prima operatio productiva qualitatis cessaverit, nova operatio necessaria est ad augmentum producendum; at operatio Dei qua producitur gratia, perseverat conservando eam; et ideo non est necesse quod multiplicetur ad augmentum producendum, sed quod sit magis intensa ratione termini connotati. Solum posset admitti novus illapsus, quando cum aliquo notabili augmento gratiae confertur simul aliquis modus vel aliquis usus particularis gratiae, v. g., ut miracula faciat vel sine dif-

(77) §§. 3 et 4; t. III, pp. 758a-761b.

(78) Ed. Vivès, t. VII, p. 188.

ficultate omnes tentationes vincat, sic enim importat novam missionem, ut ibidem docet D. Thomas, et per consequens etiam novum illapsum propter novam operationem Dei; et possunt similes illapsus dari in diversis gradibus unionis realis supra numeratis, quando in illis invenitur novus effectus Dei distinctus a solo augmento. Unde non sequitur quod essent innumeri, nec auctores dubitant de illapsu per gratiam, sub quo possumus intelligere omnes illapsus qui ad productionem gratiae vel ad aliquod notabile augmentum cum peculiari modo superaddito requiruntur.

DUBIUM VI

Utrum in omni actuali unione detur novus illapsus?

Supponimus ex dictis dubio praecedenti ad unionem realem et habitualem necessarium esse illapsum non solum naturalem et communem quo anima sit producta et conservata immediate a Deo secundum suam substantiam, sed etiam supernaturalem et particularem iustorum quo producatur et conservetur gratia in anima et caritas aliaque dona in potentiis eius. Praeter istam unionem Dei per modum principii activi dari etiam ex parte eius aliam unionem vel praesentiam realem in ratione obiecti seu (quod idem est) novum titulum (78[bis]) praesentiae Dei realis, qui est gratia et caritas, ratione cuius deberet esse praesens realiter animae, etiamsi aliunde non fuisset iam illi praesens. Et denique ex parte animae datur unio realis et habitualis quae consistit in eadem gratia et caritate sub diversis gradibus et statibus modo dicto. Nunc ergo quaerimus an etiam ad uniones actuales detur novus illapsus?

Dicendum etiam ad unionem actualem dari aliqualem novum illapsum vel in animam et potentias eius, vel saltem in intellectum et voluntatem. In hoc debent convenire omnes auctores mystici, qui communiter dicunt fieri unionem ex parte Dei per illapsum vel requiri ad illam. Probatur: Quia in unione actuali solet anima acquirere ulteriorem gradum gratiae et similiter solent augeri caritas et alii habitus et dona quae cum gratia infunduntur; solet etiam Deus illuminare intellectum vel per lumen donorum, vel per aliud lumen infusum transiens et vel disponere et ordinare species praehabitas, vel illas de novo infundere, ut per contemplationem immediatam ei uniatur; item movere voluntatem, inflammare illam et suavitate aliqua perfundere, ut ei adhaereat et uniatur per amorem. Ergo aliquis illapsus debet dari ex parte Dei. Probatur consequentia: Quia licet ad maiorem radicationem gratiae et aliorum habituum iam infusorum non semper requiratur nova operatio Dei, nisi forte quando augmentum est notabile et ad superiorem statum elevans animam, ut supra diximus; tamen ad alios effectus, scilicet infusionem luminis, specierum, inflammationis, suavitatis et etiam ad ipsosmet actus intellectus et voluntatis qui a Deo specialiter procedunt, requiritur nova operatio Dei in potentias animae, in qua nova operatione aliqualis novus illapsus invenitur.

Dixi *aliqualis illapsus*, quia potius mihi videtur dicendos esse contactus Dei quam illapsus proprios et simpliciter tales. Ratio est: quia illapsus proprius et omnino rigorosus videtur importare aliquam permanentiam operationis Dei et effectus illius in anima aut potentiis eius, sicut invenitur in aliis illapsibus supra recensitis; talis autem permanentia licet detur in augmento gratiae et habituum, non

(78-bis) In ed. 1684 legitur: « *novus titulus* » pro « *novum titulum* ».

tamen semper est cum nova operatione, qualis requiritur ad illapsum, ut supra diximus; alii autem effectus luminis, ordinationis specierum, motionis, inflammationis et saporis semper fiunt per modum transeuntis.

Unde fortasse propter istam rationem et quia solent fieri inopinate et repente, multoties appellantur actus isti unionis actualis *contactus inter animam et Deum*, ut diximus in *Catena mystica*, quaest. 35 (79), cum pluribus auctoribus ex nostris, quibus adde Nicolaum a Iesu Maria in *Elucid. theolog.*, II part., cap. 16 (80), qui alios citat, maxime Cartusianum, *De vita solit.*, lib. II, cap. 10 (81), ibi: *Intrahens Dei influxus, ac superducens contactus, animam a se alienat, etc.* Tangit enim Deus apices intellectus et voluntatis per illuminationes et inflammationes; intellectus etiam tangit Deum quatenus ipsum in seipso et non vestitum imaginibus creaturarum contemplatur; voluntasque similiter et principaliter Deum tangit, quando purissimo et ardentissimo amore in eum prout est in se amandum erigitur sine respectu ad creaturas et ad seipsam.

Obiicies *primo*: Contactus isti saepe vocantur *substantiales* a B. P. Ioanne a Cruce in *Flamma amoris viva*, cant. II, v. 2 et 4 (82); et lib. II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 32 (83); et lib. II *Noctis*, cap. 23 (84) et alibi saepe. Sed contactus substantiales non videntur pertinere ad unionem actualem. Ergo, etc. Probatur minor: quia unio actualis fit mediantibus potentiis, quae sunt accidentia animae, in quibus nequit aliquid substantiale inveniri. — Respondetur *primo* ex doctrina eiusdem B. Patris in *Ascensu*, cap. 32 (85), ubi dicit contactus istos aliquando esse adeo sublimes et occultos, ut quamvis dentur in voluntate non videantur illam tangere, sed substantiam animae. Unde distinguo minorem: contactus substantiales vere et proprie tales, concedo; apparenter et putative tales, nego. Contactus enim qui in sola voluntate reperiuntur, quando sunt adeo sublimes et subtiles, videntur patienti substantiam animae tangere, cum re vera in sola voluntate fiant.

Respondetur *secundo* cum P. Nicolao a Iesu Maria, *Elucidationis theolog.* part. II, cap. 16, n. 16 (86), quod licet in intellectu et voluntate dentur istae operationes, possunt dici substantiales eo quod sint valde propriae substantiae animae transformatae; sicut ex D. Thoma, in IV *Sent.*, dist. 49, quaest. 1, art. 2, quaestiunc. 3 (87), licet nomen vitae pertineat directe ad substantiam, translatum est ad significandam operationem vitae maxime propriam. Unde distinguo minorem: contactus substantiales proprie et formaliter dicti, concedo; qui sic dicuntur appropriative et translate, nego.

Respondetur *tertio* ex eodem auctore et nostro Didaco a Iesu in *Annotationibus*, disc. 1, phrasi 4, §. 1 et

---

(79) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 35; pp. 305a-311b.

(80) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 16; ed. 1639, pp. 182-190.

(81) DIONYSIUS CARTUSIANUS, *De vita et fine solitarii libri duo*, lib. II, art. 10; *Opera omnia*, ed. crit., t. XXXVIII, p. 314a: ... *a se alienat, et in alteritatem quamdam transponit.*

(82) *Opera*, ed. lat. 1639, pp. 288b-290b el 292. — *Llama de amor viva*, canc. II, v. 2 y 4; ed. crít., t. II, pp. 412 sqq y 419-420; pp. 635 sqq. y 639-640.

(83) Ita in ed. lat. 1639, pp. 117b-119b. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 30; ed. crít., t. I, pp. 264-267.

(84) Ed. lat. 1639, pp. 267a-270b. — *Noche oscura del espíritu*, canc. II, v. 4 (cap. 23); ed. crít., t. II, pp. 124-131.

(85) Ed. lat. 1639, p. 117b. — Auctor hic utitur textu subdititio, qui in nota datur in ed. crít., t. I, p. 264, nota (1) (*Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 30): *La segunda son sentimientos que, aunque son también en la voluntad por ser intensísimos, subidísimos, profundísimos y secretísimos, no parece que tocan en ella, sino que se obran en la sustancia del alma.* — In textu critico legitur, *ib.*: *La segunda son sentimientos, en la sustancia del alma.*

(86) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 16, §. 3, num. 16; ed. 1639, pp. 186-187.

(87) Ed. Vivès, t. XI, pp. 468b-469b.

2 (88), vocari contactus substantiales illos, in quibus simul cum contactibus potentiarum datur novum augmentum gratiae in anima; per gratiam enim quae inhaeret substantiae animae, tangit Deus ipsam animam in sua substantia, ut docet D. Thomas, *De veritate*, quaest. 28, art. 3 (89), dicens: *Tangit Deus animam gratiam in ea causando* iuxta illud *Psalm.* 143 (90): *Tange montes* et ibi *Glossa* (91): *Tange gratia tua.* Unde rursus distinguo minorem: non videntur pertinere ad unionem actualem praecise sumptam seu ut praecise dicit actus voluntatis et intellectus, concedo; ut simul denotant et comitantur augmentum gratiae, nego.

Obiicies *secundo*: In intellectu pro statu huius vitae non potest dari illapsus Dei, etiam ille quem vocamus contactum. Ergo in sola voluntate vel in animae substantia debent admitti. Probatur antecedens: quia illapsus in intellectum nihil aliud est quam Deum, qui in centro seu essentia animae quasi latens et occultus residet, fieri praesentem et realiter se manifestare intellectui; sed hoc esset videre Deum clare et intuitive prout in se est; ergo non pertinet ad hanc vitam, sed ad patriam. Hoc argumentum adducit D. Franciscus Pizanus in *Compendio theologiae mysticae*, lib. IV, cap. 13, §. *His igitur* (92); et ex eo sibi persuadet Deum in hac vita etiam in perfectissima unione fruitiva et transformativa intellectui non illabi, sed voluntati.

Respondetur tamen negando antecedens; ad probationem nego maiorem; non enim est de ratione illapsus illa clara manifestatio, sed solum quod Deus operetur in potentiis, ut patet ex supra dictis; operatur autem Deus in intellectu producendo lumen vel species et ipsammet contemplationem, quae licet etiam procedat ab anima per intellectum elevatum (93), potissimum tamen procedit a Deo illuminante, elevante et concurrente. Licet autem contemplatio saltem sublimissima Deum immediate attingat immediatione alterius obiecti, non tamen speciei, et supposita experientia voluntatis, dicatur visio et manifestatio Dei quem praesentem agnoscit et experitur respectu aliarum contemplationum, semper tamen est sub confusione et obscuritate sufficiente ad statum fidei et nullo modo attingit ad claritatem patriae, ut saepe diximus.

Obiicies *tertio*: Actus intellectus et voluntatis huius vitae nec ex parte Dei sunt uniones cum anima, nec ex parte animae cum Deo. Ergo non consistit in illis unio actualis. Probatur antecedens quoad *primam* partem: quia actus illi cognitionis et amoris tenent se ex parte animae cognoscentis et amantis et non ex parte Dei. Quoad *secundam* vero probatur: quia sicut ad unionem realem et habitualem praeter illapsum quo Deus animam occupat, datur illa praesentia Dei realis per modum obiecti iam explicata, qua anima aliquo modo possidet et habet Deum, quia utrumque requiritur ad unionem mutuam; ita ad unionem actualem non solum requiritur quod Deus teneat

---

(88) *Apuntamientos y advertencias en tres discursos para más fácil inteligencia de las frases místicas y doctrina de las obras espirituales de nuestro Padre San Juan de la Cruz*, disc. I, frasis 4, §. 1 y 2; *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, ed. crít., t. III, pp. 479-481.

(89) ratio 1; ed. Vivès, t. XV, p. 319ª: *Tangit animam, gratiam in ea causando: unde et in Psal.* CXLIII: *Tange montes, Glossa, « de gratia tua ».*

(90) v. 5. — In ed. 1684 legitur: « *Tange mentes* »; at legitur: « *montes* » tum apud D. THOMAM, l. c.; tum apud NICOLAUM A IESU MARIA, l. c., cap. 16, §. 2, num. 13, p. 186; tum apud DIDACUM A IESU, l. c., frasis 4, §. 1, p. 480.

(91) *Glossa interlinealis*: « *Tange montes* » « *De gratia tua* ». Cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria...*, ed. 1634, t. III, col. 1559.

(92) FRANCISCUS PIZANUS DE LEON (O. S. M. de Mercede), *Compendium totius mysticae theologiae ex doctrina Sanctorum Patrum maiori ex parte concinnatum*, lib. IV, cap. 13, §. *His igitur;* Matriti, 1649, fol. 406.

(93) « *elevatam* » in ed. 1684.

potentias per praedictos (94) influxus, sed quod potentiae aliquo modo habeant et teneant Deum actualiter. Sed hoc non potest fieri per actus intellectus et voluntatis huius vitae. Ergo, etc.

Probo istam minorem quoad intellectum: quia actus intellectus huius vitae non est possessio Dei in re, sed tantum in spe, ut docet D. Thomas de beatitudine huius vitae, Iª IIªe, quaest. 69, art. 1. Spes autem non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem. — Quod autem nec in voluntate detur huiusmodi possessio, probatur: quia per actum voluntatis non possidetur amatum, immo potius trahitur amans et possidetur ab amato; et ideo non constituitur beatitudo patriae in actu voluntatis, sed intellectus, immo nec beatitudo supernaturalis viae, ut plurimi censent.

Respondetur negando antecedens quoad secundam partem et ad probationem nego minorem. Ad cuius probationem circa actum intellectus distinguo: non est possessio Dei in re perfecto modo, concedo; imperfecte, nego; eo enim modo quo Deum imperfecte cognoscit, ad se trahit, quamvis non sit per propriam speciem quidditativam. D. Thomas loquitur de beatitudine virtuali seu morali huius vitae, quae consistit in meritis tanquam in via ad beatitudinem patriae, quam beatitudinem ipse appellat *participationem beatitudinis per modum meriti* (95); non vero loquitur de beatitudine formali inchoactive et imperfecte, quae est participatio physica, licet inadaequata et imperfecta, beatitudinis patriae in hoc quod sit possessio et assecutio Dei actu et formaliter, sed imperfecte, de quo videatur ipse S. Doctor, Iª IIªe, quaest. 69, art. 2; quidquid sit an beatitudo supernaturalis viae consistat in actu intellectus vel in actu voluntatis, de quo alibi. Si enim consistit in actu intellectus, est per modum inchoationis, ad quod sufficit quod intellectus aliquo modo possideat Deum in re modo dicto. Si autem ad actum voluntatis, erit per modum meriti et sufficiet possidere in spe.

Unde ad aliam partem eiusdem probationis quoad actum voluntatis respondetur: per actum voluntatis possideri Deum moraliter et virtualiter, quatenus voluntas trahendo se ad Deum per amorem, meretur perfectam possessionem patriae et continet illam virtualiter in radice. Quod non sufficit ad beatitudinem patriae, quae non potest esse *per modum meriti* (96); sufficit tamen ad beatitudinem moralem et virtualem huius vitae, quod non debent negare etiam illi qui hanc beatitudinem viae constituunt in intellectu principaliter tanquam in inchoatione beatitudinis perfectae. Uterque vero modus possidendi et habendi Deum per intellectum et voluntatem requiritur et sufficit ad unionem actualem huius vitae ex parte animae. Et quod attinet ad beatitudinem, videantur Salmanticenses, tom. III, in Iªm IIªe, tract. IX, disp. 1, dubio appendice (97).

---

(94) « *prodictos* » in ed. 1684.

(95) Iª IIªe, quaest. 69, art. 2, corp.

(96) In ed. 1684 repetitur: « *Sufficit tamen ad beatitudinem patriae, quae non potest esse per modum meriti* ».

(97) Ed. V. Palmé, t. V, pp. 262b sqq.

PROSEQUITUR CAPUT PRIMUM

§. II. Iuxta lectionem Perionii (1)

Vide autem, ne quis eorum, qui non sunt initiati sacrae (2) nostrae Religionis, haec audiat. Eos vero dico, qui in iis quae sunt, commorantur, nec quicquam iis quae sunt praestantius esse existimant, sed eum qui posuit te nebras latibulum suum scientia sua se intelligere arbitrantur. Quod si hos superat divinorum mysteriorum disciplina, quid dicendum (3) de iis omnibus, qui multo imperitiores sunt? qui naturam illam, quae omnibus antecellit, ex postremis etiam naturis effingunt, eamque nihil praestare censent impiis, variisque formis, et simulachris, quae a se finguntur? Cum ei, ut causae omnium, ea etiam omnia, quae in naturis dicuntur, tribuenda sint, eademque omnia magis proprie ac verius non tribuenda sint, ut quae omnia multum ac longe superet: nec putandae sint negationes opposito nomine contrariae esse affirmationibus, sed ipsa existimanda sit multo prior et antiquior privationibus, cum omni et negationi et affirmationi antecellat.

Iuxta lectionem Corderii (4)

Haec autem vide, ne quis audiat rudiorum: istos dico, qui rebus (naturalibus) adhaerescunt, et nihil ultra naturalia supernaturaliter esse imaginantur, quinimo arbitrantur sua cognitione nosse eum, qui posuit tenebras latibulum suum. Quod si supra captum horum sint divinorum mysteriorum institutiones; quid dixerit quis de illis qui magis rudes sunt, qui summam causam omnium ex iis, quae in natura rerum extrema sunt, designant, nihilque aiunt eam antecellere impiis multarum formarum imaginibus, quas ipsi fingunt, cum oporteret in ea, ut omnium causa, omnes entium affirmationes statuere, ac de ea affirmare; quin illas ipsas omnes de ea magis proprie negare, tamquam supra omnia superexistente, nec existimare negationes affirmationibus esse contrarias, sed ipsam multo priorem et superiorem privationibus esse supra omnem et ablationem, et positionem.

PARAPHRASIS

Vide autem ne ista quae doceo, audiat aliquis eorum qui nondum fuerint bene instructi in myteriis religionis Christianae, qui adhuc rudes et inculti naturalibusque rebus immersi nihil putant esse supernaturale, neque praestantius rebus ipsis naturalibus et existentibus in hoc mundo visibili, immo sua cognitione naturali, quam ex creaturis sensibilibus percipiunt, praesumunt se intelligere Deum qui *posuit tenebras latibulum suum*, iuxta *Psalm.* 17 (5).

Si autem ista sunt supra captum eorum, nempe Christianorum nondum bene instructorum vel etiam philosophorum gentilium, quanto magis longe

(1) Ed. Lovanii, 1566, fol. 162v-163r.
(2) Ed. cit., fol. 162v: *sacris.*
(3) *ib.*: *dicendum est.*
(4) Migne, P. G., t. 3, col. 999, §. 2
(5) v. 12.

aberunt ab idololatra plebe, quae neque fide, neque scientia pollet, quaeque naturam divinam ex rebus materialibus, quae in natura rerum sunt postremae, describit et non reputat superiorem impiis et variis imaginibus quibus quisque pro phantasia sua Deum fingit. Cum tamen Deo, qui, ut omnium rerum causa, perfectiones creaturarum continet eminenter, omnes etiam perfectiones debeant attribui et de ipso affirmari vel potius et magis proprie omnes de eo negari tanquam existente super omnia quae cogitari possunt; nec ideo putandum est negationes contrariari affirmationibus, cum Deus sit prior omnibus privationibus omnique negationi et affirmationi superior.

QUAESTIO XVIII

CUR MYSTICA THEOLOGIA DEBEAT ABSCONDI A RUDIORIBUS ET QUARE ETIAM PHILOSOPHI GENTILES DICANTUR RUDIORES AD COGNOSCENDUM DEUM?

Nomine *rudiorum* in Corderii versione apposito intelligunt aliqui philosophos gentiles, licet D. Maximus (1) et Pachymera (2) ex vi dictionis graecae intelligant illos *qui alioquin etiam non sunt exortes mysteriorum, sed rebus sensibilibus involuti*, dum in nomine Christi credunt, ad perfectiorem tamen eius notitiam non assurgunt. Stante igitur prima significatione ratio dubitandi est: tum quia plures philosophi gentiles cognoverunt et demonstrarunt Deum esse et de illo affirmarunt plures perfectiones, quod (saltem ita clare) aliqui ex fidelibus non percipiunt. Tum etiam quia secundum Dionysium qui melius unitur Deo in hac vita, unitur ei tanquam omnino ignoto; sed coniungi Deo ignorando quid est bene potest fieri per rationem naturalem: ergo ex eo solum quod philosophi gentiles sola ratione naturali utuntur, non sequitur esse rudiores ad cognoscendum Deum.

Dicendum tamen *primo* rudiores esse Gentiles etiam philosophos, qui sola ratione naturali utuntur ad cognoscendum Deum vel affirmando vel negando, quam Fideles et iam initiatos in divinis mysteriis. Probatur ex D. Thoma, 1ª part., quaest. 12, art. 13: quia ad cognitionem naturalem duo requiruntur: lumen intelligibile et phantasmata a sensibilibus accepta; sed lumen naturale perficitur et confortatur per fidem ne vacillet aut erret et phantasmata fidei adiutorio melius disponuntur ad repraesentandas res divinas, immo aliquando formantur a Deo vel etiam instruuntur aliquibus visionibus vel vocibus ad aliquid divinum exprimendum; ergo, etc.

Confirmatur magis ad mentem S. Dionysii: quia ad cognoscendum Deum per remotionem negando de eo omnes perfectiones quas ex creaturis illi attribuit intellectus, necessario supponenda est fides, quae nobis certificet esse aliquod ens supernaturale excedens omnia entia naturalia et quidquid intellectus naturaliter potest cognoscere et apprehendere. Sed philosophi gentiles sola luce naturali fide destituti dirigebantur. Ergo non poterant hoc modo Deum ita cognoscere sicut Fideles fide instructi.

Ad primam rationem dubitandi respondetur: Licet Fideles per fidem non ita clare et evidenter cognoscant Deum esse et in Deo esse illas perfectiones quas philosophi naturaliter demonstrabant, haec tamen certius

(1) *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 2; Migne, P. G., t. 4, col. 418; text. graec., col. 417.

(2) *Paraphrasis in lib. De Myst. Theol.*, cap. 1, §. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 1018: ...*rebus adhuc sensibilibus*...

cognoscunt et plura alia mysteria quae naturalis ratio non attingit. Ad secundam respondet D. Thomas supra citatus, ad primam: quod licet tam per fidem quam per rationem naturalem ignoremus de Deo quid sit et coniungamur ei per intellectum quasi ignoto, per fidem tamen cognoscimus habere plures perfectiones et plures effectus perfectiores ex quibus melius cognoscitur. Adde quod saltem ad negandum de eo omnes perfectiones cognoscibiles non sufficit sola ratio naturalis, nisi fidei innixa, ut diximus in confirmatione.

Dicendum *secundo*: Ratio cur D. Dionysius istam doctrinam a Gentilibus abscondi iubeat, ea in primis est ut sequatur consilium Christi Domini, *Matth.* VII (3): *Ne proiiciamus margaritas ante porcos, nec Sanctum demus canibus.* Ne scilicet ab immundis profanetur et risui exponatur. Quomodo etiam haeretici nostri temporis garrulitatem et nugas vocant libros Areopagitae, immo contra stylum eorum arguit Abrahamus Scultetus Calvinista (4): *non esse simplicem et sincerum, sed argutum nimis et inflatum et affectatum et parum Apostolicum.* Ecce quid prosunt porcis margaritae. Ecce quare laudat Origenes, *Hom. 1 in Ezech.* (5), sententiam illam cuiusdam sapientis: *De Deo etiam vera dicere periculosum est.* Nec solum in hoc libro Dionysius commendat cautionem istam, sed alibi saepe, ut cap. 1 *De Divinis Nominibus* (6) et 1 et 2 *De Ecclesiastica Hierarchia* (7). Quem circa mysteria fidei revelanda non omnibus, nisi fidelibus et initiatis, secuti sunt plures SS. Patrum: Clemens Alexandrinus, lib. I *Stromatum* (8); Cyrillus Hierosolymitanus, *ante suas Catecheses* (9); Basilius magnus lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. 27 (10) et alii.

Quod etiam nondum bene in mysteriis fidei instructis eam forte occultandam admoneat, in causa potuit esse quod etiam Paulus iudicat, I *Corinth.*, III (11): *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis*, ubi, ut inquit Cornelius hic (12), *« lac » vocat Apostolus faciliorem, suaviorem et simpliciorem doctrinam de Christi humanitate et gratia ac redemptione, qualis convenit Catechumenis recenter conversis et adhuc carnalibus; « escam », id est solidum cibum, vocat perfectiorem, robustiorem et de altioribus mysteriis doctrinam, uti de Deo, de Dei spiritu et spiritualibus, de crucis sapientia, potentia, amore, etc.* Magistrorum enim doctrina proportionari debet discipulorum captui.

Obiicies: Ergo etiam iam nunc ita debent ista abscondi, ut nec ad aures haereticorum, nec etiam fidelium nondum plene instructorum perveniant. Unde non solum erit inconveniens doctrinas istas lingua vulgari circumferre, sed etiam latine scribere et praelo committere; ideo enim Nicolaus Papa (ut diximus quaest. 1 prooemiali) improbavit quod Ioannes Scotus libros Areopagitae ex graeco transtulerit. — Respondetur negando illationem; non enim modo possumus nec debemus doctrinam istam occultare haereticis iam contra eam

---

(3) v. 6; Hetzenauer, p. 958: *Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* — In ed. 1684, p. 505[b], erronee legitur: *« Lucae 8 ».*

(4) *Medulla theologiae Patrum: qui a temporibus Apostolorum ad Concilium usq. Nicenum floruerunt*, lib. XI, cap. 9; Ambergae, 1598, p. 483: *Stylus horum librorum non est simplex...*

(5) *Homilia I in Ezechielem*, num. 11; Migne, P. G., t. 13, col. 677.

(6) §. 8; Migne, P. G., t. 3, col. 597.

(7) cap. 1, §. 1 et 5; cap. 2, initio; Migne, P. G., t. 3, col. 372, 377 et 392.

(8) *Stromata*, lib. I, cap. 12; Migne, P. G., t. 8, col. 753-754.

(9) *Protocatechesis*, num. 12; Migne, P. G., t. 33, col. 351-354.

(10) Migne, P. G., t. 32, col. 189-190.

(11) v. 2.

(12) CORNELIUS A LAPIDE, S. I., *Commentarius in primam epistolam ad Corinthios*, cap. III, v. 2, §. *Ubi adverte;* ed. Vivès, Parisiis, 1857-1861, t. XVIII, p. 268[a]: *... catechumenis recens conversis,...*

toties oblatrantibus, immo potius praedicare et celebrare in eorum confusionem et despectum. Nec etiam erit iam inconveniens omnibus Christi fidelibus propalare, nec enim modo ubi iam fides latas et firmas radices egit, ubi tot florent scholae, magistri et doctores, potest esse periculum; nec iam novum debet videri quod per tot saecula in cuiusque materna lingua cum magno animarum profectu a pluribus auctoribus promulgatum agnoscimus. Quod bene defendit inter alios N. Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucidatione phrasium mysticae Theologiae B. P. N. Ioannis a Cruce*, part. I, cap. 5, §. 2 (13); et si forte unus vel alter scandalum patiatur, non ideo debent ea luce privari alii innumeri qui sanis oculis eam recipientes ad fastigium perfectionis anhelant et assurgunt.

Nec tamen illico debent magistri spirituales per viam istam contemplationis ducere nisi illos, quos iam sufficienter in sacris meditationibus, mortificationibus et virtutibus exercitos vel iam non posse meditari, vel a Deo vocatos et dispositos comperierint iuxta regulas passim traditas a doctoribus mysticis, quas retulimus in *Catena mystica*, quaest. 7 et 8 (14).

QUAESTIO XIX

QUAENAM SUNT PERFECTIONES QUAS POSSUMUS DE DEO AFFIRMARE ET QUOMODO?

De hoc agit D. Dionysius ex professo in libro *De Divinis nominibus* et in aliis qui modo non exstant, scilicet *De Divinis Informationibus* et *De Symbolica Theologia;* sed quia in hoc de theologia mystica, ubi ea neganda et removenda de Deo docet quae per alias theologias affirmantur, ideo prius necesse est cognoscere quid affirmare possimus, ut sciamus quid debeat negari, maxime cum in isto §. 2 dicat: Deo ut causae omnium ea omnia tribuenda sunt quae in naturis dicuntur (1).

Perfectio igitur vel est *simpliciter simplex* vel *secundum quid*. Perfectio *simpliciter simplex* est illa quae potest inveniri sine ulla imperfectione, eo quod in suo conceptu imperfectionem non includat, licet aliunde secundum modum essendi quem habet in creaturis dicat imperfectionem. Unde solet definiri *perfectio, quae in unoquoque melior est ipsa, quam non ipsa, et qualibet incompossibili cum ipsa* (2). Quod non intelligitur de unoquoque ente ut tale ens est, sed quatenus ens. Unde licet intelligere non sit melius quam non intelligere respectu equi ut equus est, bene tamen quatenus ens est. Nec similiter intelligitur de quolibet supposito naturae, sed de quolibet individuo; unde relationes divinae etiam ut distinctae ab essentia dicunt perfectionem infinitam, quia adhuc ut sic distinctae includunt illam per modum transcendentis, cum non sit distinctio virtualis excludentis et exclusi, sed includentis et inclusi; et tamen respectu suppositi Patris non est melior Filiatio quam non Filiatio, est tamen melior in individuo Deitatis (3).

Perfectio *secundum quid* illa est quae in suo conceptu nunquam potest separari ab imperfectionibus, ut dis-

---

(13) Ed. 1639, pp. 37-39.

(14) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 7 y 8; pp. 45a-69b.

(1) *De Mystica Theologia*, cap. 1; versio Perionii, ed. cit., fol. 162v-163r: *Cum ei, ut causae omnium, ea etiam omnia, quae in naturis dicuntur, tribuenda sint.*

(2) SALMANTICENSES, *Cursus theologicus* (dogmaticus), tract. VI, disp. 6, dub. 1, §. 2, num. 10; ed. V. Palmé, t. III, p. 250a: *Perfectio simpliciter simplex est illa, quae in quolibet est melior ipsa, quam non ipsa, et quaelibet incompossibilis cum ipsa.*

(3) Cf. SALMANTICENSES, l. c.

currere, vegetare, etc. Unde licet alicui enti determinato, v. g., homini, melius et convenientius sit discurrere, vegetari, sentire, etc. quam oppositum; non tamen enti ut sic, ac proinde nec angelo, nec Deo conveniunt.

Sit ergo *prima conclusio*: Omnes perfectiones simpliciter simplices secundum suum proprium conceptum denudatum ab imperfectionibus inveniuntur in Deo formaliter eminenter. Probatur: quia Deus est ens omnibus modis perfectissimum; ergo non potest ei deesse aliqua perfectio simpliciter talis, cum melius sit eam formaliter habere quam non habere.

Ex quibus perfectionibus, licet a parte rei identificatis cum essentia divina, aliquae pertinent ad essentiam ut distinguitur virtualiter a relationibus et attributis; et sunt illae quae in creatis pertinent ad essentiam creaturae substantialis, ut esse ens, et quae directe ponuntur in praedicamento substantiae, ut substantia, spiritus, intellectivus, et hoc per modum actus purissimi. Aliae pertinent ad proprietates absolutas seu attributa tam negativa quam affirmativa, ut infinitus, immensus, immutabilis, aeternus, incomprehensibilis, invisibilis, ineffabilis, sapiens, volens, omnipotens, verus, bonus, unus, etc. Aliae ad proprietates relativas, ut Trinus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus. Aliae quatenus est operativus ad extra respectu creaturarum, ut Creator, Gubernator, Conservator, etc. Quae omnia de Deo possumus absolute affirmare et praedicare.

Secunda conclusio: Perfectiones secundum quid seu quae sunt determinatae ad aliquod genus, sive illae sint genericae, sive specificae, sive numericae, non reperiuntur in Deo formaliter, sed eminenter. Probatur: quia si reperirentur in Deo formaliter, esset in Deo aliqua imperfectio, compositio et potentialitas, et posset Deus denominari leo, arbor, etc.; quae sunt absurda. Quod autem sint in eo eminenter patet: quia Deus est (4) causa aequivoca omnium entium secundum omnia quae includunt, ac proinde quidquid est in illis debet in Deo esse eminenter et tanquam in causa.

Unde istae perfectiones non dicuntur de Deo formaliter et proprie, sed metaphorice et improprie ratione alicuius perfectionis formalis quae aliqualem habet analogiam aut similitudinem cum tali creatura, sicut propter sapientiam alios illuminantem dicitur *Sol*, propter fortitudinem *Leo*, propter iustitiam *irasci*, propter misericordiam *compati*, etc.

Obiicies: Essentia solis, leonis, equi, etc. vel potest considerari secundum se, vel secundum modum essendi imperfectum quem habet. Ergo licet secundum modum istum essendi quem habet extra Deum, non sit in Deo formaliter, sed tantum virtualiter et eminenter secundum alium modum eminentiorem, attamen secundum se praecise eademmet essentia numero et specie erit formaliter in Deo. — Respondetur: aliquos ita sentire apud Ledesmam, *De perfectione divina*, quaest. I, art. 1 (5). Sed contraria sententia tenenda est ut magis conformis concilio Lateranensi (6), quod citat Bañez, I part., quaest. 4, art. 2, dub. 2, concl. 3. (7), damnanti propositionem cuiusdam Almarici quod omnes creaturae in Deo formaliter et de eo formaliter dicantur. Unde ad argumentum respondetur: supponere falsum in antecedenti, si intelligatur quod essentia creaturae possit denudari ab omni imperfectione et potentialitate, cum necessario constet genere et differentia et aliis imperfectionibus Deo repugnantibus, quantumvis con-

(4) « *ut* » in ed. 1684, p. 506b.

(5) LEDESMA (PETRUS DE—), O. Pr., *De divina perfectione*, quaest. 1, art. 1; Salmanticae, 1596, pp. 48-62.

(6) LABBEUS-COSSARTIUS, S. I., *Sacrosancta concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XIII, col. 933: *Concilium Lateranense IV*, cap. 2. — DENZ.-BANNW., *Enchiridion symbolorum, num.* 433 (359) ed. 10, 1908, p. 192.

(7) *Scholastica commentaria in primam partem Angelici Doctoris S. Thomae*, quaest. 4, art. 2, dub. 2, concl. 3; Duaci, 1614, t. I, pp. 122b-123a.

sideretur sine aliis quae habet ex modo essendi non essentiali. Et ideo nego consequentiam.

Alias obiectiones consulto omittimus, quia sunt mere scholasticae et passim afferuntur ab auctoribus tam theologis quam metaphysicis. Possuntque videri apud nostrum Blasium a Conceptione in *Metaphysica*, disp. 11, quaest. 1 (8).

QUAESTIO XX

QUOMODO PRAEDICTAE PERFECTIONES DEBEANT REMOVERI ET NEGARI DE DEO IN CONTEMPLATIONE MYSTICA?

Omnia quae Deo tribuimus ex cognitione creaturarum ut causae omnium, magis proprie et verius non tribuenda, sed deneganda esse docet sanctus Dionysius, ubi supra. Sed quia aliqua dicuntur de Deo vere et proprie, alia metaphorice, quaeritur an aequaliter et eodem modo omnia debeamus denegare et quomodo?

Dicendum est *primo* perfectiones *secundum quid*, quae solum de Deo dicuntur metaphorice, absolute posse et debere ab eo removeri et negari cognoscendo et confitendo Deum non esse solem, neque leonem, neque irasci, neque moveri, etc. Probatur: quia fides et ratio dictat haec non esse formaliter in Deo, sed solum illi attribui per quamdam appropriationem et metaphoram, sub qua intelligitur aliqua perfectio simpliciter simplex, ut esse sapientem, iustum, misericordem, etc., quae licet sit formaliter in Deo, non tamen sub illo conceptu imperfecto et improprio.

Dicendum est *secundo* perfectiones *simpliciter simplices*, quae vere et proprie dicuntur de Deo, ut esse ens, substantiam, spiritum, unum, trinum, bonum, verum, sapientem, omnipotentem, etc., non debere negari absolute quasi non sint in illo secundum omnem perfectionem quam dicunt, sed negari esse in illo ut a nobis concipiuntur; quod fit semper ex conceptu creaturarum imperfecto et involuto potentialitate, compositione, limitatione et aliis imperfectionibus Deo repugnantibus. Quamvis enim conceptus entis vel substantiae, etc., non includat essentialiter imperfectionem, semper tamen concipitur a nobis ad modum entis creati involventis imperfectionem; et dum concipitur ens ut sic, non concipitur a nobis ut substantia, aut spiritus, aut sapiens, etc., ac proinde cum limitatione qua non est in Deo, in quo omnia sunt idem sine distinctione reali. Similiter cum concipitur ut sapiens et per modum concreti accidentalis et sapientia per modum accidentis abstracti et sic de ceteris; quae omnia ex praedicto modo cognoscendi involvunt imperfectionem a Deo removendam.

Non negamus igitur absolute Deum esse unum, et trinum, et bonum, et sapientem, etc.; sed non esse talem modo quo a nobis ista concipiuntur. Nec est necesse ad contemplationem mysticam formare antecedenter vel concomitanter istas propositiones: Deus non est unus vel Deus non est sapiens ut a nobis concipitur, sed quando nobis sic proponitur, non debemus haerere in illo conceptu positivo, sed simplici cognitione ulterius ascendere et apprehendere Deum ut quid sublimius; et ex ista apprehensione positiva ascendere ulterius et ulterius, donec formemus illum conceptum Deum esse super omnia cognoscibilia, quid ineffabile, incomprehensibile et nobis ignotum; et quo magis lumine fidei vel alio divinitus infuso penetrabitur ista veritas, eo

(8) §. 3; Parisiis, 1642, pp. 313a-316b.

magis intellectus ab ea caligine seu luce inaccessa illuminabitur, et sic in eo simplici intuitu defixus melius Deum contemplabitur et cognoscet.

Obiicies *primo*: Quando affirmatio vera est, negatio falsa esse debet. Sed vera est ista affirmatio *Deus est unus, est veritas, est vita*, etc. Ergo falsa erit ista negatio *Deus non est unus, non est veritas, non est vita*, etc. — Respondetur distinguendo maiorem: quando affirmatio et negatio sunt de eodem et sub eodem modo, concedo; sin minus, nego. Non autem eadem et sub eodem modo de Deo affirmamus et negamus praedicta; affirmamus enim Deum esse unum, veritatem et vitam modo perfectissimo et Deo convenienti; negamus vero esse unum, veritatem et vitam modo imperfecto sicut a nobis ex creaturis concipitur. Iam ergo non negamus eadem quae affirmamus; quia quae affirmamus et ponimus in Deo, non sunt modi imperfecti quibus in creaturis illae perfectiones exsistunt; cum negamus modum aliquem imperfectum, non negamus quod affirmamus, nec tollimus quod posuimus. Item, quia quando affirmamus Deum esse aut esse bonum, etc., affirmamus hoc *quoad an est*, sicut fides affirmat; non tamen *quoad quid est*, quod fides non indicat. Quando autem hoc negamus, est *quoad quid est*, scilicet non esse sicut cognoscimus, nec posse nos cognoscere quid Deus sit; non autem contrariantur cognoscere *an sit* et ignorare *quid sit*.

Obiicies *secundo*: Ratio cur Dionysius docet has negationes non esse contrarias his affirmationibus, est quia Deus est prior privationibus et tam affirmationi quam negationi. Sed hoc non consonat cum nostra solutione, nec tollit contradictionem. Ergo, etc. — Respondetur negando minorem; Deus enim prior est creaturis et proinde est prior affirmationibus seu positionibus a creatura desumptis; positiones item priores sunt privationibus, prius enim concipimus habitum quam privationem eius; est igitur Deus prior utrisque ac proinde contrarietas seu oppositio quae invenitur inter habitum et privationem, est posterior Deo et non invenitur in illo. Quod idem est ac Deum eiusque perfectiones non esse tales sicut ex creatis eas cognoscimus, ut responsum est ad argumentum.

Obiicies *tertio*: Deus nec per negationem, nec per affirmationem cognoscitur *quid sit*. Ergo nec minus, nec magis vere cognoscitur hoc vel illo modo. Ergo non recte dicit Dionysius ea quae de Deo affirmamus, proprius et verius negari. — Respondetur: Licet aeque vere cognoscamus positive ex creaturis Deum *quoad an est* et cognoscamus negative Deum non esse quid creatum, nec similem creaturis, eo quod omnes istae cognitiones in fide fundentur; verius tamen est Deum non esse talem in seipso sicut illum cognoscimus quam Deum talem esse sicut illum cognoscimus. Et iterum verius est nos cognoscere Deum esse nobis ignotum, nempe *quoad quid est*, quam cognoscere quod illum cognoscamus; et ideo verius est nos cognoscere Deum per istam ignorantiam, nam ut dicit D. Thomas, *In lib. De Divinis Nominibus*, cap. 7, lect. 4 (1), *cognoscitur* Deus *per ignorantiam nostram, in quantum scilicet hoc ipsum est Deum cognoscere, quod nos scimus nos ignorare de Deo quid sit.*

(1) *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XXIX, p. 522b.

PROSEQUITUR CAPUT PRIMUM

§. III. **Iuxta lectionem Perionii** (1)

Hoc quidem modo divinus Bartholomaeus ait, et magnam esse Theologiam, et minimam: atque Evangelium amplum, et magnum: rursusque compendiarium. Quibus verbis illud mihi eximie intellexisse videtur, bonam omnium causam et multis verbis, et paucis, simul et nullis exprimi: quippe quae nec rationem habeat, nec intelligentiam ac notitiam, quod omnibus singulari modo praestet, iisque solis sine integumentis vereque colluceat, qui et immunda omnia, et munda transeunt, omnemque omnium Sanctorum fastigiorum ascensum superant: et divina omnia lumina, sonos, rationesque coelestes relinquunt, et in caliginem ingrediuntur, in qua revera est, ut scripta divina tradunt, is qui est super (2) omnia. Non enim frustra divinus Moyses (3) mundari expiarique ipse iubetur, rursusque ab iis, qui non sunt eiusmodi, secerni, ac post omnem expiationem audit tubas, quae multos sonos edebant, cernitque multa lumina puros ac diffusos radios iacentia: deinde a multis secernitur, et cum selectis Sacerdotibus ad divinorum graduum cacumen pervenit: atque in his non cum Deo quidem versatur, videt tamen non ipsum (neque enim cerni potest), sed locum in quo stetit. Hoc autem mihi significare videtur ea, quae divinissima ac summa sunt in iis, quae cernuntur, et intelliguntur, subiectas esse rationes eorum, quae ei, qui omnia superat, subiecta sunt, quibus eius praesentia, quae omnem cogitationem intelligentiamque superat, et in spiritualibus sanctissimorum eius locorum cacuminibus insidet ostenditur: tumque demum et ab iis, quae cernuntur, et ab iis, quae cernunt, liberatur, et in vere mysticam ignorationis caliginem irrepit, in qua omnia cognitionis subsidia deponit, atque in eo fit, qui penitus tractari, viderique non potest, totus eius, qui superat omnia, nec ullius, nec suus, nec alterius, sed ei, qui omnino incognitus est, omnis cognitionis cessatione praestantiori (4) modo coniunctus: atque hoc ipso, quod nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit et superat.

Iuxta lectionem Corderii (5)

Hac utique ratione divus Bartholomaeus ait, et copiosam esse Theologiam, et minimam, atque Evangelium amplum, et magnum, et rursus concisum. Illud, ut mihi videtur, eximie intelligens, quod benigna omnium causa sit, et multiloqua, et breviloqua simul, atque nullius sermonis, utpote cuius neque dictio, neque intelligentia sit, quia cunctis creatis superessentialiter supereminet, et absque operimentis, ac vere ostenditur solis iis, qui cuncta, quae impura, quaeque pura sunt, pertranseunt, omnemque omnium Sanctorum fastigiorum ascensum transcendunt, et omnia divina lumina, et sonos, et sermones caelestes relinquunt, et in caliginem absorbentur, ubi vere est, sicut ait Scriptura, qui est ultra omnia.

---

(1) Lovanii, 1566, fol. 163r-163v.
(2) Ed. cit., fol. 163r: « *supra* ».
(3) *ib.*, « *Moses* ».
(4) Ed. cit., fol. 163v: « *praestantiore* ».
(5) §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 999 et 1002.

Non enim temere divinus Moyses expiari primum ipse iubetur, ac deinde a non expiatis segregari, et post omnem expiationem audit multisonas tubas, cernitque multa lumina, puros, ac multiplices radios iacentia: postmodum a multitudine separatur, et cum electis Sacerdotibus ad summum fastigium divinorum ascensuum pertingit.

Sed hactenus nondum versatur cum ipso Deo, nec eum videt (inaspectabilis enim est), sed locum, ubi stetit. Hoc autem existimo significare divinissima, et summa eorum, quae cernuntur, et intelliguntur, rationes quasdam esse, quae subiiciant menti, illa, quae sunt subiecta ei, qui universis antecellit; quibus praesentia ipsius, quae omnem cogitationem mentis vincit, declaratur insistens, tamquam in vestigiis summis intellectualibus locorum eius sanctissimorum: ac tunc ab iis ipsis, quae videntur, et ab iis, quae vident, absolutus, et expeditus, in caliginem vere mysticam incognoscibilitatis ingreditur, in qua omnes scientificas apprehensiones excludit, et in omnimode intactili, et invisibili haeret, totus existens ipsius, qui est ultra omnia; neque ullius, neque suus, neque alterius, cum eo autem, qui est penitus incognoscibilis, per vacationem omnis cognitionis, secundum meliorem partem copulatus, et eo ipso quod nihil cognoscit, supra mentem cognoscens.

PARAPHRASIS

Ideo S. Bartholomaeus Apostolus (fortasse in aliqua epistola quae iam non exstat) dicit theologiam esse simul diffusam et brevissimam, atque Evangelium esse amplum et magnum, et simul contractum seu exiguum. In quo mihi videtur intelligere quod Deus, qui est omnium causa, per multa verba et per pauca et etiam per nulla nobis loquatur et a nobis intelligatur. Quia nec fari potest, nec intelligi, cum creaturas omnes supersubstantialiter seu supernaturaliter excedat; solumque se praebeat cognoscendum sine tegumentis illis qui nec in impuris seu materialibus, neque in puris sive spiritualibus cognitionem detinent, omnemque transcendunt altitudinem, etiam sanctorum fastigiorum, omniaque lumina et locutiones, et in mysticam caliginem ingrediuntur, ubi vere habitat qui est super omnia, ut dicit Scriptura (nempe *Exod.*, XIX (6): *Veniam ad te in caligine;* et II *Paralip.* (7): *Ut habitaret* Dominus *in caligine;* et *Ps.* 17 (8): *Caligo sub pedibus eius;* et 96 (9): *Nubes et caligo in circuitu eius;* et alibi saepe). Non enim sine causa (*Exod.*, XIX), iubetur Moyses expiari et deinde a non expiatis separari, et post omnem expiationem audit sonos tubarum et videt radios plurimorum luminum, postmodum a multitudine populi segregatus et cum electis sacerdotibus (nempe Aaron, Nadab et Abiu (10) et septuaginta de senioribus Israel, *Exod.*, XXIV) ad divinorum graduum et ascensuum cacumen pervenit. Sed hactenus non cum Deo conversatur, nec eum clare videt, cum ipse invisibilis sit, sed locum ubi steterunt pedes eius, nempe *quasi opus lapidis sapphirini* (11) etc. *Exod.*, XXIV, v. 10 (12). Hoc autem existimo

(6) v. 9.
(7) c. VI, v.1.
(8) v. 10.
(9) *Ps.* 96, v. 2. — In ed. 1684, p. 509a erronee legitur: « 56 ».
(10) « *Abin* » in ed. 1684, p. 509a.
(11) « *seraphini* » in ed. 1684, p. 509a.
(12) « *Exod.* 6. v. 10 » in ed. 1684, p. 509a.

significare quod divinae et supernaturales visiones atque revelationes sint veluti quaedam argumenta et rationes, ex quibus ostenduntur nobis quae sunt sub pedibus eius qui omnia superat, et ipsum ibi esse praesentem, ubi haec fiunt, sed occultum et supra omnem cognitionem existentem in illis spiritualibus vestigiis tanquam in cacumine locorum sanctorum. Tunc autem qui haec experitur et videt Deum sub istis imaginibus et apparitionibus, debet segregari et expediri ab omnibus illis obiectis visibilibus et etiam ab hominibus et spiritibus videntibus, ut ingrediatur caliginem mysticam incognoscibilitatis, in qua excludat omnem scientiam et cognitionem. Sic enim coniungitur ei qui est omnino imperceptibilis et invisibilis, et totus fit eius, nempe Dei, quia ad eum solum dirigitur per contemplationem et amorem, et nec ullius, sive suus, sive alterius, quia nec in se, nec in aliis cognoscendis aut amandis divertitur, sed totus copulatus et coniunctus cum Deo secundum partem superiorem mentis per vacationem omnis cognitionis (nempe distinctae et clarae), et eo ipso quod nihil sic cognoscit, supra mentis naturam fit cognoscens.

QUAESTIO XXI

QUOMODO INTELLIGATUR THEOLOGIAM ESSE MAGNAM ET MINIMAM ET SIMILITER EVANGELIUM?

Explicat sanctus Dionysius hoc ex eo quod Deus et multis, et paucis, et nullis verbis explicetur et cognoscatur. Hoc autem rursus inquirimus quomodo intelligatur? Et quod attinet ad Evangelium debet intelligi quod licet sit exigui voluminis, magna continet mysteria et immensam doctrinam; vel quia est verbum abbreviatum, iuxta *Rom.*, IX (1); et propter dilectionis praeceptum, quod, cum sit unicum, omnem perfectionem complectitur et omnem molem antiquarum caeremoniarum superat; et etiam propter obiectum eius, nempe Verbum incarnatum, quod in natura humana veluti exinanitum plenitudinem divinitatis comprehendit. Quod vero attinet ad theologiam, de qua nobis est sermo,

Dicendum est theologiam symbolicam esse multiloquam seu multis verbis uti ad Deum explicandum et cognoscendum; theologiam scholasticam esse breviloquam respectu illius, quia paucioribus verbis et nominibus Deum proponit; theologiam vero mysticam esse nullius sermonis, quia sub nullis nominibus aut imaginibus Deum cognoscit. Hanc esse mentem Dionysii patet ex cap. 3 huius libri (2), ubi symbolicam theologiam dicit verbosiorem quam scholasticam, quae intelligitur sub nomine informationum theologicarum et divinorum nominum; et denique mysticam non solum esse breviloquam, sed silentem.

Ratio est: quia theologia symbolica utitur nominibus translatis a rebus sensibilibus, ut per metaphoras et symbola Deum explicet; quae quidem nomina sunt innumera. Theologia vero scholastica tribuit Deo ea sola nomina, quae significant perfectiones in eo formaliter existentes, ut esse ens, substantiam, verum, bonum, etc.; quae sub breviori summa traduntur. Theologia tandem mystica omnia ista negat et removet de Deo modo superius dicto; ac proinde summo silentio Deum ut ineffabilem et incognoscibilem contemplatur.

Potest etiam hoc intelligi, ut explicat Marsilius Ficinus (3) de tribus gra-

(1) v. 28; Hetzenauer, p. 1105: *Verbum breviatum.* — In ed. 1684, p. 509a, legitur: « *Rom. 8* ».

(2) Migne, P. G., t. 3, col. 1034.

(3) *Commentum in « De mystica theologia »*, cap. 1, §. *Mens circa Deum; Opera Dionysii*, Argentinae, 1502, t. III, fol. 5 recto, b.

dibus quibus mens in Deum ascendit. Primo pluribus verbis utens, quando quaecumque occurrunt de Deo affirmat vel negat. Secundo paucis verbis, ubi de Deo loquitur sub ea ratione qua refertur ad creaturas vel creaturae ad ipsum. Tertio nullis verbis, quando nec refert Deum ad creaturas, nec creaturas ad Deum, nec de eo aliquid affirmat vel negat, sed religioso silentio Deum colit.

Obiicies: Saepe diximus mysticam theologiam esse contemplationem Dei per negationem et remotionem, immo et de Deo negare omnia cognoscibilia. Quod non cohaeret cum hoc quod modo dicit Ficinus eam nihil de Deo affirmare aut negare. — Respondetur: satis ex dictis manere hoc explicatum; sed pro maiori claritate in modo loquendi dicimus: ad contemplationem mysticam saltem acquisitam ascendi quidem removendo et negando de Deo omnes positiones, sed post istam remotionem sistere intellectum in illo conceptu confuso Dei ut incomprehensibilis et incogniti *quoad quid est*, in quo consistit contemplatio mystica; atque adeo cognoscere Deum per remotionem iam factam, et tunc iam nec affirmat, nec negat aliquid de Deo. Quando autem dicitur theologiam mysticam negare de Deo omnia, intelligitur dispositive et antecedenter vel etiam virtualiter in ipso conceptu Dei confuso ex negatione et remotione relicto.

QUAESTIO XXII

QUID INTELLIGAT DIONYSIUS PER SANCTA FASTIGIA, LUMINA, SONOS AC SERMONES, ET QUOMODO ISTA TRANSCENDENDA?

Aliqui per *fastigia* intelligunt supremorum spirituum summitates, quas idem Dionysius alibi *vertices* appellat. Et per divina *lumina* ea quae Scriptura refert aliquando apparuisse, ut Moysi in rubo (1), populo in columna ignis (2), pastoribus in Bethlehem (3), Regibus in stella (4). Similiter per *sonos*, illos qui in Sina (5) audiebantur et quos Ezechiel (6) narrat se audivisse, et similes. Denique per *sermones caelestes*, locutiones Dei ad Patres et Prophetas, etc. Quae interpretatio, licet non multum discrepent in sententia mox referenda, magis tamen explicanda erit.

Dicendum ergo videtur primo: per *sancta fastigia* intelligi in praesenti visiones et apparitiones Dei supernaturales in communi, prout scilicet comprehendunt quidquid per sensus externos nobis divinitus demonstratur vel imaginatione aut intellectu conspicitur. Secundo, descendendo ad singula in particulari, per *lumina* intelligi quae per oculos seu ad modum visionis propriae percipiuntur. Tertio, per *sonos* et *sermones caelestes*, quae per aures vel per modum locutionis nobis communicantur.

Probantur haec ex eodem contextu ubi post exemplum Moysis ascendentis ad montem addit (7): *Hoc autem existimo significare divinissima, et summa, quae cernuntur, et intelliguntur* (nimirum visiones sensibiles et intelligibiles), *rationes quasdam esse, quae subiiciant menti* (id est, quae nobis ostendunt), *illa quae sunt subiecta Deo* (id est, Deo inferiora), *quibus praesentia ipsius declaratur insistens* (id est, in quibus Deus praesens, et assistens cognoscitur) *tamquam in*

(1) *Exod.*, c. III, v. 2 sqq.
(2) *Exod.*, c. XIII, v. 21 et alibi passim.
(3) *Luc.*, c. II, v. 9.
(4) *Matth.*, c. II, v. 2 sqq.
(5) *Exod.*, c. XIX, v. 16; c. XX, v. 18.
(6) *Ezech.*, c. I, v. 24.
(7) Iuxta versionem Corderii; Migne, P. G., t 3, col. 999: ... *et summa eorum quae...*

vestigiis summis intellectualibus locorum eius sanctissimorum (id est, tanquam insignis sublimibus et intellectualibus locorum sanctorum, in quibus Deus est.)

Ecce quomodo praedictae apparitiones et visiones divinae (quibus iam sensibilibus, iam imaginariis, iam intellectualibus et summis tanquam per quosdam gradus ascendimus in Deum), quantumvis sublimes, nihil aliud sint quam loci ubi stent vel quibus assistunt pedes Dei, qui illis particulariter assistit, dum nobis apparet aut loquitur; sicut Moyses (licet praedicta lumina viderit, et sonos audiverit, et in montem ascenderit) non ideo Deum clare vidit, sed locum ubi Deus stetit. Ideoque omnia ista relinquenda sunt ut in mysticam et divinam caliginem ingrediamur, et nec voluntate appetenda, nec in intellectu investiganda, nec in memoria retinenda. Potius per omnium remotionem et negationem in solum Deum (ut nobis occultum et incognitum) omnes potentiae erigendae sunt.

Obiicies: Praedictae visiones et revelationes quando sunt verae et bonae, vel a Deo fiunt immediate, vel per angelos bonos. Sed quod Deus per se vel per angelos facit, non potest animae esse nocivum, nec ab ipso exhibentur ut a nobis reiiciantur. Ergo licet conveniat eas non appetere, non tamen reiiciendae erunt. Confirmatur: quia aliquae sunt valde sublimes et proficuae, quales sunt visiones illae intellectuales et substantiales quae pertinent ad divinam unionem, de quibus agit N. B. Pater lib. II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 24 (8); vel intelligentiae illae veritatum nudarum, de quibus agit cap. 26 (9); vel locutiones illae quas appellat substantiales cap. 31 (10). Ergo non omnes relinquendae aut despiciendae, sed examinandae unde aut quales sint.

Respondetur: quod sicut Deus tribuens alicui divitias et honores, non ideo vult quod illas amet et eis adhaereat, verum quod dispenset in pauperes et opera pia aut iis renuntiet, ut ipsum solum amet; ita communicando visiones et revelationes ob nostram fragilitatem aut finem alium, non vult quod illas amemus et amplectamur, sed potius ut humiliter fugiamus iisque renuntiemus, tum propter latens in eis frequenter periculum, tum ne extra Deum creaturae plus aequo nostrum impendamus amorem, tum ut sic melius ad contemplationem et unionem disponamur. Quia tamen non omnes eiusdem sunt rationis, ut dicitur in confirmatione, ideo necesse erit inquirere quid sit revelatio et visio, et quotuplex, qualisque, et qualiter vitandae; quod subiectae declarabunt quaestiones.

QUAESTIO XXIII

QUID ET QUOTUPLEX VISIO ET REVELATIO SUPERNATURALIS?

Licet in *Catena* mea *mystica Carmelitana*, prop. 33 et 34 (1), plura de visionibus et revelationibus disseruerim, nunc nonnulla iterum repetenda erunt ut melius percipiantur in sequentibus quaestionibus dicenda.

Visio et *revelatio* proprie dicta licet frequenter se invicem comitentur, non sunt tamen formaliter idem; nam *visio* solum importat apparitionem alicuius obiecti divinitus factam, ut Christi Domini, Sanctorum et ange-

(8) Sic in ed. latina 1639, pp. 98b-101a. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 22; ed. crít., t. I, pp. 225-232.

(9) Sic in ed. lat. 1639, pp. 102a-107b. — cap. 24 in ed. crít., t. I, pp. 235-244.

(10) Sic in ed. lat. 1639, pp. 116a-117a. — cap. 29 in ed. crít., t. I, pp. 261-263.

(1) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 33 y 34; pp. 286a-304b.

lorum, quamvis inde nulla notitia alicuius veritatis occultae nobis communicetur. *Revelatio* autem formaliter dicit manifestationem, notitiam et declarationem veritatis alicuius occultae sive praeteritae, sive praesentis, sive futurae.

Sub nomine *visionis* comprehendimus non solum apparitiones illas quae oculis corporeis aut spiritualibus obiiciuntur, verum etiam quae ministerio aliorum sensuum vel sine illo imaginationi aut intellectui proponuntur; tum quia generaliter omnes sensationes *visiones* solemus appellare, ut *Exod.*, cap. XX (2): *Populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinae;* tum quia a sensibus ad intellectum perveniunt, cuius omnes cognitiones visiones sunt mentales.

Dividitur autem *visio* in *corporalem*, *spiritualem* et *intellectualem* seu, quod idem est, in *externam*, *imaginariam* et *intellectualem*. *Corporalis* seu *externa* est quae sensibus externis percipitur; *imaginaria*, quae imaginatione et sensibus internis, et dicitur *spiritualis* respective ad externas; *intellectualis*, quae proprie spiritualis est, a solo intellectu percipitur.

Revelationes similiter homini fiunt vel mediantibus sensibus, vel imaginatione, vel immediate intellectui; unde similiter dividuntur in *corporales*, *imaginarias* et *intellectuales*. Ad revelationes pertinent *locutiones*, sive istae percipiantur per aures, sive per imaginationem, sive per intellectum. Quarum locutionum intellectualium aliae dicuntur *successivae*, quas anima peculiari luce et instinctu Spiritus Sancti intra seipsam format interrogando et respondendo; aliae dicuntur *formales*, quae formaliter imprimuntur animae et illa cognoscit non a seipsa, sed ab alio sibi loquente formatas esse; aliae dicuntur *substantiales*, quae licet etiam sint formales, non tamen omnes formales dicuntur substantiales, quia hoc quod dicunt operantur in anima.

Ad revelationem pertinet etiam *prophetia*, quae in illa fundatur; est enim prophetia una ex gratiis gratis datis, de qua late D. Thomas et eius expositores in II^a II^{ae}, quaest. 171 usque ad 175 et describitur ex eiusdem doctrina a NN. Salmanticensibus, I^a II^{ae}, in *Arbore virtutum*, num. 170 (3): *Supernaturalis cognitio, et intelligentia per divinam inspirationem, et revelationem habita de rebus distantibus, seu ignotis.* Excitatur enim mens prophetae per inspirationem Dei ad percipiendam veritatem, quae illi per revelationem manifestatur et simul illi manifestatur esse a Deo revelatam. Unde prophetia, ut se tenet ex parte Dei, dicitur *revelatio* et *locutio;* ex parte autem prophetae dicitur *visio* et *auditio*. Et potest fieri tribus modis supra dictis: vel mediantibus sensibus externis, vel mediantibus internis, vel immediate intellectu. Unde ex parte medii dividitur in *corporalem*, *imaginariam* et *intellectualem*. Ex parte vero luminis in *perfectam* et *imperfectam; perfecta* est quae absolute dicitur prophetia, qua non solum certo cognoscitur veritas revelata, sed Deum esse qui revelat; *imperfecta* autem dicitur *instinctus propheticus*, qua non certo cognoscitur an ex divino vel ex proprio spiritu fiat, et ideo potest esse falsa. Ex parte autem obiecti in *comminationis*, *praescientiae* et *praedestinationis*. Prima potest non succedere, quia concludit conditionalem: nisi impediatur a Deo; non enim fundatur in decreto absoluto, sed in decretis conditionalibus. Secunda est in qua revelantur quae quidem dependent ab arbitrio creato, sunt tamen certo praevisa in aeternitate ratione decreti praedefinientis. Tertia, in qua revelatur quod a Deo solo dependet, ab eo tamen viso in aeternitate et in decretis absolutis.

(2) v. 18.

(3) Ed. V. Palmé, t. VI, p. 508a

QUAESTIO XXIV

QUA CERTITUDINE TENENDUM SIT DARI REVELATIONES ET PROPHETIAS ET QUOMODO VERAE A FALSIS DISCERNANTUR?

Fuisse aliquando veras revelationes et prophetias maxime tempore legis scriptae, certum est de fide, immo in ipsis fides nostra fundatur. Dari etiam in tempore legis gratiae, licet non solum haeretici negaverint, sed aliqui etiam qui Christiano nomine consentur, inter quos refertur Lincolniensis propter illa verba *Matth.*, XI cap. (1): *Omnes Prophetae et lex usque ad Ioannem prophetaverunt.* Hoc tamen sine errore sustineri non potest: Constat enim *Apocalypsim* post Ioannem Baptistam fuisse Evangelistae revelatam; constat ex *Actibus Apostolorum*, cap. XI (2), prophetiam Agabi et ex cap. XXI (3) quatuor filias Philippi prophetasse. Item ex I *Corinth.*, XIV (4) et *ad Ephes.*, IV (5), multos fuisse prophetas in primitiva Ecclesia. Locus autem *Matthaei* non intelligitur de cessatione doni prophetiae, sed de complemento prophetiarum veterum Prophetarum; et quia illi obscure et per aenigmata praedixerunt quod Ioannes digito ostendit; item quia officio suo functi sunt, ut explicat Maldonatus (6); de quo videantur expositores *ibi*.

Dari etiam veras revelationes et prophetias post primitivam Ecclesiam, licet non sit ita certum, non potest tamen absque temeritatis et impietatis saltem nota negari. Id colligitur ex *Ioel*, II (7), ubi post promissionem Christi ait: *Et erit post haec: effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt.* Innuit Concilium Tridentinum, sess. VI, can. 16 (8), ubi anathematizat eos qui dixerint posse nos certo scire habituros donum perseverantiae sine particulari revelatione, etc.

Consonant Concilia et Pontifices qui sanctorum revelationes et prophetias probarunt, ut B. Birgittae in Concilio Basileensi, et de illis inquiritur ad beatificationes eorum. Nec sequitur solas approbatas esse veras, approbatio enim non tribuit veritatem prophetiae, sed declarat esse veram; si enim ante probationem essent falsae, nunquam Ecclesia illas pro veris approbaret. Constat etiam ex compluribus Patribus et doctoribus Ecclesiae, qui vel proprias vel alienas referunt et laudant, qui videri queunt in Petri Thyraei lib. I *De spirituum apparitionibus*, cap. 11 (9); Martino Delrio (10); quos referunt cum aliis Ludovicus Velluga in *Vitis duorum*, praelud., cap. I (11); Ioannes de Horozco; *De vera et falsa prophetia* lib. I, cap. 8 (12); Leandrus Granatensis, *Luz de Marav.*, disc. 1, §. 3 et 4 (13); et alii plures.

---

(1) v. 13; Hetzenauer, p. 963: *Omnes enim prophetae...*

(2) v. 28.

(3) v. 9.

(4) v. 1 sqq.

(5) v. 11.

(6) *Commentarii in quatuor evangelistas, Matth.*, c. XI, v. 13; Moguntiae, 1853, t. I, p. 162a.

(7) v. 28.

(8) LABBEUS-COSSARTIUS, *S. I., Sacrosancta Concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XX, col. 41. — DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion Symbolorum*, num. 826 (708), 10. ed., 1908, p. 279.

(9) *De apparitionibus spirituum tractatus duo*, lib. I, cap. 11; Coloniae Agrippinae, 1600, pp. 32-41.

(10) *Disquisitionum magicarum libri sex*, lib. IV, cap. 1; Coloniae Agrippinae, 1679, pp. 508b-558a.

(11) *Vitae duorum qui primas obtinent sedes in regno Dei, Christi scilicet, atque Deiparae; cum duobus praeludiis*, praelud. I, cap. 1; Conchae, 1631, fol. 1-4.

(12) HOROZCO Y COVARRUVIAS (IOANNES DE—), *Tratado de la verdadera y falsa prophecia*, lib. I, cap. 8; Segovia, 1588, fol. 22-24.

(13) LEANDRO DE GRANADA, *Luz de las maravillas que Dios ha obrado*, disc. I, §§. 3 y 4; Valladolid, 1607, fol. 11-19. — Hoc opus FRANCISCO A S. MARIA, Carmelitae Discalceato, 1567-1649 debetur; cf. quae circa hoc diximus in editione critica *Cursus theologiae mystico Scholasticae Iosephi a Spiritu Sancto*, t. I (Brugis, 1924), appendix, pp. 290-291.

Quomodo autem veras a falsis discernemus? Loquendo in primis de vidente seu recipiente revelationem et prophetiam, haec aliquando est cum tanta certitudine rei revelatae et Dei revelantis ut nullo modo possit de eo dubitari, ut teneatur quis illi assentire; quem assensum aliqui dicunt pertinere ad fidem theologicam, quae est idem habitus cum catholica seu universali et solum accidentaliter differt per hoc ab ista quod fides theologica pertineat aut non pertineat ad communem statum Ecclesiae, ut cum pluribus, quos citat, tenet Suarez, *De fide*, disp. 3, sect. 10 (14); vel ad alium habitum, qui potest dici fides particularis, ut tenet Araujo, *In II*^{am} *II*^{ae}, quaest. 1, art. 1, dub. 4 (15). Quando vero revelatio aut prophetia non proponitur cum tanta certitudine et evidentia in attestante, debent consuli docti et expertes, qui per regulas statim adducendas de illis possint aliquo modo iudicare.

Loquendo igitur de non recipientibus, sed ab aliis audientibus, id cum maxima cautela et prudentia debent examinare, ne dum facile credunt, recipiatur angelus satanae pro angelo lucis; ne dum temere contemnunt, mereantur reprehensionem illam D. Bernardi apud Trithemium in *Historia Hirsaugiensi* (16). Non miramur, frater charissime, si dormientes in peccatis divinas revelationes existimant somnia, scientes verum, quod Apostolus (17) dixit: *Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur, etc.* Debet igitur per regulas prudentes a sanctis Patribus et doctoribus traditas hoc mature discutere; de quibus videatur Gerson, *Tract. de probatione spirituum* (18); Turrecremata et Episcopus Genuensis in *Defensoriis revelationum S. Birgittae* (19); Ribera, lib. I *Vitae Sanctae Theresiae*, Matris nostrae (20); Martinus Delrio lib. IV *Disquisitionum magicarum*, cap. I, quaest. 3 (21); Bartholomaeus Medina, *In III*^{am} *partem D. Thomae*, quaest. 25. art. 3 (22); Velluga, *Vitis duorum*, praelud. I, cap. 15 (23); Horozco (24) et Granatensis (25) supra citati et alii mystici et spirituales communiter.

Pro revelationibus falsis a veris dignoscendis deservient hae regulae. *Prima*, si Sacrae Scripturae aut doctrinae Ecclesiae conformes non sint. *Secunda*, si mendacium aut falsitatem contineant. *Tertia*, si malum persuadeant. *Quarta*, si in superbiam et inobedientiam inclinent. *Quinta*, si de re vana et inutili sint. Quia tamen non sufficit non esse aperte malas ut mox pro veris et bonis habendae et appro-

---

(14) num. 3 et 4; *Opera omnia*, ed. Vivès, t. XII, pp. 90^{b}-91^{b}.

(15) *De fide, spe et charitate in secundam secundae Angelici Doctoris commentarius*, quaest. 1, art. 1, dub. 4; Salmanticae, 1635, pp. 51-56.

(16) TRITHEMIUS (IOANNES—), *Chronica insignis monasterii Hirsaugiensis Ordinis S. Benedicti*, anno MCXLIX; *Opera historica omnia*, Francofurti, 1601, t. II, p. 132. — In ed. 1684, p. 511^{b}, legitur: « *apud Trithen. in hist. Hisp.* ».

(17) I *Corinth.*, c. II, v. 14; Hetzenauer, p. 1112: *Animalis autem homo.*

(18) *Opera omnia*, Antverpiae, 1706, t. I, col. 37-43. — Cf. etiam *Tractatus de distinctione verarum visionum a falsis*, ed. cit., t. I, col. 43-59.

(19) TURRECREMATA (Ioannes de —, i. e. Torquemada), Cardin., *Revelationes S. Birgittae*, ubi inter librum VII et VIII, Coloniae Agrippinae, 1628, pp. 476^{a}-487^{b}, invenitur *Epistola pro defensione revelationum S. Birgittae* conscripta ab ALPHONSO DE VADATERA, Episcopo Genuensi (Jaén in Hispania), O. Erem. S. Aug. — Caput septimum, p. 486^{b}, *recapitulatio regularum* est.

(20) RIBERA (FRANCISCUS DE—), S. I., *Vida de Santa Teresa de Jesús*, lib. I, cap. 2; Madrid, 1863, pp. 29-39.

(21) Coloniae Agrippinae, 1679, pp. 525^{a}-558^{a}.

(22) *Scholastica commentaria in D. Thomae Aquinatis Doct. Angelici tertiae partis quinquaginta novem priores quaestiones*, quaest. 25, art. 3, expositio, §. *Secunda quaestio;* Coloniae Agrippinae, 1618, col. 613-624.

(23) VELLUGA (LUDOVICUS—), *Vitae duorum qui primas obtinent sedes in regno Dei, Christi scilicet, atque Deiparae, cum duobus praeludiis*, praelud. I, cap. 15; Conchae, 1631, fol. 40^{v}-48^{v}.

(24) HOROZCO Y COVARRUVIAS (IOANNES DE—) *Tratado de la verdadera y falsa prophecia*, lib. I, cap. 15 sq.; Segovia, 1588, fol. 40 sqq.

(25) LEANDRO DE GRANADA, *Luz de las maravillas que Dios ha obrado*, disc. I, §§. 8 y 9; Valladolid, 1607, fol. 44^{v}-58. — Auctor huius operis est FRANCISCUS A. S. MARIA, Carm. Disc.; cf. supra, p. 106, nota (13).

bandae sint, ideo etiam pro veris dignoscendis aliae sunt regulae observandae.

Prima, certitudo quaedam indubitata quam aliquando relinquunt, licet ex defectu illius mox condemnandae non erunt, cum multoties sub dubio communicentur quae alioqui verae sunt. *Secunda*, si sint de rebus quas solus Deus potest cognoscere, ut futura contingentia et cogitationes cordium, saltem postquam eventus illorum et istarum clara notitia dictum probet. *Tertia*, si ad humilitatem, observantiam legum, amorem Dei et Christi imitationem inducant. *Quarta*, si quamvis in principio anima perturbetur et horrescat, postea tamen, hac anxietate sublata, dulcedine quadam interna perfundatur et sub quiete maxima remaneat. *Quinta*, ex bonis fructibus et effectibus earum (26) etiam ex parte personae recipientis plura consideranda sunt: vita vitiosa aut virtuosa, inclinatio aut repugnantia ad visiones aut revelationes. Item qualitas ingenii, indolis et complexionis; multum enim obest opinioni veritatis vel nimis tardum vel nimis acutum ingenium, item curiosum, inquietum et imaginativum, complexio item melancholica ac denique natura ieiuniis et paenitentiis attrita atque debilitata. Legendus de his Ven. P. Michael de Fonte, cap. 19 libri II operis supra laudati (27).

QUAESTIO XXV

QUOMODO FIANT VISIONES CORPORALES ET EXTERNAE ET QUALITER REMOVENDAE SINT?

De istis visionibus et revelationibus plures habemus in Scriptura Sacra, ubi Deus vel per se, vel per angelos hominibus in specie et forma visibili apparere voluit et loqui. Harum igitur si sumantur formaliter pro actu visionis seu sensationis, ipsamet visio est causa formalis; potentia causa receptiva seu materialis; et ipsa cum specie causa efficiens; finis autem cuiusque videntis liberi, si voluntarie videat, erit quem sibi quisque proposuerit; et idem proportionaliter dicendum est de visione imaginaria sumpta por actu imaginationis et de intellectuali pro actu intellectus.

Loquendo vero de visionibus obiective sumptis seu pro re quae obiicitur potentiae, tunc visionum corporalium sensibilium causa formalis erit forma illa seu qualitas sensibilis quae alicui ex quinque sensibus obiicitur, ut figura, lux, color, sonus, odor, sapor, calor, frigus, etc. Ubi per sonos intelligimus voces non articulatas ut a locutionibus distinguuntur; quamvis enim locutiones externae quae per aures percipiuntur, ad istas visiones et revelationes externas pertineant, de illis tamen est specialis difficultas suo loco tractanda. Similiter cum de obiectis tangibilibus loquimur, ut sunt frigus, calor, durum aut molle et quidquid aliud tactum immutat, non est nobis sermo de contactibus illis divinis de quibus egimus quaest. 17, dub. 6, qui ad unionem pertinent et sunt purae spirituales solumque metaphorice tactus dicuntur.

Causa materialis harum apparitionum est corpus illud cui insunt praedictae formae et qualitates; quod aliquando est corpus vivum et naturale alicuius Sancti apparentis, quomodo S. Elias Pater noster apparuit in Thabor et Christus Dominus Saulo. Aliquando est corpus verum, licet non vivum, nec naturale, sed divinitus vel

(26) « *sunt* » in ed. 1684, p. 512a.

(27) FUENTE (MICHAEL DE LA—), Carm., *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual* lib. II, cap. 19; Barcelona, 1887, pp. 364-377.

ministerio angelorum formatum ex aëre vel ex alia materia quae taliter disposita et condensata figuram illam exprimit et species immittit, quod quidem corpus non proprie et absolute appellatur phantasticum (corpus enim phantasmaticum proprie dictum non est corpus, sed apparentia corporis), taliter tamen solet appellari respectu corporis naturalis; movetur enim ita ab angelo ut videatur moveri ab intrinseco, et ita in illo voces efformantur ac si loqueretur naturaliter; unde cum appareat vivum, phantasticum in hoc sensu potest dici. Aliquando etiam sine corpore aliquo potest Deus producere speciem figurae aut coloris in oculis, vocis in auribus, etc., vel aliunde allatas sensibus immittere; et tunc solus ille qui recipit speciem, visionem videbit; cum plures illam videre possint, quando corpus formatur.

Causa efficiens visionum obiectivarum, quando fiunt per species de novo productas in sensibus, solus est ipse Deus; nec enim angelus ut causa principalis potest immediate producere species etiam sensibiles, nisi mediante obiecto; attrahere autem illas alibi productas in aëre facilius potest angelo concedi, quia licet dependeant ab obiecto in esse et conservari, aliunde potest suppleri haec dependentia postquam iam sunt productae. Quando vero fiunt visiones per corpora ex aëre formata, licet Deus possit corpora illa immediate efformare, congruentius tamen est ut per angelos fiat, nec hoc excedit facultatem eorum.

Utrum vero Deus assumat praedicta corpora per seipsum, quando sub aliqua figura, v. g., hominis, columbae vel ignis, illis vult apparere, certum est posse fieri et multi dicunt sic contigisse quoties in veteri testamento sic apparebat; sic videtur docuisse Tertullianus, *Lib. contra Iudaeos* (1); Origenes, *hom.* 1 *in cap. VI Isaiae* (2); Eusebius, lib. 1, cap. 2 (3) et alii. Communior tamen sententia docet hoc Deum semper vel saltem saepius per angelos fecisse, qui in nomine eius apparebant et loquebantur. Haec autem unio nec est hypostatica ad constituendum unum suppositum, nec per modum formae et materiae ad constituendam unam naturam, sed est unio motoris ad mobile, non qualecumque mobile, sed quod aliquo modo repraesentet motorem et etiam Deum vel alium angelum aut Sanctum, quos in illa figura veneramur, sicut in figura lignea vel lapidea solemus Sanctos colere illosque per metonymiam sine mendacio Sanctos quos repraesentant appellamus. De quo D. Thomas, I[a] part., quaest. 51, art. 2.

An vero animae separatae quae in caelo, vel purgatorio, vel in inferno sunt, similes apparitiones per seipsas possint efficere, mihi videtur non repugnare illis, nisi forte ratione status; cum illis enim quae sunt in carcere illo poenarum aeterno rarissime dispensatur ut appareant hominibus, rarius etiam quae in purgatorio quam quae in gloria mortalibus apparent. Absolute tamen loquendo ex eo quod sint separatae non videntur carere potentia sufficiente ad illa corpora confingenda, licet non ita expedite sicut angelus, qui est substantia completa; habemus enim ex Scriptura Sacra, I *Reg.*, XXVIII (4), animam Samuelis corporaliter apparuisse Sauli et *Matth.*, XVII (5), animam Moysis in Thabore. Communiter tamen apparitiones animarum sensibiles per angelos sive bonos sive malos fieri credendum est.

Causa denique finalis harum apparitionum multiplex assignatur ab auctoribus. *Prima*, ut homo recipiens

(1) *Liber adversus Iudaeos*, Migne, P. L., t. 2, Parisiis, 1844, col. 595-642; in editione vero anni 1878, col. 633-682.

(2) Migne, P. G., t. 13, col. 223.

(3) Eusebius Caesariensis, *Historia ecclesiastica*, lib. I, cap. 2; Migne, P. G., t. 20, col. 61-68.

(4) v. 12 sqq.

(5) v. 3.

connaturali sibi modo proficiat et excitetur ad virtutem. *Secunda*, ut sic caelestes cives naturam humanam nobilitent, dum eam induunt et cum hominibus veluti homines conversantur. *Tertia*, in pignus conversationis aeternae quam homines cum angelis aliquando habebunt. *Quarta*, ut Deus ostendat quam cara sit illa nostra salus, cuius causa sic caelestes spiritus demittit. *Quinta*, ut homo et angelorum et Sanctorum amorem sub istis signis experiatur. *Sexta*, ut seipsum humiliet coram Deo, qui tantis exigit favoribus ut in bono proficiat. *Septima* denique, ad communem vel privatam eius et aliorum utilitatem, aliquam indicando monitionem vel comminationem, etc. De quo potest videri D. Thomas, 6 *De potentia*, art. 7 (6).

Iam ergo ad secundam partem quaestionis dicendum est omnes istas apparitiones sensibiles, quocumque modo fiant, repudiandas esse; ita ut voluntas nullo modo illis afficiatur, nec eas habere exoptet, nec intellectus aut memoria in illis voluntarie detineatur aut occupetur, nec etiam sensus, si possibile fuerit, eas hauriat. Tum propter periculum deceptionis; sicut enim possunt esse a Deo, sic etiam possunt esse a daemone, qui plures his fallaciis in errores induxit; tum quia, licet sint bonae, aliquid sunt tamen creatum, in quo voluntas non debet delectari, quae Deum solum debet amare et eius unionem intendere, cuius sunt media improportionata omnia sensibilia; tum etiam et magis ad intentum Dionysii, quia ad contemplationem mysticam nullis debet uti figuris aut imaginibus, sed in omnium remotione sub caligine illa contemplari. Videantur quae docet N. B. P. Ioannes a Cruce in *Ascensu montis Carmeli*, lib. II, cap. 11 (7), ubi sex inconvenientia et incommoda adducit, quae ex affectu ad revelationes et visiones istas resultant. Primum, derogatio fidei. Secundum, detentio spiritus. Tertium, proprietas spiritualis. Quartum, impedimentum utilitatis ipsius visionis. Quintum, iactura divinarum gratiarum et favorum. Sextum, fallaciis daemonum ingressum aperire.

Contra primam partem resolutionis obiicies *primo*: Si unio motoris ad mobile sufficit ad hoc ut angelus dicatur assumere corpus, sequetur quod angelus motor caeli dicatur assumens corpus caeleste, et quod angelus qui movebat linguam asinae Balaam, aut qui per serpentem affatus est Evam, aut qui per linguas arreptitiorum voces formant, ea corpora assumpsisse, quod communiter negatur. Hoc argumentum solutum manet ex his quae diximus non sufficere unionem motoris ad mobile utcumque, sed ad mobile aliquo modo repraesentans proprietates motoris.

Quod D. Thomas in II *Sent.*, dist. 8, quaest. I, art. 3 (8), sic explicat: *Corpus assumptum ab Angelo non habet veritatem illius naturae, quae ostenditur. Unde etsi aliquando Angelus bonus, vel malus moveat corpus alicuius veri animalis, non dicitur proprie illud assumere; sicut non dicitur Angelus assumpsisse linguam asinae, per quam loquutus est ad Balaam, nec daemon corpus hominis, quem vexat; cuius ratio est: quia proprietates quae secundum veritatem sunt in aliquo corpore, ducunt in cognitionem principiorum subiecti, et non actu in cognitionem substantiae spiritualis: quae ductio est totus* (9) *finis visibilium formationum secundum Dionysium.* Haec D. Thomas.

Obiicies *secundo*: Si corpus assumptum repraesentat proprietates motoris, sequetur quod vel motor non sit angelus, vel quod Deus nunquam

(6) Ed. Vivès, t. XIII, pp. 201b-205a.

(7) Sic in ed. latina Coloniae Agrippinae 1639, pp. 52b-53a. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 10; ed. crít., pp. 140-142.

(8) Ed. Vivès, t. VIII, p. 109a.

(9) « *Totius* » in ed. 1684, p. 513a.

apparuit, nec possit apparere in praedictis corporibus. Sed hoc est contra ea quae supra dicta sunt. Ergo non est necesse quod illas repraesentet. — Respondetur negando maiorem; quia corpus assumptum repraesentat proxime et immediate proprietates angeli motoris, remote vero et ultimate repraesentat etiam proprietates seu virtutes intelligibiles Dei vel angeli superioris, cuius vices gerit; quod NN. Salmanticenses (10) et alii auctores ad praedictam quaestionem D. Thomae explicant exemplo senatus regii, qui nomine regis aliquid disponit; talis enim dispositio proxime et in actu exercito senatum repraesentat, remote vero regem, cuius nomine fit.

Obiicies *tertio*: Visiones et apparitiones supernaturales solent fieri in raptu et aliquando etiam per somnium. Sed in raptu non possunt sensus externi percipere obiectum apparens. Ergo non datur visio respectu sensuum externorum. — Respondetur distinguendo maiorem: visiones imaginariae aut intellectuales, concedo; corporales et externae, nego. Visiones enim intellectus solent fieri cum raptu omnium sensuum exteriorum et interiorum et aliquando in somnis, ne per obiecta sensibilia perturbetur attentio intellectus; visiones etiam imaginariae solent fieri cum raptu et suspensione sensuum externorum, ne confundantur cum aliis obiectis; et si in somnis fiant, excitatur imaginatio, remanentibus externis sensibus sopitis. At vero visiones corporales et externae nec fiunt in raptu, nec in somniis; quia ut percipiantur, debent sensus externi esse soluti, imaginatio excitata et libera, et intellectus, ad quem tendunt, attentus.

Contra secundam partem obiicies: Imagines Christi et beatorum non impediunt unionem et contemplationem, nec sunt repellendae, sed venerandae. Sed visiones externae Christi et beatorum non differunt quoad hoc ab aliis imaginibus. Ergo etiam non sunt reiiciendae, sed venerandae et retinendae. Maior videtur esse sententia Sanctorum et Conciliorum, ut habetur in decretis sextae Synodi generalis, can. 83 Nicaeni I, act. 3 (11); et denique Trident., sess. 25 (12); quae citantur et admittuntur a doctoribus communiter cum D. Thoma III[a] part., quaest. 25. Minor probatur: quia ad venerationem imaginibus debitam non refert sanctitas aut malitia pictoris. Ergo, quamvis timeatur visiones esse a daemone factas, si in illis repraesentetur imago Christi aut Sanctorum, non ideo debemus illas fugere aut reiicere.

Respondetur distinguendo maiorem: non impediunt unionem et contemplationem ,si debito cultu et ut par est venerentur, concedo; si indebite et superstitiose vel imperfecte, nego. Tunc enim indebite coluntur, quando affectus magis est ad ornatum quam ad imaginem, vel magis est ad imaginem taliter aut taliter depictam quam ad prototypum illarum. Quod expresse habetur in Concilio Tridentino, loco citato (13), his verbis: *Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum in templis praesertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sunt colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figen-*

---

(10) Tract. VII *De Angelis*, Notationes circa I, quaest. 51, art. 2, num. 6; t. IV, pp. 77[b]-78[a].

(11) Sic in ed. 1684, p. 513[b]. — Requiritur: *Concilium Nicaenum* II, actio VII et VIII; LABBEUS-COSSARTIUS, *S. I., Sacrosancta concilia*, ed. Coleti, 1728-1733, t. VIII, col. 1193-1300. — DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum*, num. 302-304; 306-308; ed. 10, 1908, pp. 137-141.

(12) Cf. *Sacrosancta concilia*, ed. Coleti, t. XX, col. 170 sqq. — Denz.-Bannw., *Enchyridion Symb.*, num. 984-988; ed. 10, 1908, pp. 322-324.

(13) *Sacrosancta concilia*, ed. Coleti, t. XX, col. 171. — Denz.-Bannw., *l. c.* num. 986, p. 323.

da, veluti olim fiebat a Gentilibus, qui in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant, et per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur, etc.

Sicut igitur imagines sanctae devotionem excitant et ut par est veneratae ad contemplationem et unionem disponunt, ita cultus indebitus vel affectus ad ornatum et figuram taliter depictam nimiaque imaginum copia, magis ad ostensionem et curiositatem quam ad devotionem aggregata, plurimum obest verae devotioni, paupertati spiritus, libertati affectus et unioni cum Deo; de quo agit N. B. Pater, lib. III *Ascensus montis Carmeli*, cap. 14, et cap. 34, et 35 (14).

Ad minorem respondetur: repraesentationes visibiles Christi et Sanctorum non differre quidem in hoc ab aliis imaginibus, excepto periculo deceptionis; quippe sicut daemonis interventu possunt aliquid falsum revelare aut consulere noxium, possunt etiam animum allicere ad similes appetendas apparitiones et alia vana et periculosa ingerere. Qui autem eas non appetit, nec admittit, sed fugit ac metuit, et simpliciter ob gloriam Dei et propriam perfectionem orationi vacare cupit, tria illa facienda sunt (ut docet Alvarez de Paz, lib. V, part. III, cap. 10 (15): *Primo, Christum sibi apparentem vel Sanctum reverenter et devote suscipiat et congrua adoratione vel cultu se illi submittat. Nam quamvis ille esset diabolus, nullum est in hac adoratione periculum, ex quo ipse non diabolum adorat, nec veneratur, sed Christi aut Sanctorum imaginem sibi ostensam; quae adoratio non in idolum fertur, sed in Christum repraesentatum terminatur. Secundo,* magistrum spiritualem consulat. *Tertio,* vitam caelestem agat, utpote ad caelestem conversationem admittendus, etc.

Denique, quod magis concernit doctrinam S. Dionysii, visiones quae Deitatem sub aliqua forma corporea repraesentant, ideo removendae sunt, quia scimus Deum nec corpus, nec figuram habere, aliudque esse diversum ab omnibus quae possunt videri et cognosci in hac vita; illasque imagines in quibus ipse apparet, esse tantum indicia eum ibi particulariter inesse tanquam in vestigiis pedum suorum, cum in caligine et sub nulla forma debeat contemplari. Visiones corporeas et externas egregie more suo exponit N. Michael de Fonte, lib. I operis supra laudati, cap. 11 et 12 (16).

QUAESTIO XXVI

QUALITER FIANT VISIONES IMAGINARIAE QUAE DICUNTUR SPIRITUALES, ET AN SIMILITER REMOVENDAE SINT?

Revelationes et visiones istas saepe contigisse constat ex Scripturis, ubi Deus vel angelus saepe in somniis apparuit, ut regi Gerarae, *Genes.*, XX (1), Iacob, *Gen.*, XLVI (2). Similiter Abrahae, Salomoni et aliis et in novo testamento D. Iosepho, Magis, etc.; et de illis agit D. Thomas pluribus locis, qui II^{a} II^{ae}, quaest. 174, art. 1, ad 3, docet maiores vires imaginativae

(14) Ed. latina 1639, pp. 139^{a}-140^{b}; 173^{a}-177^{a}. — Ed. crít., t. I, pp. 308-310; 372-378.

(15) *De inquisitione pacis sive studio orationis libri quinque*, lib. V, part. III, cap. 10, §. *Sed qui;* ed. Vivès, 1875-1876, t. VI, pp. 592^{a}-593^{b}: *Tria illi facienda sunt. Primo Christum sibi apparentem, vel virginem Mariam, vel aliquem ex Sanctis, aut Angelis reverenter et devote..... non in diabolum fertur, sed in.....*

(16) FUENTE (MICHAEL DE LA—), O. Carm., *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. I, cap. 11 y 12; Barcelona, 1887, pp. 119-142.

(1) v. 3-7.

(2) v. 2-4.

praestandas esse in vigilia quam in somno ut revelationibus intensa sit, propter exteriorum impedimenta separanda. Et ideo quae in vigilia fiunt, ut plurimum solent esse cum raptu et suspensione sensuum externorum, ut supra diximus. Et quae ita fiunt vel in somnis, facile intelligitur esse imaginarias et non externas; item si clausis oculis eas nihilominus videamus.

Ea est ergo visio imaginaria quae immediate ab imaginatione, sine sensuum externorum cooperatione percipitur, indeque ad intellectum derivatur; interdum autem fit per modum visionis circa colores, luces et figuras; intendum per modum auditionis circa sonos et voces; interdum etiam ad modum aliarum sensationum olfactus, gustus et tactus. Unicus enim sensus internus omnia percipit quae per plures externos percipienda essent. Harum quaedam (2bis) tam sunt imperfectae rem repraesentantes cuius statim quis obliviscitur, sicut accidit Nabuchodonosori *Dan.*, II (3). Aliae sunt perfectae, quae quidem remanent in memoria, sed significatio earum occulitur, ut Pharaoni, *Gen.*, XLI (4). Aliae perfectiores, quae remanent in memoria et significatio earum datur intelligi, saltem postea. Ex illis etiam aliquae ita apparent in imaginatione, ut putet homo se oculis eas videre, ut Petrus putavit, *Act.*, XII (5). Aliae autem intelliguntur in sola imaginatione fieri. Causae harum visionum formaliter sumptarum pro ipsis actibus imaginationis cognoscentis constat ex supra dictis de sensibilibus.

Loquendo vero de visionibus obiectivis imaginariis cum ad illas non requiratur praesentia obiecti immittentis species, sed solae species quae conservantur in memoria vel de novo infunduntur, causa formalis est ipsa res seu imago repraesentata; causa materialis est entitas speciei, in qua repraesentatur; efficiens specierum, si de novo infundantur, solus Deus; si fiat ex praehabitis in memoria per excitationem vel peculiarem coordinationem illarum, causa excitans et coordinans est angelus bonus ut minister Dei, vel angelus malus ut decipiat, vel etiam ex aliquo humore aut causa naturali taliter possunt excitari, ut homo sibi persuadeat supernaturales visiones esse, cum non sint; ut enim, dicit D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 173 (6), art. 2, sicut ex paucis litteris alphabeti plures dictiones et paginas componimus, ita ex speciebus praehabitis in memoria potest Deus, vel angelus, vel homo ipse aliquas componere ut plura alia obiecta repraesentent, ut ex speciebus auri et montis montem aureum, etc.

Causa finalis ex dictis de visionibus externis potest colligi; Deus enim animam ad sui unionem exaltare volens iuxta modum ipsius, non statim de uno extremo ad aliud transfert, sed prius sensus externos perficiendo supernaturaliter per sensibiles apparitiones, deinde internos, postea intellectum; ita ut visiones externae sint magis propriae incipientium, imaginariae proficentium, intellectuales perfectorum, quamvis multoties indiscriminatim in quolibet statu aliquae utriusque generis revelationes communicari soleant. Ut tamen docet M. N. S. Theresia, cap. 28 *Vitae* suae (7) et cap. 9 *Mansionis* VI (8), visio imaginaria, quando vera est, magis prodest quam ordinaria intellectualis (excepta illa sublimi intellectuali quam in statu intimae unionis anima experitur); ratio, inquit (9), est, quia visio imaginaria conformior est naturae humanae, nam cum eius species imagina-

(2bis) In ed. 1684 legitur: « *quae* » pro « *quaedam* ».
(3) v. 1.
(4) v. 1-7.
(5) v 7-11.
(6) In ed. 1684 erronee legitur: « *quest.* 137 ».
(7) Ed. crít., t. I, pp. 217-226.
(8) Ed. crít., t. IV, pp. 161-168.
(9) *Moradas* VI, cap. 9; ed. crít., t. IV, p. 161.

tioni remaneat impressa, diu (9bis) durat et eius memoria facilius recurrit ut anima bene et utiliter saepius in ea occupetur. Si autem talis visio fuerit Christi Domini, comitari solet illam intellectualis, ita ut per imaginariam repraesentetur humanitas sacratissima et per intellectualem Divinitas cognoscatur saltem confuse. Exemplum etiam notabile visionis imaginariae reperietur loco citato sanctissimae Matris nostrae cap. 28 *Vitae* suae (10). Legendi de visionibus imaginariis nostri mox laudatus P. Michael, cap. 13 libri et operis citati (11) et Ven. P. Hieronymus Gratianus, II part. *Dilucidarii spiritus* et cap. 12 et 14 (12).

Quoad secundam partem quaestionis dicendum est sicut in quaestione praecedenti, omnes etiam visiones imaginarias removendas et vitandas esse quantum fieri potest, propter rationes ibi allatas; potest enim daemon illas iniicere, cum sit facile illi species imaginationis commovere et disponere;possunt etiam naturaliter contingere ex aliquo humore praedominante vel ipsius imaginationis vivacitate et ingenio. Et licet dentur regulae ad eas discernendas, hae non sunt infallibiles; dato etiam quod certo verae sint, non conducunt, immo impediunt contemplationem mysticam, saltem illae quae Deum ipsum sub aliqua forma repraesentant. De quo videantur quae docet N. B. P. Ioannes a Cruce in *Ascensu montis Carmeli*, lib. II, cap. 16 (13).

Regulae autem ad discernendas visiones falsas daemonis a divinis et veris desumi possunt ex generalibus, quas adduximus quaest. 24. Ut autem discernantur imaginariae verae ab illis quas naturaliter ipsa hominis imaginatio confingit, *prima* sit: quod licet visio imaginaria diu duret in memoria, ut supra diximus, propter speciem relictam ex eadem visione, non est cum ea claritate et perfectione sicut in principio, quando vel de novo infunduntur species, vel ordinantur praehabitae, et multo minus si tunc etiam infundatur aliquid lumen proportionatum, vel perficiatur, vel roboretur naturale; si autem diu duret cum ea claritate et perfectione quam habuit in principio, signum est (ut inquit N. S. Mater) (14) non esse veram visionem imaginariam, sed vehementem aliquam considerationem in imaginatione fabricatam.

Secunda est: quia in claritate et perfectione tantum differt repraesentatio naturalis imaginationis a repraesentatione supernaturali, sicut radii solis ab imperito pictore delineati ab illis qui in speculo pellucido ad ipsius solis praesentiam reverberantur. *Tertia*, quia ex naturali repraesentatione nihilum remanet spiritualis fructus multoque frigidior anima quam si imaginem illam in tabula depictam vidisset. *Quarta*, quia naturalis repraesentatio solet remanere ex anteacta consideratione vehementi, supernaturalis vero saepe subito accidit et tanquam fulgur brevissime transit. *Quinta*, visio supernaturalis in principio terrorem solet causare, sicut quando inopinate leonem vivum aspicimus, licet post turbationem in suavissima pace animam relinquat; quod e contrario accidit in ea quae est a daemone, quae cum in principio demulceat, postea in inquietudinem desinit; naturalis vero

---

(9bis) In ed. 1684 legitur: « *dici* » pro « *diu* ».

(10) §. *Un dia de san Pablo;* ed. crít., t. I, p. 218.

(11) FUENTE (MICHAEL DE LA—), *Libro de las tres vida del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. I, cap. 13; Barcelona, 1887, pp. 143-152.

(12) Melius foret: *Dilucidario del verdadero espiritu*, parte II, cap. 11, 12 y 13; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 74r, a— 76v.

(13) Sic. in ed. latina 1639, pp. 66b-71a. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 14; ed. crít., t. I, pp. 166-173. — In ed. 1684, p. 515a erronee legitur « *cap.* 6 ».

(14) *Moradas* VI, cap. 9; ed. crít., t. IV, p. 163: *Cuando pudiere el alma estar con mucho espacio mirando este Señor, yo no creo que será visión, sino alguna vehemente consideración, fabricada en la imaginación alguna figura.*

nec in principio incutit timorem, sicut leo depictus, nec illam inquietudinem daemonis, sed frigiditatem.

Contra primam partem resolutionis obiicies *primo*: In somnio non solum impediuntur sensus externi, verum etiam interni, nec interni sine externis aut e converso expediuntur. Ergo nunquam visio imaginaria potest dari in somniis. Probatur consequentia: quia impeditis sensibus internis, non possunt advertere ad visionem et ad minus non posset homo postea vigilans eam discernere a somnio. — Respondetur distinguendo partem antecedentis: interni sine externis non expediuntur naturaliter, transeat; supernaturaliter vel praeternaturaliter et ministerio angelorum, nego. Impediuntur enim sensus externi ab humoribus crassioribus ex stomacho ascendentibus, qui obturavere vias spirituum animalium, sine quibus sensus externi non possunt suas elicere sensationes. Sensus vero interni non ita impediuntur, sed per vapores praedictos perturbantur, ut non possint ordinate sentire. Angelus autem potest expedire a vaporibus et a perturbatione illorum sensus internos remanentibus externis impeditis per obturationem viarum spirituum, tunc autem dormiens homo quoad sensus externos vigilat per internos et potest optime advertere ad visionem, immo expeditius advertit sopitis sensibus externis quam si ipsi vigilantes aliis obiectis sensibilibus perturbarent internos. Distinguere autem visionem a somnio potest homo ex regulis supra scriptis: nempe ex maiori claritate et perfectione visionis, ex effectibus eius, etc.

Obiicies *secundo*: Observationes somniorum sunt vanae et superstitiosae, ut dicitur *Eccli.*, XXXIV cap., v. 7 (15): *Multos errare fecerunt somnia;* et *Levit.*, XIX cap. (16): *Non augurabimini, neque observabitis somnia;* et ideo inter artes superstitiosas connumeratur *Onirocratia* ab auctoribus. Sed observare revelationes in somnio factas est quaedam observatio somniorum et non potest fieri sine aliqua deceptione vel periculo eius. Ergo vel non dantur tales revelationes in somnio, vel de illis nihil curandum est.

Respondetur distinguendo maiorem iuxta D. Thomam, II^a II^{ae}, quaest. 95, art. 6: quando observatio est de somniis a daemone immissis vel etiam naturalibus extra id ad quod natura se potest extendere, concedo; quando est de somniis in quibus divinitus aliqua revelantur vel quae ex causis naturalibus aliquid naturale innuunt, nego. Ut enim D. Thomas citato docet loco, causa intrinseca somniorum vel est animalis, quando ex affectu et nimia cogitatione vigilantis resultat somniatio; vel est corporalis, quando scilicet imaginatio immutatur ab aëre continenti, ut ab impressione caelesti; vel est spiritualis, quando a Deo ministerio angelorum aut a daemone aliqua revelantur. Observare igitur somnia ex causis naturalibus ad aliquid etiam naturale coniecturandum licitum est, ut cum ex somniis ignium et bellorum infertur praedominatio humoris cholerici, et rerum tristium praedominatio melancholici, etc. (de quibus videatur Suarez lib. II *De superstitione*, cap. 13) (17); et a fortiori quando in illis aliquid divinitus revelatur, etiamsi sit futurum aliquid contingens, ut accidit Prophetis; quando vero ex naturalibus coniecturamus futura contingentia ad quae se causae naturales non possunt extendere, erit illicitum; et multo magis, quando ex somniis a daemone immissis per factum explicitum vel implicitum divinare praesumimus. Ex quibus patet ad loca Scripturarum, quae de divinatione vana ad quam se natura non potest extendere, loquuntur.

(15) Hetzenauer, p. 652: *Multos enim errare...*
(16) v. 26.

(17) Tom. I *De religione*, tract. III, lib. II, cap. 13, num. 6; ed. Vivès, t. XIII, p. 549.

Ad minorem dicendum in revelatione divina nunquam dari deceptionem, potest autem dari periculum in distinguendo revelationes veras a falsis; et ideo monuimus fugiendas et removendas esse quantum in nobis est. Coniecturari autem potest esse veras et divinitus factas ex regulis supra positis quaest. 24 et quaest 25; nimirum vel ex fine ad quem movent, vel ex affectibus et effectibus quos relinquunt; bonae enim solent animum illustrare, consolari, devotione replere, etc. Si autem ex ignorantia vel simplicitate aliquis credit somnia, vel non integre credit, vel sine sufficienti fundamento a Deo esse praesumit, et ideo credit, veniale peccatum non excederet; de quo tamen theologi.

Obiicies *tertio*: Revelationes et visiones divinae solent fieri cum utilitate spirituali recipientis. Sed revelationes quae in somnio vel in raptu fiunt, inutiliter et immeritorie fiunt. Ergo non sunt a Deo quae vel in somnio, vel in raptu succedunt. Maior patet ex fine revelationum, quem supra assignavimus. Minor probatur: quia nec in somnio, nec in raptu datur libertas ad meritum sufficiens; ergo tales revelationes non possunt esse utiles et meritoriae.

Respondetur negando minorem; ad probationem transeat antecedens et nego consequentiam; quia licet in somnio vel in raptu dum homo sic permanet absorptus, non detur libertas requisita ad meritum, *transacto tamen raptu* (ut inquit N. Thomas a Iesu, *De comtemplatione*, lib. VI, cap. 5 (18)) *ex illustratione et visitatione divina, quam mens ibi plene degustavit, manet promptior et habilior, et ad divina plenius capienda, et ad amplissima merita in virtutum actibus aliisque spiritualibus functionibus comparanda.* Item in ipsō raptu adhuc potest plenissimum meritum reperiri virtute praecedentis contemplationis seu actuum fidei, spei et amoris, qui in illa exercentur antequam mens ad divina rapiatur; sicut licet in actu vitiosae delectationis, quando nimia et vehementissima est, non possit formaliter inveniri peccatum defectu libertatis, tamen virtute praecedentis voluntatis illam inordinatam delectationem amplectentis eo maior invenitur culpa, quo vehementior fuerit delectatio. Haec fere praedictus auctor. Dixi in responsione ad probationem minoris transeat antecedens, quia resolutio an in raptu et somnio extatico inveniatur meritum, pendet ab hac difficili quaestione, quam proinde hic inserere tenemur.

QUAESTIO XXVII

UTRUM IN SOMNO AUT RAPTU, IN QUO VISIONES IMAGINARIAE ET INTELLECTUALES SOLENT FIERI, INVENIATUR LIBERTAS AD MERITUM SUFFICIENS?

Quomodo fiant extases ac raptus et in quo differant, opportunius forte dicemus ad caput 4 *De Divinis Nominibus* iuxta ea quae docet D. Thomas, IIª IIªᵉ, quaest. 175, art. 1 et 2; et Iª IIªᵉ, quaest. 28, art. 3. Nunc sufficit dicere potentiam appetitivam, licet extasim patiatur, quatenus exit a se ut in alterum feratur, non tamen proprie rapi, quia raptus violentiam importat, appetitus autem naturalem inclinationem habet ad suum obiectum, quod si vehementer in illud feratur, esset causa raptus aliarum potentiarum. Cc

(18) *De contemplatione divina*, lib. VI, cap. 5, §. *Deinde; Opera omnia*, Coloniae Agrippinae, 1684, t. II, p. 194ª: *Tamen transacto raptu, ex illustratione et visitatione divina,...*

gnoscitiva vero potentia dicitur rapi, cum non ex propria intentione (ut in somno) abstrahitur a sensibilium apprehensione, quae est sibi connaturalis. Datur igitur raptus a sensibus externis ad visionem imaginariam, quando vis animae adeo vehementer attendit ad obiectum per imaginationem, ut destituat illos. Datur etiam a sensibus externis et internis ad visionem intellectualem propter eandem rationem attentae contemplationis et affectus voluntatis vehementis; itaque subiectum raptus est anima rationalis ratione intellectus possibilis, ut docet Mocenicus citatus a Delrio, *Disquisitionum magicarum*, lib. II, quaest. 25 (1).

Quibus suppositis, prima sententia asserit in raptu qui cum alienatione a sensibus contingit, quamvis intellectus cognoscit altius, ut penetret res quas contemplatur, non inveniri libertatem, nec perfectum iudicium, ac per consequens nec meritum; ita ex nostris tenet ut probabiliorem P. Thomas a Iesu supra citatus in lib. VI *De contemplatione*, cap. 5 (2) in cuius probationem adducit Augustinum, Hieronymum, Bernardum, Bonaventuram, Richardum, Cartusianum, D. Thomam et alios. Similiter de somno extatico, a quoad raptum facit argumentum et videtur esse Caietani, I^{a} parte, quaest. 12, art. 11 et II^{a} II^{ae}, quaest. 173, art. 3. Excipit tamen cap. 6 (3) casum, quem dicit rarum et privilegiatum, *quando divina revelatione accedente illustrantur mentes prophetarum, ut cognoscant imagines in raptu sibi obiectas non esse ipsas res, sed similitudines earum*, tunc dicitur dari libertatem perfectam perfectumque iudicium, atque meritum, quia cessat deceptio intellectus.

Probatur *primo* ex Augustino, *super Genes. ad lit.*, lib. XII, cap. 14 (4), ubi ait quod in dormientibus meritum reperiatur propter bonam affectionem praecedentem. Et ex Hieronymo, tom. VI, in prologo *ad Habacuc* (5), ubi ait: *Qui in ecstasi, id est invitus loquitur, nec tacere vel loqui in sua potestate habet.* D. Bernardus, *serm. 2 in Ascensione Domini* (6): *Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium coelum; ...qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta iam arbitrii sui potestate, etc.* Ubi notatur quod non loquitur de visione Dei, quia Bernardus sentit neminem in hac vita Deum vidisse. D. Bonaventura, *De process. relig.* VII, cap. 18 (7), ubi ait visiones per se meritorias non esse; et qui multa videt, non esse meliorem, sicut de

---

(1) Coloniae Agrippinae, 1679, p. 242: *Anima haec subjectum est raptus, non ratione intellectus agentis, sed ratione intellectus possibilis: quod bene docuit Mocenicus.*

(2) *De contemplatione divina*, lib. VI, cap. 5; *Opera omnia*, ed. 1684, t. II, p. 190^{a}-194^{b}.

(3) initio; ed. cit., t. II, p. 194^{b}:..., *illustrantur a Deo Prophetarum mentes, ut... sed similitudines et species earum.*

(4) *De Genesi ad litteram*, lib. XII, cap. 15, num. 31; Migne, P. L., t. 34, col. 466.

(5) *Commentarium in Abacuc prophetam libri duo*, prolog.; Migne, P. L., t. 25, col. 1274: *Qui autem in... nec tacere nec loqui...*

(6) num. 6; Migne, P. L., t. 183, col. 304.

(7) Sic in ed. 1684, p. 516^{b}. Textus cui hic alluditur, datur in editione Peltier *Operum omnium S. Bonaventurae*, t. XII, p. 434^{a} in *De profectu religiosorum*, lib. II, cap. 76 (al. 75), quod caput 19 (al. 18) processus septimi est. Differentia unius capitis provenit ex eo quod in hac editione caput 55 in duabus partibus dividitur. Consequenter citatio auctoris cum antiquis editionibus congruit. — Hoc opusculum non est S. Bonaventurae, sed Fr. DAVID AUGUSTANI. Deest in editione Quaracchi *Operum omnium S. Bonaventurae*. Distinguendum est hoc opusculum a secundo libro *Speculi disciplinae ad novitios*, licet in quibusdam editionibus (v. g. in ed. Veneta anni 1584) hic secundus liber detur sub titulo *De processu Religionis;* etenim huius ultimi opusculi liber secundus tantum sex capita comprehendit, nec textum de quo hic agitur continet. Ipsum *Speculum disciplinae* enumeratur inter opuscula dubia vel illegitima in editione Quaracchi (t. VIII, *Prolegomena*, cap. 2, p. XCV); ubi adscribitur eidem Fr. DAVID AUGUSTANO; daturque t. VIII, pp. 583-622; in ed. vero Peltier, t. XII, pp. 443-497. MARCELLUS VILLER, S. I. (*Revue d'ascétique et de mystique*, t. III, num. 9 [Janv., 1922, Toulouse], pp. 45-56) etiam adscribit Fr. David Augustano *Profectum religiosorum* et *Speculum disciplinae ad novitios;* hoc ultimum opusculum inscribit *Formula novitiorum;* ibique identificat *Speculum monachorum* (de quo tam usa est *Devotio moderna*) cum prima parte *Formulae novitiorum.*

miraculis, etc. Richardus, *in Ps.* 4 (8), ubi dicit per huiusmodi somnia absorberi cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, etc. Item ex eo Patres raptum appellent mortem, ebrietatem, insaniam; *dicitur insania* (inquit Medina, Iª IIªᵉ, quaest. 28, art. 3 (9)) *eo quod a proposito et a libertate amoveat.* Cartusianus, *De laude vitae solit.*, cap. 36 (10), ubi dicit animam a Deo raptam non posse (*quamvis velit*) *reniti, utpote libertate arbitrii iam quasi ad horam suspensa.*

Probatur *secundo* ex D. Thoma, IIª IIᵃᵉ, quaest. 154, art. 5, ad. 3, ubi ait: *Quod apprehensio rationis non ita impeditur in somno, sicut eius iudicium, quod perficitur per conversionem ad sensibilia.* Quod videtur repetere Iª IIᵃᵉ, quaest. 113, art. 3, ad 2; et Iª part., quaest. 12, art. 11; et *De veritate*, quaest. 12, art. 3, ad 1 et 2 (11), ubi ait quantum ad receptionem seu apprehensionem potiorem esse cognitionem dormientis, quia quiescentibus sensibus exterioribus interiores magis recipiunt impressiones; quantum ad iudicium vero potiorem esse cognitionem vigilantis, quia iudicium dormientis est ligatum. Et similiter *De veritate*, quaest. 28, art. 3, ad 6 (12), in somno posse intellectum converti ad Deum, non autem liberum arbitrium vel voluntatem, quia iudicium fit per resolutionem in principia; sensus autem qui est primum principium nostrae cognitionis, est ligatus. Et ideo IIª IIᵃᵉ, quaest. 154, art. 5, ad 1 et Iª IIᵃᵉ, quaest, 113, art. 3 (13), ad 2, dicit: *quod Salomon non meruerit* (14) *in dormiendo sapientiam a Deo, sed fuit signum praecedentis desiderii, propter quod dicitur talis petitio Deo placuisse, etc.*

Et de raptu specialiter loquitur *De veritate*, quaest. 13, art. 1, ad 5 (15), ubi ait bonum quod homini confertur in raptu, non esse ex meritis, unde non oportet quod procedat ex voluntate humana. Et in IIª IIᵃᵉ, quaest. 173, art. 3, ad 3 (16), sic circa hoc loquitur: *Quando mens Prophetae inclinatur ad iudicandum vel disponendum aliquid circa sensibilia non fit alienatio a sensibus, sed solum quando elevatur mens ad contemplandum aliqua sublimiora.*

Probatur *tertio* ratione ex dictis: quia nec in somno prophetico, nec in raptu invenitur perfectum iudicium. Sed sine perfecto iudicio non datur libertas aut meritum. Ergo, etc. Maior patet: quia perfectum iudicium habetur per conversionem ad sensus, unde in eo statu nescit homo discernere inter similitudines rerum et ipsas res et vere decipitur; sic Salomon deceptus est, putans se vigilare, cum dormiret, III *Reg.*, III (17). Sic Petrus existimavit animalia esse vera quae in linteo apparebant, *Actorum* X (18) et quando putabat se visum videre, *Act.*, XII (19).

Probatur *quarto*: quia raptus ex natura sua praesefert violentiam virtutis cognoscitivae, ut docet D. Thomas IIª IIᵃᵉ, quaestione 175, articulo 1. Sed

---

(8) RICHARDUS A S. VICTORE, *Mysticae adnotationes in psalmos*, in ps. 4, v. 9; Migne, P. L., t. 196 col. 276. — Apud Migne, t. cit., col. 274, erronee legitur: « *Ps.* XXX »; textus commentatus *In pace in idipsum dormiam et requiescam* revera est v. 9 psalmi 4.

(9) MEDINA (BARTHOLOMAEUS DE—), O. Pr., *Scholastica commentaria in D. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici primam secundae*, quaest. 28, art. 3, Explicatio articuli, §. *Quid nomen;* Coloniae Agrippinae, 1619, col. 587.

(10) DIONYSIUS CARTUSIANUS, *De laude et commendatione vitae solitariae*, art. 36; ed. crit., t. XXXVIII p. 381ª: *Et deficiat a seipsa, et super se mirabiliter ac gratiosissime transferatur, in tantum ut non queat (quamvis velit) reniti, utputa libertate arbitrii iam quasi ad horam suspensa atque sopita.*

(11) Ed. Vivès, t. XIV, pp. 604ᵇ-605ª.

(12) Ed. Vivès, t. XV, pp. 320ᵇ-321ª.

(13) In ed. 1684, p. 516ᵇ, erronee legitur: « *art. 4* ».

(14) « *meruit* » in ed. Leon., t. X, p. 230ᵇ.

(15) Ed. Vivès, t. XIV, p. 637ª: *Sed bonum quod ei confertur in raptu, non est hujusmodi; unde...*

(16) Ed. Leon., t. X, p. 389ᵇ: *Quando ex superiori influxu mens...*

(17) v. 5-15.

(18) v. 14.

(19) v. 9.

ista vis in eo consistit, ut usus rationis et perfectum arbitrium impediatur propter sensuum alienationem. Ergo, etc. Probatur minor: quia decipitur, nesciens discernere inter res et similitudines, ex qua deceptione ratio ligatur et eius liber usus impeditur. Vel etiam ex suspensione actus rationis propter vehementem intentionem sive actuationem animae in aliis operationibus sive potentiae cognoscitivae sive affectivae; cogitur enim ad unam rem videndam, sive bonam, sive malam; unde non potest iudicare cum indifferentia, ut voluntas possit eligere et discernere inter bonum et malum.

Secunda sententia dicit dari in raptibus supernaturalibus libertatem sufficientem et in illis posse hominem mereri Ita ex nostris P. Gratianus a Matre Dei in *Dilucidario spirit.*, II part., cap. 9 (20); P. Antonius a Cruce in libro manu scripto *De contemplatione*, lib. III, cap. 10 (21); tenet etiam P. Iacobus Alvarez, *De vita spirituali*, tom. III, lib. III, cap. 11 (22); mordicus defendit P. Leander Granatensis, disc. 3, §. 3 (23), qui addit hanc fuisse sententiam D. Thomae iuxta opinionem doctissimorum hominum sui temporis, quos suppresso nomine citat.

Probatur *primo* ex D. Thoma, I^{a} II^{ae}, quaest. 113, art. 3, ad 2 (24), ubi postquam dixerat Salomonem dormiendo non meruisse sapientiam, nec accepisse, *sed in somno declaratum fuisse ei quod propter praecedens desiderium, ei a Deo sapientia infunderetur*, addit: *Vel potest dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiae, secundum quod dicitur* Num. 12: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, *in quo casu aliquis usum habet liberi arbitrii.* Sed somnus propheticus est raptus, in quo Prophetae revelantur mysteria. Ergo ex mente D. Thomae datur usus liberi arbitrii in raptu et potest mereri.

Probatur *secundo* ex Augustino, IX *super Genes. ad litt.*, cap. 19, (25), Bernardo, *serm. 6 in vigilia Nativitatis* (26) et aliis: Adae revelatum est in somno illo *Genes.*, II (27), mysterium Incarnationis et habuit fidem eius, de quo etiam D. Thomas, III part., quaest. 1, art. 3, ad 5 et II^{a} II^{ae}, quaest. 2, art. 7; cum tamen sopor ille esset raptus et extasis et non somnus naturalis, ut tenet idem Augustinus et alii iuxta lectionem Septuag. Sed fidem habere non potuit sine libertate et imperio voluntatis circa actum intellectus. Ergo, etc.

Probatur *tertio*: quia quamvis in raptu et somno prophetico sunt impediti et suspensi sensus exteriores, interiores tamen manent liberi et expeditiores ad serviendum intellectui; et ideo docet D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 173, art. 3: tunc infunduntur species novae vel ordinantur praehabitae in imaginatione, ut melius cognoscat. — Confirmatur primo ex raptu Petri (28), in quo illi ostensa fuerunt animalia in sindone, de quibus renuit comedere ut observaret legem, et postea iussus comedit, quod sine libertate non fecisset. — Confirmatur secundo ex novis viribus spiritualibus et in-

(20) *Dilucidario del verdadero espiritu*, parte II, cap, 9; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 67^{v}, a.

(21) ANTONIUS A CRUCE, C. D., *Libro de la contemplacion divina*, lib. III, cap. 10, fol. 242. Ms. 4.461 Bibliothecae nationalis Matritensis. — In ed. 1684, p. 517^{a} legitur: « *cap. 18* ».

(22) *De inquisistione pacis*, lib. V, part. III, cap. 11, § *Accidit autem* sqq.; *Opera omnia*, ed. Vivès, 1875-1876, t. VI, pp. 595^{b}-597^{b}.

(23) GRANADA (LEANDER DE—), *Luz de las maravillas que Dios ha obrado*, disc. 3, §. 3; Valladolid, 1607, fol. 89-101. — Auctor huius operis est FRANCISCUS A S. MARIA, C. D., cf. supra, quaest. 24, nota (13).

(24) Ed. Leon., t. VII, p. 332^{b}: *Sed in somno declaratum est ei quod,...* propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. *In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.*

(25) *De Genesi ad litteram*, lib. IX, cap. 19, num. 36; Migne, P. L., t. 34, col. 408.

(26) num. 3; Migne, P. L., t. 183, col. 110.

(27) v. 21.

(28) *Act.*, c. X, v. 11-16.

tensiori amore Dei cumque prodeunt animae, quando ab illo mystico somno suscitantur; non enim possent ita crescere in virtutibus in raptu sine exercitio actuum liberorum.

Probatur *quarto*: quia non est unde libertas voluntatis auferatur; non enim aufertur ex parte Dei necessitantis illam, cum hoc sit contra finem ab ipso intentum et esset favor iste otiosus et inutilis, cum sine illo vel post illum debeat homo sanctior et coniunctior Deo evadere. Nec ex parte rei amatae, quae vel non est Deus, vel non est Deus clare visus. Nec ex parte cognitionis aut visionis, quae non est beatifica.

Nec etiam ex eo quod non detur perfectum iudicium ex defectu conversionis ad phantasmata (ut sic solvatur argumentum partis contrariae); quia hoc solum requiritur ad iudicium quod fit per modum compositionis et de rebus quarum notitiam habuit per sensus, non vero ad iudicium simplicissimum ex luce supernaturali et de rebus habitis per species infusas, quae cum non recipiantur per sensus, non est necessaria conversio ad illa, nec resolutio ad praedicta principia sensibilia.

Nec etiam ex hoc quod imaginatio aut intellectus decipiantur reputando verum quod est apparens (hoc enim erat aliud fundamentum contrariae sententiae); quia praeterquam quod deceptio ista non semper adsit, cum saepius videatur figura apparens et simul cognoscatur solum esse apparentem in imaginatione, talis deceptio non tollit libertatem, nec iudicium ad illam sufficiens; sicut etiam deceptio potest dari sine raptu in visione corporali externa, dum putat intellectus esse corpus vivum quod est inanimatum, ut quando Iosue videns Angelum, putavit esse militem et quaesivit ab eo: *Noster es, an adversariorum?* (29) et cum Tobias (30) conversabatur cum angelo Raphaele quem putabat iuvenem. Immo sine visione supernaturali possumus decipi in rebus quas videmus, reputantes, v. g., esse pomum verum quod est pictum. Quod non tollit libertatem ad merendum aut peccandum, nam qui putaret hostiam esse consecratam cum non sit, si eam conculcaret, committeret sacrilegium et qui eam veneraretur et adoraret, mereretur; quemadmodum e contrario qui putaret prudenter non esse consecratam hostiam vere consecratam, non peccaret irreverenter tractando eam ex ignorantia inculpata, et tamen non careret iudicio et libertate ad aliquid circa illam hostiam vel alia obiecta operandum.

RESOLUTIO QUAESTIONIS

Ecce fundamenta non contemnenda utriusque sententiae, quia tamen valde universaliter quaestionem resolvunt propositam, quae multas implicat, ideo nos ut ex utraque eruamus quod probabilius apparet, ponimus sequentes conclusiones.

Prima sit: In somno naturali (qui non est proprie raptus, cum sit secundum inclinationem naturalem et non detur in eo violentia) non datur libertas sufficiens ad meritum. Unde quamvis dormientibus aliqua visio aut locutio succedat per modum somnii, non exercentur circa illam actus deliberati. In hoc conveniunt omnes auctores utriusque sententiae; et qui dicunt Salomonem non meruisse sapientiam quam postulavit in somno, supponunt fuisse somnum naturalem. Quia dum homo dormit, habet sensus externos ligatos, sive hoc procedat tanquam ex causa proxima ex vaporibus ascendentibus a ventriculo, qui

(29) *Iosue*, c. V, v. 13.

(30) *Tob.*, c. V, v. 6.

impediunt spiritus animales, ut docuit Aristoteles, *De somno et vigilia* (31); sive a virtute attractrice eorundem spirituum ad primum sensorium, quod est cerebrum, ut ex medicis tenet Moles, *De Philosophia nat. corp. Christi*, cap. 5, dub. 4 (32); habet enim tunc homo phantasiam et sensus internos perturbatos et oppressos ex praedictis vaporibus et spiritibus, unde confuse phantasiatur et non ad imperium rationis, quae debet dispo-nere phantasmata in ordine ad id quod est intelligendum, ut docet D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 173, art. 2 (33). Propter easdem rationes idem tenendum est de raptu proprio sed de procedente vel a causa corporea, ut in apoplecticis aut phraeneticis, vel a diabolo, ut in arreptitiis et sagis, in quibus sensus externi vel interni perturbantur et aliquando sopiuntur, ut non possint sensationes exercere.

SECUNDA CONCLUSIO

Loquendo autem de somno prophetico quando dormientibus ordinantur species in imaginatione, manentibus sensibus externis abstractis et sopitis, tunc manet sufficiens libertas ad merendum, iuxta D. Thomam, I^{a} II^{ae}, quaest. 113, art. 3, ut dicitur in prima probatione secundae sententiae; et ratio est: quia, ut docet S. Doctor II^{a} II^{ae}, quaest. 173, art. 2, in Prophetis vel ordinantur species imaginationis, aut infunduntur de novo et simul infunditur lumen ad intelligendum quod revelatur; vel infunduntur species novae intelligibiles, aut simul cum illis lumen supernaturale. Sed utrovis modo id fiat, datur iudicium sufficiens ad libertatem; ergo, etc. Minor quoad primam partem probatur: quia posito lumine supernaturali in intellectu ad cognoscendum quod repraesentatur in phantasia, datur conversio ad phantasmata; ac proinde nihil deficit ad iudicium, ad quod datur lumen illud; et est eadem ratio atque de raptu, in quo soli sensus externi suspenduntur, de quo in quinta conclusione. Quoad secundam partem probatur: quia per species infusas in intellectu sine dependentia a phantasia potest intellectus cognoscere sine conversione ad phantasmata (ut diximus de contemplatione pura), quia tunc elevatur supra suum modum connaturalem operandi; et sicut in contemplatione pura, quae potest fieri extra raptum, hoc non obest iudicio et libertati, ita nec in raptu, nec in hoc somno, in quo et sensus externi et interni non operantur.

TERTIA CONCLUSIO

In raptibus imperfectis, in quibus non datur totalis abstractio a sensibus, quales diximus esse orationem quietis, impulsus, ebreitatis, etc., certum est apud omnes non deesse libertatem, sed maximum meritum adesse posse. De raptibus vero perfectis dicendum est non dari quidem libertatem ad hoc ut homo se expediat ab illo et impediat abstractionem a sensibus, constat enim eo etiam renitenti haec pati, nec posse, quamvis vellet, impedire, ut loquitur Cartusianus adductus in prima probatione primae sententiae. In quo etiam sensu videntur loqui D. Hieronymus ibi citatus et aliqui ex Patribus qui pro impugnanda libertate in raptu solent afferri. Unde etiam infertur nec visionem

(31) cap. 3; ed. Didot, t. III, p. 504; Bekk., 456^{b}, 18 sqq.

(32) MOLES (VINCENTIUS —), *Philosophia naturalis sacrosancti corporis Iesu Christi*, cap. 5, dub. 4; Antverpiae, apud H. Aertssens, 1639, pp. 82-91. — Exemplar adest in Bibliotheca nationali Matritensi, R. 22506, in-4^{o}.

(33) In ed. 1684, p. 518^{a}, erronee legitur: « 1. 2. ».

ad quam sequitur raptus, nec raptum ipsum in se esse meritorium, cum sine interventu voluntatis eveniat, anima se passive habente; in quo sensu dicit Bonaventura citatus in eodem argumento non fieri hominem meliorem aut peiorem per revelationem aut defectum illius. Haec tamen necessitas circa acceptationem aut remotionem revelationis aut raptus non pugnat cum libertate ad merendum in illis per amorem Dei et alios actus virtutis, nisi ex alio capite repugnet, de quo procedit quaestio.

QUARTA CONCLUSIO

In raptu extraordinario qui sequitur ad visionem claram Dei per modum transeuntis in hac vita, qualis fuit raptus ille Pauli, de quo loquitur Bernardus citatus in praedicto argumento, non datur libertas in voluntate circa amorem Dei tam quoad specificationem quam quoad exercitium; quia Deus clare visus necessitat voluntatem ad sui amorem, unde nec habet libertatem ad merendum, nec ad peccandum. De quo videantur theologi ad I^{am} II^{ae} D. Thomae, quaest. 4, art. 4.

QUINTA CONCLUSIO

In raptu ordinario qui fit per solam suspensionem sensuum externorum ad visionem aliquam imaginariam, non impeditur libertas, nec meritum. Ita sentire debent omnes auctores secundae sententiae, quibus addere possumus Vellugam in *Vitis duorum*, cap. 14 (34), cum Suarez, *De Religione*, tom. II, *De oratione mentali*, cap. 19 et 20 (35). Pro qua etiam adducitur D. Bernardus, *serm.* 52 *in Cant.*, ad illa verba *Cant.*, VIII (36); *Adiuro vos filiae Hierusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Ratio est: quia impeditis tantum sensibus exterioribus, adhuc interni possunt operari et de facto operantur circa obiectum repraesentatum, potestque intellectus ad phantasmata converti. Ergo non est unde libertas impediatur, nisi aliquando ex deceptione (quod dicunt auctores primae sententiae), sed hoc non impedit, ut dicitur in probatione quarta secundae sententiae.

SEXTA CONCLUSIO

In raptu qui fit per suspensionem sensuum tam externorum quam internorum ad aliquam visionem intellectualem, si fiat per species intelligibiles supernaturaliter infusas, non tollitur iudicium et libertas per hoc praecise quod non detur conversio ad phantasmata, sicut enim species illae non fuerunt acceptae per sensus, ita nec iudicium, nec usus libertatis a sensibus dependet; tunc enim elevatur intellectus supra suum modum connaturalem operandi, ut diximus in fine conclusionis primae. Si autem fiat per species intelligibiles iam praehabitas et de novo ordinatas et non detur superius lumen quo intellectus elevetur supra suum modum naturalem operandi, tunc licet possit apprehendere obiectum, non tamen perfecte iudicare; quia non potest habere conversionem ad phantasmata, qualis requiritur ad perfectum iudicium secundum modum naturalem.

---

(34) VELLUGA (LUDOVICUS —), *Vitae duorum qui primas obtinent sedes in regno Dei, Christi scilicet, atque Deiparae; cum duobus praeludiis*, praelud. I, cap. 14; Conchae, 1631, fol. 36-40v.

(35) *De virtute et statu religionis*, tract. IV, lib. II, *De oratione mentali ac devotione*, cap. 19 et 20; ed. Vivès, t. XIV, pp. 199a-212b.

(36) v. 4; Migne, P. L., t. 183, col. 1029 sq.

SEPTIMA CONCLUSIO

Denique in istomet raptu ad visionem intellectualem, si visio sit alicuius essentiae creatae, sive corporalis, sive spiritualis, cuius non sint species in intellectu, ut statim dicemus, necesse est quod infundantur de novo et quod intellectus in illa cognitione non dependeat a phantasmatibus; nec ex istis visionibus potest impediri voluntas quin ex angelis, v. g., visis non se convertat libere ad amandum Deum.

Si autem sit contemplatio aliqua Dei (quae lato modo dicitur visio, saltem in supremo gradu theologiae mysticae, ut supra diximus), taliter potest intellectus elevari in cognitionem Dei, quod non possit ad res alias attendere, nec reflectere supra suum actum; tunc mihi videtur non dari perfectam libertatem, ad quam requiritur quod obiectum proponatur cum aliqua indifferentia saltem quoad exercitium actus voluntatis. Intellectus autem ita potest esse defixus in contemplatione Dei summe amabilis quamvis non clare visi, ut non solum non proponat rationem amandi aliud, sed nec rationem molestiae vel alicuius oppositi ad exercitium amandi, sed solum sistat in Deo cognito ut amabili et amando; ad quam cognitionem pro illa brevi mora, qua durat, sequeretur amor voluntatis necessarius non per se et ut sic dicamus quasi obiectum et exercitium actus illud postulet, sed per accidens defectu cognitionis et advertentiae, ut docent N. N. Salmanticenses, tom. III, in I^{am} II^{ae}, tract. X *De voluntario*, disp. 2, num. 107 (37). Et haec sufficiant pro ista quaestione, nec est opus argumenta solvere aliarum sententiarum, quatenus sunt contraria nostris conclusionibus, quia ex dictis manent sufficienter soluta.

QUAESTIO XXVIII

QUOMODO FIANT VISIONES INTELLECTUALES ET AN ETIAM VITANDAE SINT IN CONTEMPLATIONE MYSTICA?

Visio intellectualis illa est in qua Deus intellective veritatem aliquam cognoscendam infundit non per sensus externos, nec per internos derivatam. In hoc enim differt a corporalibus et imaginariis, quod licet ex istis ascendat etiam notitia ad intellectum, non tamen ideo dicuntur intellectuales; quia non immediate, sed mediantibus sensibus ab intellectu percipiuntur.

Causa efficiens harum visionum seu apparitionum est solus Deus, vel solum ordinando species intelligibiles iam praehabitas, vel solum infundendo lumen supernaturale quo melius penetretur obiectum repraesentatum per illas, vel solum infundendo novas species intelligibiles, vel simul lumen cum speciebus; saepius autem videtur requiri infusio luminis supernaturalis quod ad lumen propheticum potest reduci, nam lumen naturale solum ad naturalia se extendit, in his autem visionibus saepe aliquid supernaturale vel quoad substantiam, vel quoad modum manifestatur; nec sufficit lumen fidei, quod est obscurum; nec aliquando videtur sufficere donum sapientiae, (ut dicit Alvarez de Paz (1)), quia licet cum aliis donis fidem valde perficiat, non tamen ad cognoscendum cum tanta claritate. Quocumque autem modo fiat visio ista, solus Deus

(37) dub. 5, num. 107; ed. V. Palmé, t. V, p. 464

(1) *De inquisitione pacis*, lib. V, part. III, cap. 12, §. *Jam postremum; Opera omnia*, ed. Vivès, t. VI, pp. 604^{b}.

potest ut causa principalis esse auctor illius quoad infusionem luminis et specierum, licet, si velit, possit uti ministerio angelorum tanquam instrumento; nemo enim nisi Deus potest in anima et potentiis eius spiritualibus operari ut causa principalis. Unde istae visiones magis sunt a daemonum illusionibus immunes, quamvis enim possit taliter immutare phantasiam et per illam excitare intellectum ad aliquid ita distincte cognoscendum, ut homo sibi persuadeat esse intellectuales visiones; hoc tamen expertis et per signa alibi assignata facile dignoscetur.

Possunt tamen hae visiones fieri vel sine conversione ad phantasmata, quando fit per species infusas; vel cum tali conversione, quando per coordinationem praehabitarum et tunc, ut dicit D. Bernardus, *serm.* 41 *in Cant.* (2), etiam ministerio angelorum coordinantur species imaginariae, ut famulenter intellectui.

Obiectum autem quod in his visionibus apparet, vel est Deus prout est in se et clare visus, quomodo solum potest esse obiectum visionis beatae, etiam eius quae in hac vita concedi potest per modum transeuntis, ut iam diximus, vel indistincte et confuse, quomodo cognoscitur per contemplationes supernaturales mysticae theologiae quae lato modo dicuntur visiones, et praecipue in ultimo gradu, in quo ad cognitionem additur gustus et experientia, de quo non est quid hic amplius dicendum, suppositis quae de istis contemplationibus supra diximus. Ad quas etiam illae possunt accedere, quibus per affirmationem supernaturaliter Deum contemplamur (3), ac saltem aliqua ex contemplationibus supereminentibus, in qua non utimur imaginibus corporum.

Potest etiam proprium obiectum harum esse visionum aliqua creatura spiritualis vel corporalis, cuius speciei imaginatio non est capax, ut angelus visus in seipso, anima separata, substantiae materiales quoad suam essentiam, habitus spirituales vel supernaturales, ut gratiae, caritatis, donorum, etc.; quorum omnium Deus potest immittere species in intellectum, ut clare cognoscantur ab anima.

Denique etiam possunt esse obiectum harum visionum corpus Christi Domini, Virginis Deiparae et aliorum Sanctorum; et sicut in visionibus seu contemplationibus Dei datur una obscura quae habetur per fidem, alia prorsus clara, ut est visio beatifica, alia vero media ad donum sapientiae vel ad aliud lumen supernaturale pertinens, quae nec est ita obscura sicut cognitio fidei, nec ita clara sicut intuitiva Dei visio, ita in visionibus intellectualibus rerum corporearum alia est obscura, alia omnino clara, alia media. Obscura est, cum anima nullam quidem imaginem aut staturam corporis videt, magis tamen certificatur et cognoscit Christum, v. g., ita prope se esse quam si oculis videret corporeis; et haec praesentia aliquando solet multis diebus perdurare, quod non contingit in imaginaria.

Quaeritur hic an persona illa intellectualiter apparens revera sit iuxta videntem, sicut concipitur ab illo? — Respondent aliqui hoc de visione angelorum esse praesumendum, de Christo autem Domino, de Sanctissima Virgine Matre et aliis Sanctis non facile; Christus enim rarissime aut fere nunquam ad nos descendit corporaliter extra sacramentum Eucharistiae; Sanctis etiam illis qui iam corporaliter existunt in caelo vel animabus illorum non est cur facile concedamus; potest enim hoc suppleri per speciem quandam a Deo productam, quae nobis sic obscure repraesentet eorum praesentiam (quando id per angelos vices eorum gerentes non fit), ut in illa coram nobis assistentia singularem eorum Sanctorum erga nos benevolentiam demonstrent et Christi Divi-

(2) num. 3 et 4; Migne, P. L., t 183, col. 986.

(3) « *contemplantur* » in ed. 1684, p. 519b.

nitatis realem praesentiam. Quo etiam modo visionis (dicit Alvarez de Paz, t. III, libro V, quaest. 3, cap. 12 (4)) forte Christus venturus se Abrahae et Davidi ostendit non solum ex fide, sed ex dono sapientiae, quando in eius adventu praecognito exsultarunt.

De visione autem clara et intuitiva corporis Christi (licet idem Alvarez (5) eam non audeat admittere, cum dicat sibi compertum non esse an Christus Dominus in visionibus imaginariis aut intellectualibus propriam sui speciem imprimat) probabile mihi est quod asserit noster Ioseph a Iesu Maria, *De ingressu animae in paradisum spiritualem*, lib. II, cap. 15 (6), aliquando ita clare et intuitive apparuisse Christum Seraphicae Matri Theresiae in aliquibus visionibus, quas ipse ex verbis eius refert, maxime post communionem, ubi Christus in Eucharistia realiter existens sui illi communicavit speciem, ut corpus eius oculis animae videret sicut angeli in caelo, ut interim potiretur accidentali gloria qua ipsi ex intuitu sacrae Humanitatis fruuntur. Et bene notat ibi quod licet Seraphica Mater appellet has visiones Christi imaginarias, non ideo esse quia vere fuissent illius generis, sed quia visiones indistinctas Humanitatis sanctissimae solet ipsa appellare intellectuales et distinctas appellat imaginarias propter veram Christi praesentiam et manifestationem sub propria figura, colore, luce, etc. Probat enim quod nec in illo statu communicabantur sanctae Matri nostrae visiones imaginariae, nec imaginatio esset capax tantae et tam gloriosae repraesentationis.

Visionem mediam vocant aliqui, quae licet etiam sit clara, non tamen per propriam speciem, sed per aliam similem, in quo deficit ab intuitiva. Et haec sufficiant pro explicatione huius visionis, de qua agunt communiter auctores mystici quos supra retulimus; videatur etiam Seraphica Mater libro *Vitae* suae, cap. 27 (7) et mansion. VI, cap. 8 (8); N. B. Pater Ioannes a Cruce in *Ascensu montis Carmeli*, lib. II, cap. 23 et 24 (9) et Michael de Fonte, lib. II, cap. 17 (10).

Addendum tamen aliquid est de illis cognitionibus nudis veritatum seu veritatis nudae, quas ad visiones seu potius revelationes intellectuales reducere possumus, de quibus loquitur D. Thomas, II^{a} II^{ae} quaest. 173, art. 1; et quaest. 174, art. 2; et III *Sent.*, dist. 35, quaest. 2, art. 1, quaestiunc. 3 (11); et N. B. Pater, ubi supra, cap. 26 (12). Quae consistunt in hoc, ut intellectus videat veritates divinas vel creatas rerum quae sunt, erunt aut fuerunt, immediate in seipsis et non vestitis aliqua forma aut imagine; quando ergo illi repraesentantur veritates seu mysteria divina per aliquam speciem modo illo possibili et alibi dicto, id fit cum penetratione quadam altissima divinarum perfectionum, sentit enim anima altissime de illis cum ineffabili delectatione voluntatis, quia sunt veluti quidam contactus divini quibus Deus se praebet experiendum et gustandum, nec nisi in unione cum Deo communicantur,

---

(4) *De inquisitione pacis*, lib. V, part. III, cap. 12, §. *Duobus ergo; Opera omnia*, ed. Vivès, t. VI, p. 602^{b}.

(5) l. c., §. *Secundo apparet Christus;* ed. cit., t. VI, p. 603^{b}: *Quoniam mihi compertum non est an Christus Dominus in visionibus imaginariis et intellectualibus propriam sui speciem imprimat, an hanc patriae caelesti reservans, aliam tribuat, quae ad hanc quodammodo proxime accedat.*

(6) *Entrada del alma al Parayso Espiritual*, lib. II, cap. 15; ed. 1694, pp. 405^{a}-410^{a}.

(7) *Vida*, cap. 27; ed. crít., t. I, pp. 207-216.

(8) *Moradas VI*, cap. 8; ed. crít., t. IV, pp. 155-160.

(9) Sic in ed. lat. 1639, pp. 97^{a}-101^{a}. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 21 y 22; ed crít., t. I, pp. 222-232.

(10) Fuente (Michael de la—), *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. II, cap. 17; Barcelona, 1887, pp. 337-350.

(11) Ed. Vivès, t. IX, pp. 590^{b}-591^{a}. — In ed. 1684. p 520^{a} legitur: « *quaestiunc.* ».

(12) Sic in ed. lat. 1639, pp. 102^{a}-107^{b}. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 24; ed. crít., t. I, pp. 235-244.

immo ad ipsam unionem pertinent. Quando autem sunt circa res creatas, pertinent ad spiritum prophetiae vel discretionis spirituum, et adeo clare et certo repraesentantur, ut non possit intellectus non assentire illis, de quibus loc. cit. idem B. N. Pater Ioannes. Legendus etiam noster Ioseph a Iesu Maria, *De ingressu animae in paradisum spiritualem*, lib. I, cap. 21 (13).

Iam ergo ad secundam partem quaestionis dicendum est *primo*: visiones intellectuales quae sunt circa Deum clare, vel obscure, vel medio modo cognitum, ut supra diximus, non esse fugiendas aut reiiciendas, cum sint ipsamet contemplatio Dei, sed potius humiliter et gratulanter amplectendas. Non tamen debemus illas positive procurare aut desiderare, non ob aliquod periculum quod in illis vix potest inveniri, sed ob generalem rationem non desiderandi res supernaturales et infusas, esset enim praesumptio et defectus humilitatis. Sufficit nobis appetere et procurare eas ad quas ex fide et cum generalibus gratiae auxiliis possumus pervenire, quae licet aliquo modo disponant animam ad contemplationem infusam, non ideo debent appeti quia disponunt ad illam, sed ad illam unionem acquisibilem quam totis viribus et conatibus procurare debemus.

Dicendum *secundo*: visiones intellectuales circa creaturas quantumvis naturaliter bonas et perfectas, licet dum communicantur, debeant admitti, nec tamen esse optandas, nec in illis seu in recordatione earum esse animum detinendum. Quia (ut docet supra laudatus B. Pater noster, libro II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 24 (14)) quamvis memoria earum incitet animam ad aliqualem Dei amorem et cognitionem, attamen amplius et perfectius ad haec erigitur et incitatur per fidem in obscuritate et nuditate omnium rerum.

Dicendum *tertio*: visiones Christi Domini sive sint obscurae, sive clarae, sive medio modo se habentes, ut diximus, quamvis non sint optandae ob humilitatem et cognitionem indignitatis nostrae, non tamen abiiciendas esse, nec vitandas ex industria. Memoria enim sacratissimae Humanitatis nihil potest obesse contemplationi aut unioni, nec in intellectualibus datur periculum deceptionis, sicut in corporalibus aut imaginariis; et proportionabiliter dicendum est de visionibus intellectualibus Deiparae, angelorum et Sanctorum, quatenus ex illis possumus ad Deum facilius pervenire, non tamen debet qui iam est occupatus in contemplatione fidei obscurae circa Deum ad illas ex proposito divertere, sed potest illas in ipso actu contemplationis ingerere spiritualiter et contemplativo modo, ut diximus in *Catena* (15), ut bene explicat N. Ioseph a Iesu Maria, lib. II *Ascensus animae ad Deum*, cap. 11, 12, 13, 14 et 15 (16).

Dicendum est *quarto*: notitias veritatum nudarum circa perfectiones et mysteria divina plurimi faciendas esse et aestimandas, utpote ad unionem ipsam Dei pertinentes, licet non praesumptuose affectandas, sicut diximus de visionibus Dei intellectualibus, cum ad perfectionem nobis sufficiat unio illa communibus gratiae auxiliis acquisibilis, quam N. S. Mater saepe saepius commendat et inculcat. Verum quidem est animas contemplationi supernaturali assuetas et quae iam in intima et supernaturali unione Dei saporem et suavitatem sunt expertae, non posse non ad illam suspiriis et desideriis iugiter anhelare, in

---

(13) *Entrada del alma al Parayso Espiritual*, lib. I, cap. 21; ed. 1694, pp. 293b-299b.

(14) Sic in ed.lat. 1639, pp.98b-101a. - *Subida del Monte Carmelo*, lib. II. cap. 22; ed. crit., t. I, pp. 225-244.

(15) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 31, pp. 269a-276b; praesertim resp. 6, pp. 274a-275a.

(16) *Subida del alma a Dios*, lib. II, cap. 11-15; ed. 1694, pp. 138b-152a.

quo cuiusque animae status et progressus perpendendus. Circa alias vero notitias, etiam veritatis nudae, pertinentes ad creaturas caute incedendum est, nam praeterquam quod ad contemplationem mysticam non conducunt, potest etiam daemon illas aliquo modo fingere excitando intellectum mediis phantasmatibus et sic fallacias plurimas suggerere, ut advertit N. B. Pater, lib. II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 26 (17).

QUAESTIO XXIX

QUOMODO FIANT LOCUTIONES SPIRITUALES ET QUAENAM EX ILLIS REMOVENDAE SINT?

De istis locutionibus diffusius agit idem B. Pater iam laudato lib. II, a cap. 28 usque ad 31 (1), ex cuius doctrina illas dividere possumus in *successivas*, *formales* et *substantiales*. *Successivae* sunt illae quas anima in oratione valde collecta ipsamet format, tanquam si cum alio loqueretur circa res aut materiam quam actualiter contemplatur, sibique ipsa proponit et respondet, et saepe sibi persuadet se ab alio responsum accipere; quod licet multoties fiat ex Spiritus Sancti assistentia, nec daemon intra intellectum possit verba formare, nihilominus non sunt multum aestimanda, cum possint esse ex spiritu proprio.

Formales nuncupat eas quae ab alio formantur et animae ingeruntur sive a Deo, sive ab angelo, saltem mediantibus sensibus externis aut internis, et saepe contingunt extra tempus orationis, immo anima nihil cogitante de eorum materia. Has etiam non debet anima magni pendere, immo potius timere, ne forsan sint a daemone et fallaciis obnoxia; nec exsequi quae per illas praecipiuntur, sine prudentis magistri consilio; nec debet in illis occupari et sese detinere, utpote mediis improportionatis ad unionem cum Deo et ad contemplationem mysticam.

Substantiales licet etiam formales sint, non tamen omnes formales sunt substantiales; dicuntur (2) enim substantiales, quia licet exerceantur mediis accidentibus, quales sunt species intelligibiles actusque potentiarum animae, sunt tamen magni ponderis et momenti, in quo sensu appellant Patres et doctores gaudium substantiale, devotionem substantialem et amorem substantialem, quia alia gaudia, devotiones et amores excedunt. Excedit enim ista locutio alias locutiones, tum ex eo quod a solo Deo profertur, tum quod effectum suum illico et efficacissime sortiatur, ut si Deus dicat animae *esto humilis*, aut *esto patiens*, aut *ne timeas*, statim hunc effectum in re ipsa experietur.

Unde circa receptionem aut reiectionem illarum sequendum est quod docet idem B. Pater, loco citato, cap. 31 (3), his verbis: *Quantum ad haec*

(17) §. *Multa dicenda;* ed. lat. 1639, p. 106. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 24, §. *Acerca de los engaños;* ed. crít., t. I, pp. 242-243.

(1) *Ascensus Montis Carmeli*, lib. II, cap. 28-31; ed. lat. 1639, pp. 109b-117a. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 26-29; ed. crít., t. I, pp. 249-263.

(2) « *dicunt* » in ed. 1684, p. 521a.

(3) *Ascensus Montis Carmeli*, lib. II, cap. 31; ed. lat. 1639, pp. 116b-117a: *Quantum ad haec verba attinet, nihil est quod agat.... — Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 29; ed. crít., t. I, p. 262; *Acerca de estas palabras no tiene el alma qué hacer, ni qué querer, ni qué no querer, ni qué desechar, ni qué temer. No tiene que hacer en obrar lo que ellas dicen, porque estas palabras substanciales nunca se las dice Dios para que ella las ponga por obra, sino para obrarlas en ella; lo cual es diferente en las formales y sucesivas. Y digo que no tiene que querer ni no querer, porque ni es menester su querer para que Dios las obre, ni basta su no querer para que dejen de hacer el dicho efecto, sino háyase con resignacion y humildad en ellas. No tiene qué desechar, porque el efecto de ellas queda sustanciado en el alma y lleno de bien de Dios, al cual, como se le recibe pasivamente, su acción es menos en todo. No tiene que temer algún engaño; porque ni el entendimiento ni el demonio pueden entrometerse en esto, ni este maligno....*

verba, seu locutionem substantialem, *non est quod agat anima, aut ex seipsa tunc velit, nec conetur, sed humilem se dumtaxat, et resignatam illis exhibeat, liberum suum assensum Deo praebendo: nec est cur eam respuat, aut vereatur, aut in exequendis iis, quae praescribunt laboret, Deus enim ipse istis substantialibus verbis idipsum in ea, et cum ea operatur, quod secus in formalibus et successivis accidit. Nec est (ut dixi) quod hic reiicere conetur: effectus quippe eorum, substantiatus, ut sic loquar, divinisque bonis refertus in anima manet; quem quoniam passive recipit, universus eius conatus minor est: nec est, quod aliquam deceptionem vereatur: nam neque intellectus, neque cacodaemon sese immiscere huic rei queunt, nec malignus iste spiritus, etc.*

Obiectiones quae fieri poterant contra istam doctrinam, tam circa nomen *substantiales*, quam circa id quod dicit B. Pater *non est quod agat anima, etc.*, quam etiam circa certitudinem earundem locutionum, quod scilicet non sit in illis deceptionis periculum timendum, etc., ex ipsismet B. Patris verbis manent solutae. Nam de nomine iam diximus; de operatione seu cooperatione animae cum Deo tam in admittendis locutionibus, quam de earum effectibus satis se explicat. De certitudine quam secum trahunt, constat ex doctrina D. Thomae. IIª IIæ, quaest. 171, art. 5 et quaest. 173, art. 4, de vera et perfecta prophetia, etsi aliquando cum tanta certitudine seu evidentia in attestante non eveniant, ex effectibus et aliis signis facile innotescent. Quae omnia bene expendit N. Nicolaus a Iesu Maria in sua *Elucidatione theolog.*, part. II, cap. 5, per totum (4), ubi hanc doctrinam conformem esse locutionibus sanctorum Patrum et doctorum probat. Legendus de hac quoque materia noster pientissimus P. Michael de Fonte in suo *De triplici vitae spiritualis statu* praeclaro opere, lib. II, cap. 18 (5), ubi has locutiones in *corporeas* seu *exteriores*, in *imaginarias* seu *interiores*, in *intellectuales* seu *spirituales* distinguit; quas omnes enucleatius exponit, quatuor etiam assignans indicia ex quibus discerni queat quando hae locutiones a divino, quando a proprio, quando a maligno spiritu procedunt; et totidem animadvertenda monet ac docet, ne in illis decipiamur.

QUAESTIO XXX

QUOMODO QUI DEO UNITUR DUM EUM CONTEMPLATUR IN CALIGINE, TOTUS FIAT IPSIUS (UT INQUIT S. DIONYSIUS), NEQUE ULLIUS, NEQUE SUUS, NEQUE ALTERIUS?

D. Maximus exponens verba Dionysii, inquit (1): *Atque hoc modo ignorationi, cessationique coniunctus, non dico per ipsius propriae mentis cessationem, neque per cessationem alterius, neque seipsum, neque quidquam aliud intelligendo, sed secundum potiorem mentis portionem isti ignoto, quod omnia excedit, penitus unitus, etc.*

Non dissimiliter Georgius Pachymera (2): *Talique modo coniunctus igno-*

---

(4) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. II, cap. 5; ed. 1639, pp. 130-137.

(5) FUENTE (MICHAEL DE LA—) *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual*, lib. II, cap. 18; Barcellona, 1887, pp. 350-363.

(1) *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 3; Migne, P. G., t. 4, col. 422: *Talique modo conjunctus ignorationi et cessationi, non dico propriae mentis cessationi, neque alterius cessationi, nec seipsum, nec quid aliud intelligendo, sed conjunctus perfectissimae omnis cognitionis ignorationi ejus qui superat universa, tum ignoratione omnia novit.* — Text. graec., *ib.*, col. 421.

(2) *Paraphrasis in lib. De Mystica Theologia*, cap. 1, §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 1023: ....*obtinendo, sponte scilicet convenienterque...* — Text. graec., *ib.*, col. 1024.

rationi, et cessationi. Non dico propriae mentis circa ipsum cessationi, neque etiam alterius cessationi, nec seipsum, nec quidquam aliud intelligendo (hoc enim merum otium stupiditasque mentis est), sed secundum potiorem mentis portionem isti ignoto penitus unitus, omnis cognitionis cessationem obtinendo, spiritu scilicet, convenienterque deserendo omnem notionem, quae extrinsecus affusa, quodammodo confundit potius, magisque obest, quam prosit, cum sine notione omnia novit, etc.

Quae sic intelligo: Quamvis in ista contemplatione non detur omnimoda cessatio actus intellectus, sic enim esset otiosus et stupidus, et, ut supra diximus, Deum cognoscat *quoad an est* et de eo etiam format conceptum aliquem confusum, non tamen cognoscit quid Deus sit, et semper Deus *quoad quid est* manet illi ignotus; Deo autem sic ignoto coniunctus et sine eius distincta cognitione (et omnem notionem seu rationem cognoscendi Deum ex creaturis emendicatam deserendo) totaliter Deo unitur sine aliquo medio tam ex parte intellectus quam voluntatis.

Sic enim totus est Dei quoad intellectum, quia intetllectus intelligendo fit omnia; totus est Dei quoad voluntatem, quia in Deum a seipsa per extasim fertur; et sic animus in Deum transformatus non est ullius creaturae, quia nullam intelligendo aut amando interponit sive se, sive alterum, ac proinde neque est *suus*, quia nec in se respicit, nec se (3) quaerit; neque *alterius* obiecti eodem modo.

Quod videtur insinuari in illa explicatione mysticae theologiae, quam affert idem S. Doctor in cap. 7 *De Divinis Nominibus* (4), scilicet *quando mens a rebus omnibus recedens, ac demum semetipsam deserens, desuper fulgentibus radiis unitur, etc.* Per quod innuitur quod mens non solum omnia alia, sed seipsam quoque debet amittere non reflectendo supra seipsam aut supra proprios actus, ut explicat pluries laudatus P. Ioseph a Iesu María, lib. I *Ascensus animae ad Deum*, cap. 27 (5); quae omnia, suppositis superius dictis de unione, prolixiori non videntur indigere enucleatione.

(3) « *si* » in ed. 1684, p. 522b.

(4) §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 871. — Text. graec., *ib.*, col. 872.

(5) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 27; Salamanca, 1694, pp. 70a-75b.

CAPUT SECUNDUM

QUOMODO OPORTEAT UNIRI ET LAUDES REFERRE AUCTORI OMNIUM, QUI EST SUPER OMNIA.

Iuxta Lectionem Perionii (1).

In hac clarissima caligine esse optamus, atque aspectus privatione, et ignoratione cernere, ac cognoscere eum, qui omnem aspectum atque scientiam vincit, hoc ipso, quod minime videamus, et sciamus. Hoc enim est revera videre, et cognoscere: eumque qui essentia superior, ac praestantior est, divino more laudare, omnium, quae sunt negatione: ut ii, qui nativum signum faciunt, tollunt ea, quae obscurant, et impediunt formae latentis aspectum, ipsamque in se pulchritudinem, quae abstrusa est, explicant sola detractione. Sed mihi detractiones, sive negationes contra, ac affirmationes laudandae videntur. Illas enim a primis orsi, et ad extrema per media devenientes ponebamus: hic autem ab extremis ad prima, et principalia ascendentes, omnia tollimus, ut sine integumentis cognoscamus ignorationem illam, quae ab omnibus rebus quae scientia comprehenduntur, in iis, quae sunt, occultata est, caliginemque illam cernamus essentia superiorem, quae ab omni luce, quae in rebus inest, occulitur.

Iuxta Corderium (2).

Nos in hac supra quam lucente caligine versari exoptamus, et per visionis, cognitionisque negationem videre et cognoscere id, quod supra visionem, cognitionemque existit, hoc ipso quod non videmus, nec cognoscimus: hoc enim est vere videre et cognoscere, et supraessentialem supernaturaliter laudare per omnium rerum ablationem, non secus ac qui statuam nativam dedolant, auferentes omnia, quae circumposita claram formae latentis visionem impediebant, ablatione sola genuinam eius occultam pulchritudinem manifestant. Oportet autem, ut existimo, ablationes contrario modo, quam positiones celebrare: siquidem illas a primis incipientes, et per media, et extrema descendentes ponebamus; hic vero ab extremis ad prima ascendentes, omnia removemus, ut revelate cognoscamus illam incognoscibilitatem, quae ab omnibus, quorum cognitio est, in rebus omnibus obtegitur: et supernaturalem illam caliginem intueamur, quae ab omni, quod in rebus est, lumine occulitur.

PARAPHRASIS.

Ego in hac caliginosa contemplatione cupio occupari et detineri, et hoc ipso quod non videam, nec cognoscam, per negationem et carentiam omnis visionis et cognitionis cupio videre et cognoscere Deum, qui excedit omnem visionem et cognitionem. Hoc enim vere est videre eum et cognoscere, et per omnium rerum ablationem supra modum naturalem laudare eum qui est supra omnes essentias, sicut statuarius qui statuam format ex trunco nativo et nondum insecto, per solam ablationem materiae superfluae oculis

(1) *De Mystica Theologia*, cap. 2; Lovanii, 1566, fol. 164r.
(2) Migne, P. G., t. 3, col. 1026. — Text. graec., *ib.*, col. 1025.

proponit imaginem quae abscondita et in potentia adhuc erat sub illa rude et indigesta mole. Ablationes autem mihi videntur faciendas esse contrario modo a positionibus; nam positiones seu affirmationes de Deo apponere solemus incipiendo a primis praedicatis et descendentes per media, v. g., ad extrema; ablationes vero debent incipere ab ultimis et sic ascendere usque ad priora, ut sine velo aut tegumento cognoscamus illam Dei incognoscibilitatem, quae velatur et tegitur ab omnibus rebus quae cognosci possunt, et videamus caliginem illam quae occultatur et absconditur ab omni lumine quod in rebus est.

QUAESTIO XXXI

QUOMODO INTELLIGENDA QUAE IN HOC CAPITE DOCET SANCTUS DOCTOR?

Cum S. Dionysius in primo capite huius libri compendiose tradiderit totam theologiae mysticae doctrinam, in hoc et in sequentibus capitibus parum aut nihil novi addit ad illam directe pertinens, sed per plures sententias explicitius tradit quae ibi sub brevitate conglobata docuerat. Unde suppositis quaestionibus circa primum caput discussis, hanc per aliquot breviuscula quaesita expediemus.

Quaeres igitur *primo* quare dicat Dionysius se exoptare hanc ingredi caliginem seu ad hanc caliginosam contemplationem admitti, cum Patres et doctores doceant nemini ad infusam et supernaturalem contemplationem aspirandum esse, excedit quippe vires naturales, etc. Quod etiam docuit idem S. Dionysius cap. I *De Divinis Nominibus*, §. 1 (1), et contrarium praesumptionem vocat D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 130, art. 1. — Respondeo: mysticam theologiam vel posse esse acquisitam, vel infusam, ut diximus quaestione 6 prooemiali, et ideo potuit D. Dionysius optare et procurare caliginosam contemplationem ad quam labore et industria nostra cum auxilio Dei communi possumus pervenire. Si autem loquatur de supernaturaliter infusa, non ideo esset vitiosum aut praesumptuosum (saltem Dionysio supernaturalibus illustrationibus assueto) illam simplici desiderio appetere cum humilitate et resignatione competenti, dummodo se ad illam propriis viribus elevare non praesumeret.

Quaeres *secundo* quare caligo ista dicatur lucens et superquam lucens, cum lux opponatur caligini. — Responsio patet ex supra dicitis, maxime quaest. 1 ad cap. 1. Non enim ista caligo est per defectum lucis, sed per excessum, ut enim ait D. Maximus (2), quod efficit absentia luminis, efficit etiam excessus lucis; itaque si per absentiam luminis ponitur oculus in caligine, quia cessat a visione, etiam per excessum lucis ponitur in caligine, quatenus non potest tantam lucem sustinere et intueri. Cum hac tamen suspensione visionis stat quod caligo ista oculos mentis illuminet, quatenus per illam et in illa manifeste cognoscitur Deum esse incognoscibilem in hac vita *quoad quid est* et esse supra omnia quae cognoscere possumus.

Quaeres *tertio* quomodo non videndo videre et non cognoscendo possimus cognoscere Deum? — Respondeo videre et non videre non esse opposita in praesenti, quia respectu diversorum dicuntur; videmus enim seu cognoscimus Deum esse invisibilem et incognoscibilem *quoad quid est* ex-

(1) Migne, P. G., t. 3, col. 585-588.

(2) *Scholia in epistolam V Dionysii Areopagitae;* Migne, P. G., t. 4, col. 535: *Quod enim efficit absentia luminis, scilicet vocationem sensus oculorum, hoc efficit intendere fixe aciem oculorum adversus solis radios meridie.* — Text. graec., ib., col. 536.

tra visionem beatam, dum non videmus eum ut antea videbamus et cognoscebamus sub specie et imagine rerum creatarum; et non videndo clare, videmus eum confuse meliori modo quo potest in hac vita videri extra praedictam visionem, quia videndo per formas creatas ad similitudinem creaturarum, videmus quod ipse non est; non videndo autem hoc modo et negando de eo omnia, videmus eum non esse aliquid ex ipsis, nec sicut ipsae, sed (3) supra ipsas, et quid nobis incognoscibile *quoad quid est*.

Quaeres *quarto* quare sic cognoscens Deum comparetur potius statuario quam pictori? — Respondeo ex ipso contextu constare differentiam: pictor enim format imaginem addendo colores coloribus, quod magis assimilatur contemplanti Deum per affirmationem et positionem; sculptor autem format imaginem seu statuam auferendo et removendo redundantem materiam, quod similiter facit contemplans Deum per negationem auferendo scilicet et removendo a Deo quidquid ex creaturis per affirmantem cognitionem illi fuit superadditum. Alii (4) etiam per statuam seu figuram nativam intelligunt agalma seu splendidum ornamentum quod a natura habet smaragdus vel aliquis pretiosus lapis, quod apparet, cum a materia terrestri subiacente sedulo expurgatur. Haec igitur imago seu agalma remanens ex praedicta remotione est conceptus ille positivus et confusus, in quo debemus sistere, ut diximus quaest. 15.

Quaeres *quinto* quomodo negationes seu ablationes contrario modo ab affirmationibus formandae sint? — Respondeo: quando ordinate aliqua praedicata positiva de Deo affirmamus, descendimus a primis et universalioribus usque ad ultima, v. g., est ens, est substantia, est vivens, est spiritus, est intelligens, etc.; quando vero ipsa de Deo negamus aut removemus, ascendimus ab ultimis usque ad prima, v. g., non est intelligens, non est spiritus, nec vivens, nec substantia, nec ens, ut a nobis haec omnia naturaliter pro statu viae cognoscuntur. Sicut cum homo induitur, incipit a subucula seu interula, deinde procedit ad thoracem, inde ad tunicam et denique ad pallium; cum vero exuitur, e converso modo primo deponit pallium, deinde tunicam, etc.

Quaeres *sexto* quomodo incognoscibilitas Dei tegatur et obveletur a rebus creatis? — Respondeo non obvelari a rebus creatis in se, nec enim ex rebus creatis desinit intellectus ad Deum cognoscendum ascendere, nam invisibilia eius per visibilia mundi intellecta conspiciuntur (5). Est tamen haec cognitio aenigmatica, cum videamus Deum nunc per speculum in aenigmate (6), et sicut in figura aenigmatis obvelatur significatum, ita in rebus creatis cognitis seu in modo cognoscendi Deum ex creaturis obvelatur et absconditur ipse Deus, qui est incognoscibilis in se *quoad quid est*, et per consequens etiam obvelatur incognoscibilitas eius, cum cognoscatur per modum cognoscibilis quod est incognoscibile.

Ipsa etiam caligo supernaturalis seu incognoscibilitas Dei non quidem illuminatur a lumine rerum, sed potius absconditur et tegitur ab illo, ut in ultimis verbis inquit S. Doctor; lumen enim rerum, ut explicat S. Maximus (7), est cognitio rerum qui non detegit, sed contegit divinum arcanum.

---

(3) In ed. 1684 legitur: « *vel* » pro « *sed* ».

(4) Cf. S. MAXIMUS, *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap. 2; Migne, P. G., t. 4, col. 423. — Text. graec., *ib.*, col. 424.

(5) *Rom.*, cap. I, v. 20; Hetzenauer, p. 1098: *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

(6) I. *Cor.*, cap. XIII, v. 12; Hetzenauer, p. 1120: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.*

(7) l. c.; Migne, P. G., t. 4, col. 423: *In omnibus rebus. Eorum, inquit, quae sunt cognitiones, non detegunt Dei ignorationem, et in lucem adducunt; sed potius contegunt et occultant.* — Text. graec., *ib.*, col. 424.

CAPUT TERTIUM

QUAE SINT AFFIRMANTES DE DEO LOCUTIONES ET QUAE NEGANTES?

Iuxta Perionium (1).

In Theologicis quidem institutionibus ea, quae aientis Theologiae maxime propria sunt, diximus: id est, quomodo divina bonaque natura unica dicatur, quomodo trina: quodnam sit ex hac dictum Patris, et Filii nomen: quid divinum Spiritus sancti nomen declaret: quomodo ex incorporeo et individuo bono, in intimo corde bonitatis exorta sunt lumina, quomodo in eo ac in se ipsis, et alia in aliis mansione, quae eiusdem est, cuius propagatio aeternitatis, non amissa permanserint: quomodo denique Iesus omni essentia maior et superior, veram humanae naturae essentiam acceperit, aliaque omnia, quae a scriptis divinis enuntiata in Theologicis institutionibus celebrata sunt. In libro autem de divinis nominibus, quomodo bonus appelletur, quomodo esse dicatur, quomodo vita, sapientia, vis, caeteraque omnia, quae sunt divinorum nominum (2), animo intelligantur. In Theologia vero, quae in signis versatur, exposuimus, quae sint ab iis, quae sub sensum cadunt, ad divina nominum traductione, quae divinae formae, quae figurae divinae, partes, instrumenta: quae divina loca, qui ornatus, qui furores, quae tristitiae, irae: quae ebrietates, crapulae: quod iusiurandum, quae maledictiones, qui somni, quae vigiliae: omnesque aliae effectae (3) formae, quae ad divinam figurationem significandi causa comparatam pertinent. Te etiam intellexisse arbitror, extrema pluribus verbis, quam prima exprimi. Etenim Theologicae institutiones, divinorumque nominum explanatio, breviore sermone, quam Theologia, quae in signis versatur, tractari debuerunt. Quo enim ad superiora contendimus, eo magis verba aspectu rerum, quae sub mentem cadunt, contrahuntur. Quemadmodum etiam hoc tempore in caliginem, quae mentem superat, introeuntes, non brevem orationem, sed silentium, et intelligentiae privationem reperiemus. Atque (4) ibi quidem a summo ad extremum delabens oratio, pro modo descensus ad latitudinem ei respondentem porrigebatur. Nunc autem ab infimis ad summum ascendens, pro modo, et ratione ascensus contrahitur: atque post omnem ascensum unita erit, et coniungetur cum eo, qui verbis exprimi non potest. Sed cur, inquies, a primo positis divinis affirmationibus, ab ultimis incipimus divinis adimere, et negare? Quia, cum posuimus, et asseruimus id, quod omnem affirmationem superat ab eo, quod ei cognatius erat, affirmatio, quae esse ponitur, ponenda fuit. Cum autem id detrahimus, quod omni detractione ac negatione superius est, ab iis, quae ab illo remotiora sunt, detrahi oportuit. An non magis Deus est vita, et bonitas, quam aër, ac lapis? magisque non crapulatur, et non irascitur, quam non dicatur aut intelligatur?

---

(1) *De Mystica Theologia*, cap. 3; Lovanii, 1566, fol. 164v-165v.
(2) *Ib.*, fol. 165r: « *et* ».
(3) *Ib.*: « *effictae* ».
(4) *Ib.*: « *Atqui* ».

Iuxta Corderium (5).

In Theologicis quidem informationibus ea, quae affirmantis Theologiae maxime propria sunt, celebravimus: quomodo divina, bonaque natura unica dicatur, quomodo trina: quaenam secundum illam Paternitas dicatur, et quaenam Filiatio, quodve (6) velit sibi illa divina Spiritus denominatio: quomodo ex immateriali et individuo bono, cordialia ista bonitatis lumina pullularint, et in ipso, et in seipsis, et in se mutuo coaeterna propagationi mansione nusquam digrediendo permanserint: quomodo Iesus supersubstantialis, humanae naturae veritatibus substantiatus sit, et quaecumque alia a Scripturis exposita in Theologicis informationibus celebravimus. In libro autem de divinis nominibus, quomodo bonus nominetur, quomodo ens, quomodo vita, et sapientia, et virtus, et quaecumque alia spiritualem (7) Dei concernunt appellationem. In symbolica vero Theologia, quaenam nomina divina e rebus sensibilibus translata sint, quaeque divinae formae, quae figurae, quae membra, quae instrumenta, quae divina loca, qui ornatus, qui furores, quae tristitiae et irae, quaenam ebrietates et crapulae, quae iuramenta, quae maledictiones, qui somni, quae evigilationes, et quotquot aliae sunt symbolicae effigiationis Dei sacrae formationes et (8) figurationes. Arbitror etiam te deprehendere, quomodo extrema sint prolixiora prioribus: decebat enim informationes Theologicas, et divinorum nominum explanationem minus verbosa esse symbolica Theologia. Quanto enim ad altiora contendimus, tanto magis sermones nostri rerum intellectibilium (9) aspectibus contrahuntur: sicut etiam modo, dum caliginem illam, quae intellectum superat, ingrediemur, non in breviloquentiam dumtaxat, verum etiam in silentium perfectum, et intelligentiae defectionem incidemus. Atque in illis quidem a supremo ad infima derivans oratio, pro mensura descensus ad proportionatam latitudinem extendebatur. Nunc vero ab inferioribus ad id quod supremum eminet, ascendens, iuxta modum ascensionis contrahitur, et post omnem ascensum penitus obmutescet, atque ineffabili (Deo) tota coniungetur. Sed quorsum (inquies) a primo positiones divinas statuentes, divinam illam ablationem ab extremis auspicamur? quia nimirum, cum id, quod supra omnem positionem est, statuebamus, ab eo quod ipsi magis cognatum est, fundamentum affirmandi ponendum erat; verum, cum id tollimus, quod supra omnem est ablationem, ab iis quoque, quae maxime distant, removeri debebat; nonne Deus magis est vita, et bonitas, quam aër aut lapis? magisque non crapulatur, et non irascitur, quam non dicatur, aut intelligatur?

PARAPHRASIS.

In libro *Theologicarum Informationum* ea inculcavimus, quae magis propria sunt theologiae affirmativae: nempe, quomodo divina natura dicatur una et trina, etc. In libro autem *De Divinis Nominibus*, quomodo Deus dicatur bonus, vita, etc. In libro vero *De Symbolica Theologia*, quaenam nomina ex rebus sensibilibus ad Deum significandum translata sint, ut quae

---

(5) Migne, P. G., t. 3, col. 1031-1034.
(6) *Ib.*, col. 1034: « *quidve* ».
(7) *Ib.*: « *spiritalem* ».
(8) *Ib.*: « *ac* ».
(9) *Ib.*: « *intellectibilium* ».

sint formae divinae, quae figurae, etc. Puto etiam te iam pro comperto habere quomodo quae ultimo loco posuimus, diffusiora sint prioribus. Conveniens enim erat informationes theologicas paucioribus verbis comprehendi quam divina nomina, et haec etiam minus quam illa quae traduntur in symbolica theologia. Ratio est: quia quanto magis appropinquamus divinis, tanto magis deficiunt verba et cognitiones, magisque ad unitatem rediguntur; unde nunc quia caliginem divinam ingredimur, non solum utimur paucis verbis, sed in summo silentio constituimur et in carentia omnis cognitionis. In illis igitur doctrinis sicut locutio procedebat descendens a supremis ad infima, ita proportionabiliter extendebatur et impliabatur in plura verba; nunc vero procedentes e converso ascendendo ab inferioribus ad superiora, similiter proportionabiliter verba deficiunt et contrahuntur, ut postquam mens penitus ascenderit, obmutescat omnino et sic tota uniatur ineffabili Deo. Si autem quaeras cur positiones et affirmationes incipiamus ponere in Deo a primo illius praedicato, et per ablationem incipiamus tollere ab extremis et ultimis? In causa illud est, quod cum in Deo aliquid per affirmationem ponimus, incipere debemus tanquam a fundamento ab eo praedicato quod illi magis proximum et cognatum est. Quando vero ab eo tollimus quod posuimus, incipere debemus ab illis praedicatis quae a Deo maxime distant; magis enim proximum et proprium est praedicare de Deo quod sit vita et bonitas, quam quod sit aër aut lapis; sicut etiam magis proprium est negare de Deo quod crapuletur aut irascatur, quam negare quod sit effabilis aut intelligibilis.

QUAESTIO XXXII

QUAENAM SINT THEOLOGICAE INFORMATIONES DE QUIBUS HIC LOQUITUR D. DIONYSIUS?

Ex libris qui perierunt et iam non exstant inter opera D. Dionysii, unus erat iste quem intitulavit *De Theologicis Informationibus* seu (ut dicit D. Thomas in *Expos. lib. De Div. Nom.*, in princ. (1)) *De divinis hypoteposibus, id est, characteribus, in quo ea de Deo tradit, quae ad unitatem divinae essentiae, et distinctionem personarum pertinent, cuius unitatis et distinctionis sufficiens similitudo in rebus creatis non invenitur, sed hoc mysterium omnem naturalis rationis facultatem excedit.* Haec D. Thomas. Ideo igitur appellavit *De Theologicis Informationibus*, quia ea quae non possumus ex creaturis per naturalem rationem de Deo concipere, necesse est quod ex Scripturis sacris colligantur; nam ex principiis fidei vel saltem ex una de fide et altera praemissa naturali infertur conclusio quam appellamus theologicam, quales sunt istae informationes seu instructiones theologicae, ut patet ex omnibus exemplis quae S. Doctor adducit in nominibus Trinitatis, Paternitatis, Filiationis etc., quae vel sunt de fide, vel ex fide desumpta.

Si quaeras *primo* an conclusiones theologicae sint etiam de fide, saltem si utraque ex praemissis sit de fide immediate vel mediate? -- Quaestio ista mere est scholastica, quam excitant expositores D. Thomae ad I^{am} partem, quaest. 1, art. 8. Sed pro maiori intelligentia verborum D. Dionysii breviter respondemus: quod licet aliqui

(1) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374^{a}: *Qui intitulatur* De divinis hypotyposibus, *id est characteribus, ea de Deo tradidit quae...*

auctores extra scholam D. Thomae absolute affirment conclusiones theologicas ut sic formaliter esse de fide, si utraque praemissa sit de fide; discipuli tamen D. Thomae communiter docent conclusiones theologicas posse quidem esse de fide specificative seu originaliter ac virtualiter, non tamen formaliter et reduplicative ut conclusiones sunt.

Ratio est: quia principia fidei concurrunt ad conclusionem non immediate, sed mediante discursu rationis humanae, cui innituntur conclusiones theologicae. Sed quod soli rationi seu discursui humano immediate innititur, potest esse fallibile ob fallibilitatem discursus. Ergo non potest esse ut sic formaliter de fide.

Confirmatur: quia Summus Pontifex et concilia non possunt determinare aliquid esse de fide nisi deducendo ex principiis fidei, et tamen indigent peculiari assistentia Spiritus Sancti ad hoc ut talis determinatio et conclusio sit infallibilis et infallibiliter deducta ex immediate revelatis. Ergo ad hoc non sufficit theologicus discursus extra praedictam assistentiam quam habet Summus Pontifex et concilia; alias quilibet particularis theologus, de quo nescimus an illi assistat Spiritus Sanctus, posset determinare res fidei infallibiliter et esset superfluum recurrere ad Pontificem.

Si quaeras *secundo* an theologia quae agit de praedictis informationibus et conclusionibus theologicis, sit proprie scientia subalternata vel non subalternata, practica vel speculativa? — Respondeo *primo*: theologiam secundum se ut abstrahit ab inevidentia fidei et coniungitur scientiae Dei et beatorum, cui subalternatur, esse vere, proprie et perfecte scientiam; quia sic habet certitudinem et evidentiam, quae requiruntur ad perfectionem scientiae. Prout autem est in hoc statu viae, licet sit proprie et substantialiter scientia, non tamen in gradu perfecto; quia licet scientia subalternata sit proprie et substantialiter scientia etiam separata a subalternante, non tamen est perfecta scientia, donec illi coniungatur et evidenter cognoscat sua principia; dum enim est separata a subalternante, non cognoscit evidenter, sed credit sua principia ab alio cognita.

Respondeo *secundo*: theologiam esse scientiam subalternatam visioni beatificae et scientiae Dei, non tamen alicui scientiae naturali. Probatur: quia ideo musica, v. g., subalternatur arithmeticae, quia eius principia ab arithmeticis dependent; sed principia theologiae dependent a scientia Dei et beatorum, cum non possint sciri nisi per talem scientiam, quando manifestantur lumine gloriae; ergo, etc. Ubi notandum est in beatis esse duplicem scientiam, quarum una dicitur *matutina* et ipsi Deo conveniens, quae est visio beatifica; altera *vespertina*, per quam ex principiis cognitis lumine gloriae deducuntur conclusiones circa Deum virtute luminis naturalis. Theologia autem est subalternata scientiae matutinae seu visioni beatae, in qua manifestantur eius principia; non tamen scientiae vespertinae, quae est ipsamet theologia in statu perfecto. Dicimus etiam non subalternari scientiis naturalibus, quia est superioris ordinis; et licet aliquando utatur principiis aliarum scientiarum naturalium, ea accipit ab illis tanquam ab ancillis et inferioribus, quibus utitur, et non tanquam a superioribus et subalternantibus. Legendus de hoc noster Gabriel a S. Vincentio, Tom. I *Cursus theologici*, disp. 1, dub. 4 (2).

Respondeo *tertio*: theologiam esse simul speculativam et practicam tam eminenter quam formaliter. Probatur: quia cum sit superior omnibus scientiis, debet continere simul et eminenter quae in inferioribus sunt

(2) *In universam Primam partem Summae angelicae*, disp. 1, dub. 4; Romae, 1664, pp. 12b-17b.

divisim. Est etiam participatio visionis beatificae, quae simul est speculativa et practica, dum Deum speculatur et ad illius amorem dirigit. Item, quia obiectum materiale theologiae est simul speculativum et practicum; agit enim de Deo, qui est obiectum speculativum, et de actibus humanis, qui sunt obiectum practicum; et non solum obiectum materiale tale est, sed obiectum quoque formale, quod est Deus ut Deus est; qui non solum est summe speculabilis, sed est finis nostrarum actionum, ac proinde regula et mensura earum. Diffusius de hoc disserit praefatus Gabriel, loco citato, dub. 6 (3).

Si quaeras *tertio* quodnam sit obiectum theologiae scholasticae et quomodo in illo distinguatur a theologia mystica, a naturali et etiam a fide? — Respondeo obiectum materiale esse Deum ut cognoscibilem quocumque lumine. Obiectum formale esse quoque Deum ut Deus seu sub ratione Deitatis et non alicuius attributi. Quia omnia tractantur in illa sub ratione Deitatis; in hoc etiam convenit cum praedictis. Ratio formalis sub qua Deitas consideratur, est abstractio ab omni materia et potentialitate et divina revelatio virtualis. Probatur: quia abstractio a materia est ratio distinguendi genera scientiarum. Theologia autem habet gradum excellentiorem abstractionis a materia, non enim abstrahit solum a materia singulari ut philosophia, nec solum a sensibili ut mathematica, nec solum ab intelligibili ut metaphysica, sed etiam a potentialitate; agit enim de Deo ut Deus est, qui est actus purissimus. Divina autem revelatio formaliter sumpta est ratio sub qua fidei, a qua theologia accipit principia seu propositiones fidei, quibus mediante discursu deducit conclusiones, quae virtualiter continentur in principiis; et sic conclusiones eius sunt revelatae virtualiter, quia includuntur virtualiter in principiis formaliter revelatis. Unde considerat aliquid de suo obiecto ut virtualiter revelatum, et revelatio virtualis est ratio sub qua illud attingit.

Ex quibus constat quomodo distinguatur a metaphysica seu theologia naturali: quia ista licet contineat Deum intra suum obiectum, quod est ens reale ut sic, sed tantum ut cognoscibilem lumine naturali. A fide etiam distinguitur: quia Deus ut substat lumini revelationis formalis, est obiectum fidei; ut autem substat lumini revelationis virtualis, est obiectum theologiae. Theologia autem mystica acquisita coincidit cum fide, est enim actus eius. Infusa vero sumpta pro habitu est donum sapientiae; et pro actu est actus huius doni vel alicuius luminis superioris et considerat Deum ut est contemplabilis per lumen formaliter supernaturale et infusum sine discursu, ac proinde est actus formaliter et simpliciter supernaturalis; in quo differt a theologia scholastica, quae ideo non est simpliciter supernaturalis: quia utitur principiis supernaturalibus ut subsunt discursui rationis, ut diximus quaestione 4 prooemiali. De doctrina huius quaestionis et aliis pertinentibus ad naturam theologiae videantur thomistae ad praedictam quaestionem 1 primae partis D. Thomae, nobis enim non expedit in quaestionibus mere scholasticis amplius immorari.

(3) Ed. cit., pp. 20a-24a.

QUAESTIO XXXIII

QUAENAM PERTRACTET SANCTUS DIONYSIUS IN LIBRO DE DIVINIS NOMINIBUS ET IN LIBRO DE THEOLOGIA SYMBOLICA, QUORUM HIC MEMINIT?

Hoc explicat D. Thomas in praedicta *Expositione D. Dionysii*, ubi post verba quaestione praecedenti relata addit (1): *Quae vero dicuntur de Deo in Scripturis, quorum aliqua similitudo in creaturis invenitur, dupliciter se habent. Nam huiusmodi similitudo in quibusdam attenditur secundum aliquid quod a Deo in creaturis derivatur; sicut a primo bono sunt omnia bona, et a primo vivo omnia viventia, etc. Et haec pertractat Dionysius in libro De divinis nominibus. In quibusdam vero similitudo attenditur secundum aliquid a creaturis in Deum translatum, sicut Deus dicitur leo, petra, sol, etc.. Sic enim Deus symbolice et metaphorice nominatur, et de iis tractavit in libro De symbolica Theologia.* Haec D. Thomas (2). Librum autem *De Divinis Nominibus* habemus, ille vero qui est *De Symbolica Theologia* iam non exstat.

Si quaeras utrum ea quae pertinent ad symbolicam theologiam, quibus Deus in Scripturis metaphorice nominatur, spectent ad sensum litteralem sacrae Scripturae, an ad spiritualem? — Sensus litteralis ille est, quem Spiritus Sanctus immediate significare voluit per ipsas voces et litteras; sensus vero spiritualis seu mysticus est ille, qui non significatur immediate per voces, sed per res vocibus ipsis significatas; proprium enim est Dei tribuere rebus in sua prima productione (etiam manentibus in ordine rerum) ut possint alias res significare.

Opinio igitur fuit Lyrae metaphoras et parabolas sacrae Scripturae pertinere ad sensum spiritualem tantum, et non litteralem; ac proinde ea loca in quibus metaphoris utitur, non habere sensum litteralem. Tum quia plures ex sanctis Patribus dicunt in istis figuratis locutionibus non esse quaerendum sensum litteralem, sed mysticum et spiritualem. Tum quia alias continerent mendacium et essent in Scriptura multa absurda, etc.

Dicendum tamen est cum communi sententia theologorum in figuratis locutionibus Scripturae dari sensum litteralem improprium; et est ille quem immediate significant ex intentione Spiritus Sancti. Probatur: quia alias praedicta loca non haberent sensum litteralem, nec spiritualem, cum iste fundetur in litterali; quod indignum esset Spiritu Sancto proferente praedicta verba. Unde nullum datur mendacium, nec sequitur absurdum, cum tales locutiones non significent quod voces exprimunt, sed quod Spiritus Sanctus sub his figuris intendit; dicitur enim Christus leo, v. g., non secundum naturam, sed secundum fortitudinem. Cum autem sancti Patres dicunt quaerendum esse sensum spiritualem et non litteralem in his locutionibus, solum intendunt persuadere ut non sistamus in cortice litterae, sed inquiramus quid voluerit significare Spiritus Sanctus; quam significationem appellant sensum spiritualem, non tamen in acceptione communiter recepta et ut distinguitur a litterali, quem ipsi non negant. Per quod patet ad rationes Lyrae responsum.

---

(1) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374a: *... viventia, et sic de aliis similibus; et alia pertractat...*

(2) l. c.: *..., sol, vel aliquid hujusmodi, sic enim Deus symbolice vel metaphorice nominatur; et de hujusmodi tractavit Dionysius in quodam suo libro quem* De symbolica theologia *intitulavit.*

Si adhuc quaeras an sicut sensus spiritualis dividitur in tropologicum, allegoricum et anagogicum, ita litteralis solum dividatur in proprium et symbolicum seu metaphoricum? — Respondeo: hanc esse principalem divisionem sensus litteralis, sed plures alias divisiones et subdivisiones afferri ab auctoribus, quas brevitatis causa omitto. Sensus igitur litteralis, quem Spiritus Sanctus immediate per voces sive proprias, sive figuratas significare voluit, ille intelligitur esse, qui vel unanimi consensu sanctorum Patrum recipitur, vel a conciliis et Summo Pontifice declaratur ut talis, vel qui ex antecedentibus et consequentibus contextus aperte colligitur, quamvis de aliquibus locis obscurioribus sint diversae sententiae. Qui licet possit dividi in vocalem et significativum, de vocali, utpote valde materiali, non curamus, sed de significativo.

Hic *significativus* sensus sumitur formaliter ex significatione vocis et vel est proprius, vel figurativus. *Proprius* est, qui sumitur secundum propriam significationem; qui dicitur *historicus*, quando simpliciter narrat dictum vel factum; vel dicitur *aetiologicus*, quando reddit rationem dicti vel facti; vel dicitur *analogicus*, quando ostenditur convenire cum aliis locis. *Figurativus* est, qui sumitur secundum significationem figuratam, ut per metaphoram, vel per hyperbolem, vel per ironiam, etc. Omitto nunc *accommadatitium*, *propheticum* et *physicum*, de quibus videri possunt scripturistae et expositores D. Thomae in I part., quaest. 1, art. 10.

QUAESTIO XXXIV

UTRUM THEOLOGIA SYMBOLICA SEU METAPHORICA COMPREHENDAT OMNIA AD QUAE SE EXTENDIT SENSUS FIGURATIVUS, ET SENSUS ISTE SE EXTENDAT AD OMNES FIGURAS ET TROPOS, DE QUIBUS AGUNT RHETORICI?

Suppono tropos a figuris discriminari in hoc quod *tropus* est mutatio a propria significatione in aliam, sive hoc fiat in solis verbis, sive in sermone seu oratione coniuncta. *Figura* autem consistere potest in propria significatione verborum et minime translata, sive hoc fiat per adiectionem, sive per detractionem, sive per similitudinem. Tropi igitur qui consistunt in verbis, sunt *metaphora;* quae est translatio a propria ad impropriam significationem propter aliquam similitudinem. Sic Christus dicitur leo et agnus. *Synecdoche*, quae sumit partem pro toto, vel totum pro parte, aut antecedentia pro consequentibus et e contra; *Gen.*, XXIII (1): *Sepelivit Abraham uxorem suam. Metonymia*, quae sumit causam pro effectu, effectum pro causa, continens pro contento, signum pro re; ut *Luc.*, XIII (2): *Hierusalem, quae occidis Prophetas. Psal.* 22 (3): *Calix meus inebrians*, etc. *Antonomasia*, quae aliquid ponit pro nomine vel pro particulari ratione excellentiae, quod est commune pluribus, ut Christus dicitur *Filius hominis. Onomatopoeia*, quae fingit nomina non habenti illa; *Hier.*, L (4): *Mugistis sicut tauri. Catachresis*, quae abutitur vocabulis tribuens rei quae nomen non habet, aliud ex propinquo; ut *Aedificavit costam in mulierem*, *Genes.*, II (5).

---

(1) v. 19; Hetzenauer, p. 19: *Sepelivit Abraham Suram uxorem suam.*

(2) v. 34; Hetzenauer, p. 1026: *Ierusalem, Ierusalem, quae...*

(3) v. 5.

(4) v. 11.

(5) v. 22; Hetzenauer, p. 2: *Et aedificavit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.*

Metalepsis, quae unum pro alio distanti ponit; Virgilius (6): *Mirabor aristas.*

Tropi qui consistunt in sermone seu pluribus vocibus ligatis, sunt *allegoria*, quae aliud verbis, aliud sensu ostendit. Et quum est obscurior, dicitur *aenigma*, ut *De comedenti exivit cibus, etc. Iud.*, XIV (7). *Ironia* est quae ostendit sensum contrarium verbis cum irrisione; *Gen.*, III (8): *Ecce Adam quasi unus ex nobis*, etc. *Antiphrasis*, quando oppositum a significato intendit; III *Reg.*, XXI (9): *Benedixit Naboth Deum et regem*, id est, maledixit. *Periphrasis*, quae pluribus verbis dicit quod paucioribus poterat; *Cant.*, I (10): *Osculetur me osculo oris sui. Hyperbaton*, quae dividit verba et ordinem transgreditur; ut *Septem subiecta trioni* (11). *Hyperbole*, quae nimium rem augit vel minuit; *Genes.*, XXII (12): *Multiplicabo semen tuum sicut stellas coeli*, etc.

Figurae, aliae sunt grammaticales, aliae rhetoricae. *Grammaticales* sunt: *eclipsis*, quando subintelligendum est aliquid quod in oratione deest. *Zeugma*, quando quod deest, sumitur de proximo manente in eodem genere, numero et casu. *Syllepsis*, quando quod deest de proximo assumitur mutato tamen genere, vel numero, vel casu. *Prolepsis*, quando quod primum dicitur in oratione, intelligitur in ceteris partibus. *Enallage*, quando una pars orationis ponitur pro alia. *Archaismus* (13), antiqua locutio quae usu non venit. *Hellenismus*, oratio quae servat leges Graecorum.

Figurae rhetoricae in verbis *per adiectionem* sunt: repetitio, conversio, complexio, conduplicatio, traductio, synonymia, polysyntheton, gradatio. *Per detractionem*: dissolutio, adiunctio, disiunctio, synecdoche. *Per similitudinem*: annominatio, cadens, desinens, compar, antitheton, commutatio.

Figurae in sententiis: *interrogatio*, quae interrogat non quasi rogans, sed instans. *Responsio*, quae respondit interrogationi. *Subiectio*, quando orator seipsum interrogat sibique respondit. *Occupatio*, quando praeoccupat quae sibi poterant obiici. *Correctio*, quando emendat priorem sententiam per aliam magis idoneam. *Dubitatio*, quod nobis dicendum sit, quaerit. *Communicatio*, quando ipsos consulimus adversarios. *Prosopopoeia*, ficta personarum inductio. *Apostrophe* seu sermo aversus a re praesenti. *Hypotyposis*, quando res ita exprimuntur, ut ipsis oculis conspici videantur. *Aposiopesis*, quando aliquid supprimitur ad exprimendum affectum. *Ethopeia*, imitatio seu repraesentatio vitae et morum alicuius. *Emphasis*, quando in aliquo dicto aliquid venustum latet. *Sustentatio*, qua diu suspenduntur auditorum animi. *Praetermissio*, cum dicimus a nobis praeteriri ea quae tunc maxime dicimus. *Licentia*, quando dicitur aliquid quod licet non offendat, est caput eius quod vereri aut metuere debebat. *Concessio*, cum aliquid datur adversario, ut inde acrius urgeamus. *Distributio*, cum aliquid in multis partibus dividimus et singulis suam explanationem adiicimus. *Permissio*, cum multum confidimus causae eamque adversarii arbitrio committimus. *Deprecatio*, cum auxilium imploramus. *Exsecratio*, quando malum alicui imprecamur. *Epiphonema* est rei iam dictae et probatae summa acclamatio. *Exclamatio*, significatio doloris aut indignationis per alicuius rei compellationem.

Haec breviter dumtaxat (licet prolixius fateor quam par erat ad propo-

(6) *Bucolica*, ecloga I, v. 70; *Oeuvres complètes*, collect. Nisard, Paris, 1843 p. 163a.

(7) v. 14.

(8) v. 22.

(9) v. 10 et 13.

(10) v. 1.

(11) VIRGILIUS, *Georgica*, lib. III, v. 381; *Œuvres complètes*, collection Nisard, Paris, 1843, p. 212a.

(12) v. 17.

(13) « *Archarismos* » in ed. 1684, p. 527b.

situm nostrum) occasione data recensere volui, cum ex hoc capite Dionysii paucas possim movere mysticas quaestiones, et fortasse per ista a materia nostra nonnihil extranea utilitati etiam consultum est. Quibus igitur suppositis,

Dicendum est: nec symbolicam theologiam, ut metaphorica est, se extendere ad omnia ad quae sensus figurativus, nec sensus figurativus ad omnes tropos et figuras rhetoricae. Ratio est: quia symbolica theologia metaphorica solum agit de metaphoris sub quibus Deum aut actiones eius possumus per aliquam similitudinem indagare; hoc enim testantur exempla quae Dionysius adducit in hoc capite; hoc etiam sic intelligit D. Thomas loco supra citato (14). Sensus autem figurativus ad plura alia se extendit quam ad metaphoras, ut vidimus quaestione praecedenti. Si autem symbolica theologia sumatur in tota sua amplitudine, latius videtur patere quam sensus figurativus, ut dicemus quaestione sequenti.

Deinde sensus figurativus solum comprehendit ea quae habent significationem figuratam et non propriam. In figuris autem rhetoricis (ut diximus in praenotatione) non semper invenitur significatio translata, ut videre est in fere omnibus figuris a nobis supra numeratis. Tropi autem ut in plurimum cadunt sub sensu figurativo, cum in omnibus fere inveniatur sufficiens permutatio significationis; quod praedicta consideranti facile patebit.

Obiicies: Sensus figurativus, ut ipsum nomen indicat, est de locis Scripturae figuratis seu figuram aliquam continentibus. Ergo non solum ad tropos, sed ad figuras etiam se extendere debet. — Confirmatur: quia Scriptura sacra utitur omnibus vel fere omnibus figuris tam grammaticalibus quam rhetoricis a nobis recensitis, ut se Spiritus Sanctus accommodaret in illa captui et modo nostro loquendi et intelligendi. Sed figurae istae ad nullum sensum possunt pertinere nisi ad figurativum. Ergo ad illum spectant. Minor probatur: quia non pertinent ad sensum proprium, nempe historicum, theologicum aut analogicum, nec ad accommodatitium, nec ad propheticum, nec ad physicum; ergo ex sufficienti partium enumeratione ad figurativum pertinet.

Respondetur ad argumentum concedendo antecedens et ad consequentiam dicendum: supponere tropos non esse figuras, quod est falsum. Tropi enim figurae etiam sunt, sed tribuitur illis hoc nomen graecum significans conversionem, mutationem aut translationem, ut discernantur ab aliis figuris, in quibus non necessario invenitur translatio. Cum autem sensus figurativus sit in vocibus translatis a propria ad impropriam significationem, ideo se extendit ad tropos et non ad figuras illas quae translationem non important. — Ad confirmationem concedo maiorem et nego minorem; et ad probationem nego antecedens; aliquae enim ex illis pertinent ad sensum historicum, aliquae ad alios sensus iuxta materiam de qua agitur; v. g., *Genes.*, III, v. 8: *In medio ligni paradisi*, id est, lignorum, per figuram enallagem, pertinet ad historiam; *Ioan.*, XVI, v. 20: *Amen amen dico vobis, quia, etc.* est figura conduplicationis, pertinet ad aetiologicum. Item *Ioan.*, X, v. 34: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dii estis, etc.* est figura interrogationis et pertinet ad analogicum; et sic de ceteris.

---

(14) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nomin. comment.*, prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374.

QUAESTIO XXXV

QUID DENIQUE SIT THEOLOGIA SYMBOLICA GENERALITER SUMPTA, QUIBUS ETIAM NOMINIBUS APPELLETUR ET QUOMODO DIVIDATUR?

Post S. Dionysii librum, qui vel alicubi delitescit, vel non amplius exstat, *De Symbolica Theologia*, multi alii auctores de hac materia scripserunt; ut Ioannes Cyparissiotus, *Decade I* (1), Eucherius Episcopus Lungdunensis in libro *Formularum spiritualis intelligentiae* (2), Theodoretus, cuius operis de hac materia meminit Brassicanus (3), et post plures alios, quos ipse refert, Maximilianus Sandaeus (4). Ex quibus colligitur

Primo: hoc nomen *symbolum*, a quo theologia ista appellatur *symbolica*, plusquam viginti pollere significationibus, quas fere omnes Bochius quibusdam versibus colligit ut *Symbolicis quaestionibus* (5) praefigeret; ex quibus tamen significatis ea sunt praecipua, quae Deum respiciunt et ad intentum pertinent nostrum; ac primo quidem symbola dicuntur *breves quaedam sententiae sensum aliquem argutum recondentes*, qualia exstant *symbola Pythagorae* (6). Secundo etiam symbola dicuntur *notae aliquae significativae alicuius mysterii*, ut apud Aegyptios *ibis* designabat salutem publicam, *canis* vigilantiam, *leo* fortitudinem, etc.; immo et masculine *symboli* appellabantur litterae sive notae quibus indicabatur locus quo essent milites conventuri, de quo meminit Iustinus, lib. I. In quibus sensibus dicuntur symbola et symbolica signa illa quae in sacra Scriptura perfectionum Dei vel sacrorum mysteriorum significatum obscurum et figuratum involvunt, sive in versibus simplicibus, sive compositis. De quorum verborum sensu extorquendo agit symbolica theologia.

Secundo colligitur quod theologia symbolica possit definiri *doctrina de Deo et de rebus divinis symbolo involutā et explicata*. Unde variis nominibus quasi quibusdam brevioribus definitionibus solet appellitari *sacra theologia significativa, theologia umbratica, theologia arcana, theologia mystica*, non tamen in eo sensu in quo sic appellamus contemplationem obscuram, de qua D. Dionysius in hoc libro, sed quatenus sub cortice verborum absconditur sensus; *mysticum* enim idem est ac absconditum et occultum, ut saepe diximus.

Tertio colligitur quomodo dividatur theologia symbolica. In primis enim partes ex quibus constat subiectum eius, duae sunt: altera *externa*, quae apparet et potest dici cortex et umbra; altera *internā*, quae latet mystice in symbolo et est sensus eius arcanus. Dividitur autem totum symbolum generaliter in illud quod est per figurationem rei et illud quod fit per translationem verbi. Ad figurationem rei spectant imagines rerum vel personarum sensibiles, ut scala Iacob (7), tres viri qui apparuerunt Abraham (8), etc. Ad vocalem seu translationem verbi pertinent quae magis ad intellectum quam ad sensum spectant, ut sunt verba figurata quae

(1) *Expositio eorum quae de Deo a theologis dicuntur in decem decades partita*, Decas I *De theologia symbolica;* Migne, P G., t. 152, col. 745-760.

(2) *Formularum spiritalis intelligentiae ad Uranium liber unus*, Migne, P. L., t. 50, col. 727-772.

(3) *Epistola in S. Eucherium*, Migne, P. L., t. 50, col. 701-702.

(4) *Theologia mystica seu Contemplatio divina Religiosorum a calumniis vindicata*, commentatio II exercitatio 1; Moguntiae, 1627, pp. 3-4.

(5) BOCHIUS (Achilles —), *Symbolicarum quaestionum, de universo genere, quas serio ludebat, libri quinque*, lib. I, symbol. I; Bononiae, 1624, pp. III-V.

(6) *Symbola Pythagorae philosophi*, Venetiis, in aedibus Aldi, 1497.

(7) *Genes.*, c. XXVIII, v. 12 sqq.

(8) *Genes.*, c. XVIII, v. 2 sqq.

Deo membra, vel passiones, vel vitia tribuunt, ut iras, ebrietates, somnolentiam.

Deinde illa quam diximus sensibilem, potest subdividi secundum quinque sensus; nimirum, in eam quae cadit sub sensum visus, ut scala Iacob (9); et in eam quae ad aures pertinet, ut vox quae audita fuit in Iordane (10) et in Thabore (11), etc.; et quae ad odoratum, ut *odor agri pleni, Genes.*, XXVII (12), et odor vinearum, *Cant., II* (13), et quae ad gustum, ut sapor, manna, *Sap.*, XVI (14); et quae ad tactum ut hispiditas Esau et lenitas Iacob, *Genes.*, XXVII (15); quibus possunt attribui quae sensibus internis per modum visus, auditus vel tactus, etc. proponuntur.

Denique secundum diversas res subiectas et diversum modum significandi dividitur theologia symbolica in *parabolicam*, *paroemialem*, *aenigmaticam*, *fabularem* et *hieroglyphicam*. Quam divisionem dicunt esse generis in species, sed certe differentia specifica in omnibus fere videtur solo nomine consistere.

Parabolica, est quae respicit sensum parabolarum; licet enim parabolice sumpta multoties confundatur cum aliis speciebus et illae ad invicem sumantur una pro aliis; stricte tamen et proprie loquendo *parabola*, quae vox graeca est a latinis usurpata et significat comparationem adiectam, definitur a Donato : *comparatio rerum genere dissimilium;* a D. Thoma, Iª part., quaest. 1, art. 10 (16) : *sententia habens obscuram similitudinem;* alii aliter.

Unde similitudo videtur amplius patere quam parabola, quia *similitudo potest esse tam de obscuris quam de clarioribus et manifestis.* Distinguitur etiam ab *historia*, quia haec semper res veras spectat et narratur sine comparatione; *parabola* autem est historia ex conflictis et licet aliquando sint vera, proponuntur tamen ut ficta et comparationem habet respectu alterius rei. Differt etiam ab *exemplo* eodem modo, quia exemplum est pars historiae et non est ad aliud significandum, sed arguendum et probandum. Differt etiam ab *allegoria* sacra seu theologica, quia haec est de rebus gestis in veteri testamento ad significanda mysteria novi testamenti et proponit illas ut veras; in quo differt a parabola. *Allegoria* vero rhetorica, quae est figura aliud verbis aliud sensu ostendens, sub se continet *parabolas*, *paroemias*, etc. A *paroemia* autem proverbio et adagio parum differt aut nihil, nisi quod sint parabolae quaedam breviores. A *metaphora* differt, quia in ista semper est translatio verbi; in parabolis vero non semper, sed potest propriis constare, ut in parabola de virginibus (17) et de thesauro (18) constat.

Paroemialis dicitur a *paroemia*, quae est parabola brevis et differt a *proverbio* in hoc quod hoc sit magis triviale et passim omnibus obvium sicut *adagium*, a quo non video differentiam habere. Paroemiae igitur sacrae Scripturae, utpote minus triviales, melius parabolae dicentur, ut sunt omnes parabolae Salomonis. Paroemia magis videtur illa I *Reg.*, X (19) : *Num et Saul inter Prophetas?*

Aenigmatica dicitur ab aenigmate, quod est oratio rem notam quam significat, ambagibus tegens, et coincidit cum gripho, et differt a parabola et proverbio in maiori obscuritate; quorum plura sunt genera. Primo, quando sub una littera arcanum te-

(9) *Genes.*, c. XXVIII, v. 12 sqq.
(10) *Matth.*, c. III, v. 17.
(11) *Luc.*, c. IX, v. 35.
(12) v. 27.
(13) v. 13.
(14) v. 2.
(15) v 11 et cap. XXV, v. 25.
(16) Quoad sensum.
(17) *Matth.*, c. XXV, v. 1-13.
(18) *Matth.*, c. XIII, v. 44.
(19) v. 11-12. — In ed. 1684, p. 529b erronee legitur : « *I Reg.*, 11 ».

gitur, ut *Apoc.*, I (20): *Ego sum Alpha et Omega.* Secundo, sub litteris pluribus non coeuntibus; *Ierem.*, XIV (21): *A, a, a, Domine Deus.* Tertio, sub syllabis, *Apoc.*, XII (22): *Vae terrae.* Quarto, sub dictione integra et comprehendit omnes tropos, quae verbo uno absolvuntur. Quinto, sub sententiis, *Iud.* XIV (23): *De comedente exivit cibus*, etc. Sexto, sub locutionibus mutantibus genus vel numerum, vel casum, vel personam contra leges grammaticae, ut quando Deus in numero plurali ponitur *Genes.*, I: Elohim creavit. Sub aenigmatica potest cadere *emblematica;* emblema enim non ita obscurum est atque aenigma et saltem imagine, vel pictura, aut aliquo vices gerente a proverbio differt.

Fabularis dicitur a fabula, quae est narratio ficta relata ad veritatem; unde solet confundi cum prabola et grammaticaliter non videntur distare; sed iam parabola ad sacratiores res admittitur et restringitur ad illas enarrationes quae ad finem aliquem moralem ordinantur, ut ad erudiendos homines et ad inflammandum affectum, cum fabula iam pro re inutili et ridicula accipiatur; de quo Salmeron, tom. VII, tract. I (24). Magis aequivocatur fabula cum *apologo*, qui licet etiam sumatur pro defensione cum reiectione opinionis contrariae, sumitur etiam pro oratione in qua primus et verus sensus alteri sententiae accommodatur, seu, ut definit Hesychius (25), apologus est fabula in qua bruta animantia introducuntur loquentia, ut fecit Aesopus (26); et in veteri testamento aliqui sunt apologi ,ut est ille de arboribus quaerentibus regem, *Iud.*, IX (27) et ille cardui ad cedrum postulantis filiam eius, IV *Reg.* XIV (28) et ille lignorum excitantium se ad bellum contra mare, IV *Esdr.*, IV (29).

Hieroglyghica seu *hierographica* theologia, quae pro ultima specie symbolicae assignatur, est quae sacris imaginibus et figuris utitur pro litteris ad cognitionem rerum divinarum; ipsum enim nomen idem sonat, nam graece *hiero* sonat idem quod sacrum et *glyphis* quod sculptura. His usi sunt sapientes Aegyptii, de quo late Pierius Valerianus (30), et parum distant ab emblematibus, aenigmatibus et parabolis, saltem postquam iam ab sculptura ad litteras et verba se transtulere imagines; unde saepius unum pro altero sumitur.

Ex quibus deducitur theologiam symbolicam in tota sua latitudine includere omnes vel fere omnes sensus figurativos et insuper se extendere ad plures sensus mysticos et spirituales parabolarum et paroemiarum, cum sensus figurativus restringatur ad solum litteralem, cuius est species, ut supra vidimus.

---

(20) v. 8.

(21) v. 13 et c. I, v. 6.

(22) v. 12.

(23) v. 14.

(24) SALMERON (Alphonsus —), S. I., *Commentarii in Evangeliram Historiam, et in Acta Apostolorum*, tom. VII, tract. I, §. *Differt tertio parabola;* Coloniae Agrippinae, 1612-1615, p. 4b.

(25) Cf. SALMERON, l. c.

(26) *Fabulae Aesopicae*, Lipsiae, 1829.

(27) v. 8-15.

(28) v. 9.

(29) v. 13 sqq. — Apud Hetzenauer, p. 1221, inter deuterocanonicos libros.

(30) PIERIUS VALERIANUS (IOANNES —), *Hieroglyphica, sive de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium literis, Commentariorum libri LVIII.* Francofurti ad Moenum, sumptibus Christiani Kirchneri, typis Wendelini Moewaldi, 1678. in-4o.

QUAESTIO XXXVI

QUOMODO SE HABEAT MYSTICA THEOLOGIA AD SYMBOLICAM ET AD ALIAS ENUMERATAS IN HOC CAPITE ILLAEQUE INTER SE?

Mysticam theologiam debere removere a Deo omnia nomina et conceptus qui per *Theologicas informationes* et per tractatum *De Divinis Nominibus* et per *Theologiam symbolicam* formantur docet D. Dionysius et constat ex saepe dictis in hoc libro. D. etiam Thomas loco supra citato supra libro *De Divinis Nominibus* post illa quae dixerat de symbolica theologia, addit (1): *Sed quia omnis similitudo creaturae ad Deum est deficiens, et hoc ipsum, quod Deus est, omne id quod in creaturis invenitur, excludit; quidquid in creaturis a nobis cognoscitur, a Deo removetur, secundum quod in creaturis est, ut sic post omne illud, quod intellectus noster ex creaturis manuductus de Deo concipere potest, hoc ipsum, quod Deus est, remaneat occultum et ignotum. Non solum enim Deus non est lapis aut sol, qualia sensu apprehenduntur, sed nec est talis vita aut essentia, qualis ab intellectu nostro concipi potest, et sic hoc ipsum, quod Deus est, cum excedat omne illud, quod a nobis apprehenditur, nobis remanet ignotum. De huiusmodi autem remotionibus, quibus Deus remanet nobis ignotus et occultus fecit Dionysius alium librum, quem intitulavit* De mystica, *id est, occulta* Theologia Haec D. Thomas.

Dicendum ergo est mysticam theologiam se habere ad alias notitias Dei tanquam carentem nominibus et conceptu saltem expresso ad utentes pluribus nominibus et conceptibus, alias autem notitias inter se tanquam paucioribus nominibus utentes ad utentes pluribus et e contra. Quod patet ex contextu D. Dionysii. Simulque intelligitur quare ipse dicat *extrema esse prolixiora prioribus*, id est, symbolica theologia aliis praecedentibus tractatibus; et quod pro mensura descensus e supremo ad infima proportionabiliter extendatur oratio seu copia verborum, et pro mensura ascensus contrahatur, donec in mystica theologia penitus obmutescat dum coniungitur ineffabili. Ratio est: quia quo magis a Deo elongamur, magis in multiplicationem incidimus; et quo magis ipsi coniungimur qui est simplicissimus, eo magis ad unitatem redigimur.

Exemplum sume a circulo, a cuius centro ad circumferentiam ducantur lineae, quo enim lineae magis a centro separantur, magis inter se proportionabiliter distant; et quo magis centro appropinquant, magis inter se coniunguntur, donec omnes ad punctum reducantur. Est ergo centrum Deus; et mystica theologia unita Deo nulla divisibilitate seu multiplicitate verborum aut conceptuum potest extendi. Sequitur ad ipsam theologia illa quae est *De Informationibus Theologicis*, et iam extenditur seu ampliatur in aliqua vocabula SS. Trinitatis, Paternitatis, Filiationis, etc., quia iam distat aliquid a Deo prout est in se. Deinde sequitur tractatus *De Divinis Nominibus*, quae cum ex similitudinibus creaturarum desumantur, adhuc magis a Deo distant et magis etiam ampleantur, scilicet quod sit ens, vita, sapientia, virtus, etc. Denique sequitur *Symbolica Theologia*, quae cum tractet de nominibus metaphoricis Deo sub propria significatione repugnantibus et magis distantibus, magis etiam multiplicat nomi-

(1) *Opusc.* VII *In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria*, prolog.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 374: *... ad Deum deficiens est, ... quod in creaturis invenitur excedit; quidquid... fecit alium librum,...*

na, quae ex innumeris creaturis possunt desumi; scilicet sol, lux, mare, fons, petra, leo, agnus, aquila, columba, etc.

Obiicies: Nomen Trinitatis, Paternitatis, Filiationis, etc. non distant a Deo, immo vere dicuntur de illo. Ergo non debent de eo negari et removeri. Nec sufficit dicere non removeri a Deo secundum rationem quam dicunt, sed secundum quod concipiuntur a nobis. Nam contra hoc est: quia fides non solum manifestat nobis Deum esse Trinum, scilicet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, sed etiam docet et saltem per theologiam declarat quid importetur per haec nomina, alias solum de nominibus informaret. — Respondetur admittendo solutionem; et ad instantiam respondetur: fidem certos nos reddere de Deo quod sit Trinus et Unus, videlicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, *quoad an est*, non autem *quoad quid est* clare et distincte, hoc enim pertinet ad visionem beatam; quod autem per se vel per theologiam scholasticam nobis declarat de significato horum nominum *quoad quid est*, est tantum aenigmatice et per conceptus confusos et imperfectos, quos possumus formare ex cognitione creaturarum per aliquam analogiam et similitudinem; et ideo negantur et removentur in theologia mystica, quia non sunt haec significata in Deo eo modo quo a nobis in hac vita concipiuntur.

Si quaeras, quare S. Dionysius in fine huius capitis dicat positiones divinas statuendas a primo praedicato et remotiones auspicandas ab ultimis et quod Deus magis sit vita et bonitas quam aër, etc. Dicendum est hoc iam patere ex dictis ad finem capitis secundi. Nunc autem rationem iterum reddit: quia primum praedicatum, scilicet esse ens, est fundamentum aliorum praedicatorum, ideoque primo erat iaciendum et postremo removendum. Additque istas positiones, quas ipse S. Doctor in textu graeco vocat hypotheticas, scilicet *Deus magis est vita, et bonitas, quam aër aut lapis, magisque non crapulatur, et non irascitur, quam non dicatur, aut intelligatur.* Quia ratio vitae et bonitatis proprie et formaliter dicuntur de Deo ut perfectiones simpliciter simplices, ratio vero aëris aut lapidis solum dicuntur de eo metaphorice et per quamdam similitudinem; ideoque istae prius a Deo debent tolli, illae autem prius quam istae sunt ponendae.

Similiter dici et intelligi saltem confuse et imperfecte pro hac vita formaliter et proprie conveniunt Deo, licet enim sit ineffabilis quoad nomina quae ipsum clare, quidditative et comprehensive significent; effabilis tamen est saltem imperfecte et confuse, sicut est cognoscibilis. Et licet sit invisibilis et incognoscibilis clare et distincte naturaliter aut extra visionem beatam, est tamen cognoscibilis et intelligibilis etiam naturaliter aut extra visionem beatam saltem confuse et *quoad an est*. Quod autem Deus irascatur aut crapuletur, solum illi possunt competere metaphorice et improprie et ideo sicut magis convenit Deo dici et intelligi quam irasci et crapulari, ita magis ei convenit non irasci et non crapulari quam non dici nec intelligi; atque adeo primo ab eo removenda sunt ira et crapula quam dicibilitas et intelligibilitas.

CAPUT QUARTUM

QUOD NIHIL RERUM SENSIBILIUM SIT IS QUI OMNIS REI SENSIBILIS SECUNDUM EXCELLENTIAM EST AUCTOR

Lectio Perionii (1).

Dicimus ergo causam omnium, et quae omnia superat, nec essentia, nec vita carere, nec rationis, nec mentis expertum esse: nec corpus esse, nec figuram, nec formam: nec qualitatem, nec quantitatem, nec magnitudine esse praeditam: nec in loco esse, nec cerni, nec sensum tangendi habere, nec sentire, nec sub sensum cadere: nec ordinis vacuitatem habere, nec perturbationem a perturbationibus corporeis agitatam: nec imbecillem esse, opportunam incommodis quae accipiuntur sensibus: nec egere luce, nec mutationem, aut interitum, aut divisionem, aut privationem, aut fluxum (2), nec quidquam aliud eorum, quae sub sensum cadunt, vel esse, vel habere.

Lectio Corderii (3).

Dicimus ergo, causam omnium, et quae supra omnia est, nec essentiae, nec vitae, nec rationis nec mentis expertem esse, neque corpus existere, neque figuram, neque formam (4), neque qualitatem, aut quantitatem, aut molem habere, neque in loco esse, neque videri, neque tactum sensibilem habere, neque sentire, nec sub sensum cadere, nec inordinationem admittere aut perturbationem a passionibus materialibus excitatam, nec imbecillem esse, et sensibilibus casibus obnoxium; neque lucis indigum existere, neque mutationem, aut corruptionem, aut divisionem, aut privationem (5), neque fluxum, neque quidquam aliud eorum quae sub sensum cadunt, vel esse, vel habere (6).

Paraphrasis supervacanea est, cum littera pateat.

QUAESTIO XXXVII

QUARE HIC DICAT SANCTUS DOCTOR DEUM ESSENTIA, VITA, RATIONE ET MENTE NON CARERE, CUM IN SEQUENTI CAPITE EA IPSA DE ILLO NEGET?

In praesenti capite posuit sanctus Doctor differentiam procedendi in cognitione Dei vel per *theologiam symbolicam* vel per eam quae docuerat *de divinis nominibus*, vel per *informationes theologicas* et deinde per *theologiam mysticam*, in qua dicit omnimode silere omnia nomina quae ab illis traduntur. Iam ergo ad particularia descendens ut ab extremis removere incipiat, negat in isto capite omnia illa nomina rerum materialium, quae symbolicae cognitioni poterant inservire. Deinde in sequenti

(1) *De Mystica Theologia*, cap. 4; Lovanii, 1566, fol. 165v-166r.
(2) *Ib.*, fol. 166r « *aut fluxum* » deest.
(3) Migne, P. G., t. 3, col. 1039.
(4) *Ib.*, « *neque formam* » deest.
(5) *Ib.*, « *aut divisionem, aut privationem* » deest.
(6) *Ib.*: ..., *neque quidquam sunt, vel esse, vel habere.*

removet etiam non solum spiritualia illa quae in tractatu *De Divinis Nominibus* celebraverat, sed etiam quae per *Theologicas Informationes* fuerant inculcata. Unde se ingerit ratio dubitandi: si in sequentibus docturus erat Deum nec esse essentiam, neque vitam, neque mentem, neque rationem, cur statim pro huius capitis ingressu Deum illis non esse expertem praesupponit?

Dicendum est cum D. Maximo (1) ideo hoc fecisse Dionysium, ut per ista praemuniat auditorem ne in sequentibus negationibus existimet Deum omnino non esse, *sed in his* (inquit) *supponit ipsum existere, in illis vero secundum nihil eorum quae existunt, sed supra substantiam esse declaravit;* similiter Pachymera (2) et alii. Itaque cum dicat Dionysius in hoc capite Deum *nec essentiae, nec vitae, nec rationis expertem esse*, solum vult praemonere Deum non carere perfectionibus per ista nomina significatis, ablatis tamen imperfectionibus cum quibus in creaturis reperiuntur; cum enim Deus sit omnium causa, omnia debet superare, omnesque effectus suos continere eminenter, omnesque perfectiones simpliciter simplices, quae scilicet ab imperfectionibus possunt denudari, formaliter praehabere. Non enim hoc repugnat dicendis, ubi eadem negat et removet a Deo prout a nobis concipiuntur ad modum creatarum perfectionum, utpote imperfectionibus limitationis, divisionis, materialitatis, accidentalitatis vel contingentiae involuta.

Si quaeras quomodo in Deo sine imperfectione aliqua sit essentia, vita, ratio et mens. Hoc commodius explicabitur ad librum *De Divinis Nominibus*, capite 5, 6 et 7. Hic sufficit supponere essentiam Dei vel posse considerari ut est a parte rei secundum omnia quae realiter identificat, vel ut virtualiter distinguitur ab attributis. Primo modo certum est includere omnes perfectiones divinas. Secundo modo dubitatur an distinguatur virtualiter a natura divina prout essentia praecise dicit ordinem ad essendum et natura ad operandum; an essentia et natura divina constituantur per solam rationem substantiae spiritualis per essentiam, an per rationem intellectivi radicaliter; an denique natura in Deo distinguatur ab essentia etiam virtualiter et quod formalissime constituatur per actualissimam intellectionem. De quo videantur NN. Salmanticenses, tom. I, *in I^{am} partem D. Thomae*, tractatu III *De scientia Dei*, disput. 4 per totam (3), qui hoc ultimum tenent et cum ipsis noster Gabriel a S. Vincentio, tom. I *in I^{am} partem*, disput. 14, dubio 10 (4).

Deinde in Deo esse perfectissimam vitam, quae est eius essentia, et suum vivere suum esse et intelligere, habetur ex D. Thoma pluribus in locis et maxime I^{a} parte, quaest. 18, articulo 3 et 4. Similiter rationem inveniri in Deo non quatenus significat discursum, sed solam intelligibilitatem, docet D. Thomas I^{a} parte, quaest. 29, art. 3, ad 4. Denique mentem, sive sumatur pro natura intellectiva, sive pro intellectu, sive pro memoria, ut sumitur a D. Thoma in I *Sent.*, dist. 3, quaest. 5 (5) et *De veritate*, quaest. 10, art. 1 (6), certum est convenire Deo, in quo tamen nec natura, nec intellectus, nec memoria distinguuntur, ut dictum est.

---

(1) *Scholia in librum De Mystica Theologia*, cap 4; Migne, P. G., t. 4, col. 427: Neque in loco est. *Pater necessario per haec auditorem suum confirmat, ne propter sequentes negationes arbitretur divinitatem prorsus non esse; sed in his quidem, illam esse supponit; in illis vero, nullum esse eorum quae sunt, sed essentiam superare.* — Text. graec., *ib.*, col. 428.

(2) *Paraphrasis in lib. De Mystica Theologia*, cap. 4; Migne, P. G., t. 3, col. 1045-1046.

(3) *Cursus theologicus*, tract. III, disp. 4; ed. V. Palmé, t. I, pp. 403b-429b.

(4) *In universam Primam partem Summae Angelicae*, disp. 14, dub. 10; Romae, 1664, pp. 228b-231b.

(5) Ed. Vivès, t. VII, p. 67a.

(6) Ed. Vivès, t. XIV, pp. 539b-543a.

QUAESTIO XXXVIII

QUOMODO NEGENTUR DE DEO OMNES RATIONES SENSIBILES ET MATERIALES QUAE IN HOC CAPITE REFERUNTUR?

Licet theologia mystica removeat a Deo quidquid affirmant aliae theologiae, aliter tamen et aliter; nam quae affirmantur in tractatu *De Divinis Nominibus* et in *Theologicis Informationibus*, cum inveniantur formaliter in Deo secundum perfectiones quas important, solum removentur ab illo ratione modi cognoscendi eas ut similes perfectionibus creatis. Quae autem affirmantur in *Theologia symbolica*, cum ad Deum non pertineant formaliter et proprie, sed metaphorice et improprie, non solum removentur quoad modum cognoscendi, sed etiam quoad suas entitates et realitates quas in Deo esse repugnat; et talia sunt omnia quae in hoc capite referuntur. Quae licet non conveniant Deo formaliter, ut per se patet, sigillatim tamen id probabimus, ut plenius doctrina sancti Doctoris in hoc capite tradita inclarescat.

Deum non esse *corpus* astruit Dionysius et est de fide contra Manichaeos et Anthropomorphitas haereticos, qui Deum effingebant corporeum, eo ducti principio quod in Scripturis tribuuntur illi plura propria corporis, quae figurative dumtaxat et metaphorice intelligenda esse supra diximus. Rationi etiam naturali repugnat Deus corporeus, ut probat D. Thomas I[a] part., quaest. 3, art. 1; tum quia est primum movens immobile, quod non convenit corpori; tum quia est primum ens, ac proinde semper in actu; corpus autem est in potentia, quia semper est divisibile; tum denique quia Deus est ens perfectissimum et perfectius est esse spiritum quam corpus.

Deum non esse *figuram*, nec figuratum ex eodem principio deducitur. Figura enim oritur ex corporea quantitate taliter vel taliter terminata. Nec obest quod illi obiiciunt ex *Genes.*, I (1): *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Non enim homo est imago Dei per figuram corporis, sed per potentias animae. Nec illud *ad Hebr.*, I (2): *Cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius;* ut enim ait Basilius (3), non dicitur Filius imago formae, vel figurae, vel speciei, vel coloris Patris, sed substantiae, id est, eiusdem substantiae cum eo.

Deum non esse, nec habere *formam* sive substantialem, sive accidentalem etiam est contra illos haereticos, quos refert D. Thomas citata quaestione, art. 8, qui Deum somniabant animam mundi vel primi caeli; et contra Agnoitas illum mutabilem fingentes. Ratio etiam naturalis suadet: quia est prima causa et primum ens, ac proinde actus purus, qui non admittit, nec ordinatur ad compositionem; unde nec est forma accidentalis, quae est dependens a substantia; nec forma substantialis inflammans, quia non est alia causa prior et efficiens quae eum potentiae uniret. Dicitur tamen forma per essentiam et per se subsistens, quatenus actus simplicissimus est, non autem quia ad compositionem ordinetur. Ex quibus etiam patet nec esse qualitatem, nec quantitatem, nec molem habere aut aliud quid simile accidentale vel materiale.

Deum etiam *non esse in loco*, dicit Dionysius, quod intelligitur ad mo-

---

(1) v. 26.

(2) v. 3.

(3) *Rationes syllogisticae contra Arianos, quod Filius in divinis sit Deus*, num. 19; Migne, P. G., t. 30, col. 829: *Si imago Patris vere est Filius, omnis autem imago vel substantiae est, vel formae, vel figurae, vel speciei, vel coloris imago: Deus autem in nullo horum est, sed in substantia solum. Filius igitur cum sit imago substantiae, ejusdem substantiae est cum Patre.* — Illa argumenta non digessit ipse Basilius, sed ex ipsius operibus ducta sunt et in ordinem redacta. Cf. Migne, t. c., col. 827.

dum corporis replentis locum et contenti ab illo; non tamen negat modum quo dicimus Deum existere in omnibus locis non solum per praesentiam, quatenus omnia cognoscit, nec solum per potentiam, quatenus omnia subduntur potestati eius, sed etiam per essentiam et substantiam suam, quod secundum thomistas convenit ei radicaliter ratione suae immensitatis, formaliter autem ratione suae actionis transeuntis; et hoc modo dicitur Deus esse tanquam in loco, quando ex vi talis actionis connotat locum, ita ut vel actio eius det esse et virtutem locativam alicui loco, vel det esse locato replenti locum; unde non dicitur esse in angelis tanquam in loco, nisi quando etiam angelus conservatus supponitur esse in loco, licet Deus sit semper in illo per essentiam, immensitatem et operationem tanquam agens in passo; de quo videatur noster Blasius a Conceptione in *Metaphysica*, disp. 14, quaest. 2 (4) et Philippus a Ss. Trinitate, III parte *Summae philosophicae*, quaest. 24, art. 6 (5). Sed etiam iste modus essendi Dei in creaturis tanquam in loco non dicitur proprie, sed translative; quia esse in loco proprie et simpliciter loquendo necessario involvit imperfectionem Deo repugnantem, scilicet esse in illo tanquam mensuratum, contentum et circumscriptum, etc., substantiae enim spirituales sunt in loco per contactum virtutis, qui non est contactus proprius, sed metaphoricus; de quo videri possunt NN. Salmanticenses, tom. II, part. II *Cursus theologici*, tract. VII *De angelis*, disp. 2, dub. 1 (6) et noster Gabriel a S. Vincentio, tom. I *in I^am partem S. Thomae*, disp. 42, dub. 2 (7).

Dicit similiter Deum *non videri* seu esse invisibilem, id est, oculis corporeis, de rebus enim corporalibus loquitur; sed etiam Deus est invisibilis naturaliter ab intellectu humano prout in hac vita existit et cognoscit et loquendo de cognitione intuitiva, quae proprie dicitur visio, quod est de fide contra Beguardos. Ratione etiam probatur: quia nec oculus potest ferri extra suum obiectum, nec intellectus naturaliter cognoscere nisi dependenter a sensibus. Non tamen negat posse evidenter et intuitive cognosci in patria, quomodo videtur a beatis, aut etiam in hac vita per modum transeuntis, ut alibi diximus. Nec quod possit a nobis evidenter cognosci abstractive et *quoad an est*. Similiter dicit *nec tactum habere, neque sentire, neque sub sensum cadere*, quod est proprium corporum.

Denique *nec ordinis vacuitatem habere* seu *inordinationem admittere, nec perturbationem a passionibus materialibus agitatam*. Ratio est: quia passiones sunt actus appetitus sensitivi, ideoque passiones dicuntur quia exercentur cum aliqua corporis mutatione et passione; Deus autem est spiritus et immutabilis, qui proinde caret appetitu sensitivo et non potest mutari aut alterari passionibus. Eadem ratione dicitur *nec imbecillem esse, nec opportunum incommodis quae accipiuntur a sensibus* seu, ut alii legunt, *neque imbecillem esse, et sensibilibus casibus obnoxium. Neque lucis esse indigum, nec habere mutationem, etc.*, quae omnia luce sunt clariora.

---

(4) Parisiis, 1642, pp. 350a-359a.
(5) Lugduni, 1648, pp. 794-796.
(6) Ed. V. Palmé, t. IV, pp. 80b-88b.
(7) Romae, 1664, pp. 742-b-748b.

CAPUT QUINTUM

NIHIL ESSE EORUM QUAE RATIONE INTELLIGUNTUR QUI OMNIUM INTELLECTILIUM EST AUCTOR

Lectio Perionii (1).

Rursum ascendentes profitemur eundem nec animum esse, nec mentem, nec visionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis notionem habere, nec rationem esse, nec mentis perceptionem (2): nec dici, nec intelligi: nec numerum esse, nec ordinem, nec magnitudinem, nec parvitatem, nec aequalitatem, nec similitudinem, nec dissimilitudinem; nec stare, nec moveri, nec quiescere, nec vim habere, nec vim esse; nec lucem esse, nec vitam; nec essentiam esse, nec aeternitatem, nec tempus, nec eius esse, aut tactionem quae mente fit (3), aut scientiam; nec veritatem esse, nec regnum, nec sapientiam: neque unum, neque unitatem, neque divinitatem, aut bonitatem: nec spiritum esse, ut nos sciamus, nec Filii, aut Patris rationem, neque aliquid eorum, quae nobis aut cuique (4) naturae sunt cognita: nec quidquam esse eorum, quae non sunt, nec aliquid eorum, quae sunt: nec ea, quae sunt, eam noscere, quatenus est: neque eam cognoscere ea, quae sunt, qua ex parte sunt: neque eius rationem esse, neque nomen, neque scientiam: nec eam tenebras esse, nec lucem: nec errorem, nec veritatem: nec esse eius affirmationem omnino, neque (5) negationem: sed eorum, quae illam sequuntur, affirmationes, negationesque facientes, eam nec dicimus esse, nec negamus: quippe cum et omnem affirmationem superet perfecta illa et singularis causa omnium, et omni negatione superior sit praestantia eius, qui et ab omnibus omnino secretus est, et universa multum superat.

Lectio Corderii (6)

Rursus autem ascendentes dicimus, quod nec anima sit, neque mens, nec imaginationem, vel opinionem, vel rationem, vel intelligentiam habeat; neque sermo est, neque intelligentia; neque dicitur vel intelligitur; neque numerus est, neque ordo, neque magnitudo, neque parvitas, neque aequalitas, neque similitudo, neque dissimilitudo, neque stat, neque movetur, neque quiescit, neque habet potentiam; nec est potentia, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est, neque saeculum, neque tempus, nec est eius tactio intellectilis, neque scientia, neque veritas est, neque regnum, neque sapientia, nec unum, nec unitas, neque divinitas, neque bonitas, neque spiritus est, ut nos spiritum cognoscimus; nec est filiatio, neque paternitas, nec aliud quidquam eorum, quae nobis, aut ulli eorum qui sunt, cognita sunt; neque aliquid eorum quae non sunt, neque quae sunt: neque quae sunt eam cognoscunt quatenus est, nec ipsa cogno-

---

(1) *De Mystica Theologia*, cap. 5; Lovanii, 1566, fol. 166

(2) *Ib.*: *mentis praeceptionem.*

(3) *Ib.*: *fiat.*

(4) *Ib.*: *cuiquam.*

(5) *Ib.*: *nec.*

(6) Migne, P. G., t. 3, col. 1046-1048.

scit quae sunt quatenus sunt: nec est illi ratio, neque nomen, neque cognitio; neque tenebra est, neque lumen, neque error, neque veritas: nec est eius in universum positio, nec ablatio: immo cum eorum, quae post ipsam sunt, positiones et ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus; quia supra omnem positionem est perfecta, et singularis omnium causa; et supra omnem ablationem exsuperatio omnium simpliciter abstracta, et ultra omnia.

Pro paraphrasi huius capitis sequentes quaestiones substituimus.

QUAESTIO XXXIX

QUOMODO INTELLIGENDUS D. DIONYSIUS IN PRIORIBUS HUIUS ULTIMI CAPITIS (1) VERBIS?

Ascendendo a materialibus et sensibilibus ad intelligibilia et spiritualia, omnes etiam positiones de Deo removendas esse docet sanctus Doctor; aliquae tamen earum sunt perfectiones simpliciter simplices, quae formaliter in Deo inveniuntur et solum negantur esse in eo cum imperfectionibus repertis in conceptu quem de illis formamus ex cognitione creaturarum, ut diximus supra; aliquae tamen perfectiones sunt secundum quid, quae solum eminenter inveniuntur in omnium causa et absolute removentur ab illa.

Cuiusmodi sunt *anima* et *mens*, sive nomine animae intelligatur homo et nomine mentis angelus, ut videtur Corderio (2); sive anima rationalis et pars eius intellectiva, quam dicimus mentem. Licet autem ratio mentis attribuatur Deo quatenus est substantia spiritualis intellectiva, etiam negatur de eo ratione modi quo mentem illam purissimam mente nostra concipimus.

Ex quibus sequitur neque *visionem* seu (ut alii legunt) *imaginationem*, nec *opinionem*, nec *rationem*, nec *mentis notionem* seu *intelligentiam* habere. Quia in visione imaginationis invenitur materialitas, in opinione incertitudo, in ratione discursus, in mentis intelligentia limitatio; licet enim intelligentia sit perfectio simpliciter simplex, quod reliquae praedictae rationes non habent, est tamen in eo infinita et indivisa ab aliis perfectionibus, quod non capit conceptus noster limitatus. Similiter non est *dicibilis*, quia est ineffabilis; nec est *intelligibilis* comprehensive vel naturaliter, ut quaestione praecedenti dictum est.

Item nec esse *numerum* dicit. Quia licet in Deo sit numerus in personis, non est numerus, neque distinctio in natura; non dari enim plures Deos non solum fides, sed naturalis ratio probat: tum quia deficeret unicuique perfectio illa per quam alius ab eo differret; tum ex repugnantia quam possunt habere plures illorum voluntates; si enim non essent liberi, nullus esset Deus; si uterque liber esset ad volendum quod alius nollet, nullus esset omnipotens vel fieret et non fieret quod vellent. In numero autem personarum nullum est inconveniens, cum in omnibus personis sit una et eademmet essentia, perfectio et voluntas. Iste autem numerus non negatur quasi in Deo non sint tres personae numero distinctae, sed quia numerus iste personarum vel concipitur a nobis per modum numeri praedicamentalis, qui Deo repugnat, cum sit species quantitatis importans veram compositionem et alias imperfectiones; vel si concipitur ut numerus

(1) In ed. 1684, p. 533a, legitur: « *raptus* » pro « *capitis* ».

(2) *Adnotationes in lib. De Mystica Theologia*, cap. 5; Migne, P. G., t. 3, col. 1047.

transcendentalis, est cum imperfectionibus quas ipse numerus etiam habet in creaturis saltem ratione rerum numeratarum; vel tanquam quod termini numerales ponant aliquid positivum in divinis, quod negant thomistae cum D. Thoma, I part., quaest. 30, art. 3 et quaest. 9 *De potentia*, art. 7 (3); vel tanquam quod sicut sunt tres personae, et tres unitates, et tres res, forent etiam tres quidditates, quod negant communiter theologi; aut tres veritates, et tria entia substantive, et tria aliquid, quod negant thomistae.

Item nec esse *ordinem*. Quia licet in personis sit ordo originis et processionis, non tamen antiquitatis aut dignitatis. Nec in natura divina datur ordo: quia in ea non est diversitas, quam ordo praesupponit; videatur D. Thomas, I[a] part., quaest. 42, art. 3. Nec etiam est in Deo *magnitudo*, neque *parvitas*: quia supponunt quantitatem molis et ad modum illius concipitur a nobis quaelibet magnitudo, etiamsi solum sit quantitatis virtutis, quae Deo non repugnat; nam magnitudo Dei nihil aliud est quam perfectio naturae ipsius, ut dicit D. Thomas, citata quaestione, art. 4 (4).

Nec est in Deo *aequalitas*, nec *similitudo*, nec *dissimilitudo* qualiter scilicet concipiuntur a nobis; nam revera in Personis divinis licet non sit aequalitas quantitativa, est aequalitas perfectionis et dignitatis. D. Thomas, citata quaestione, art. 1, 4 et 6. Similitudo in natura etiam datur inter divinas Personas, licet ex vi processionis solus Filius procedat ut similis in natura et ideo dicatur Filius, ut docent thomistae ad I[am] partem, quaest. 35, art. 1, ubi ponitur discrimen inter similitudinem et imaginem. Prima, quod imago sit similitudo, non tamen omnis similitudo est imago. Secunda, quod sit similitudo in specie rei vel in signo speciei, quale est figura in materialibus. Tertia, quod dicat revelationem originis ad illum cuius est imago. Quarta, quod praedicta similitudo habeatur ratione originis et ex vi illius. Respectu vero creaturarum licet creatura dicatur similis Deo secundum quandam analogiam et peculiariter homo, qui factus fuit ad imaginem et similitudinem eius (5); Deus autem non est similis creaturae, quia creatura est quae dependet ab illo tanquam a causa efficiente et exemplari et non e contra. De quo D. Thomas I[a] part., quaest. 4, art. 3. Unde nec proprie dicitur dissimilis respectu creaturae in eo quod creatura est aliquo modo similis illi, sed in aliis rationibus. Quocumque autem modo sit similitudo aut dissimilitudo in Deo, non concipitur a nobis sicuti est, sed ad modum similitudinis aut dissimilitudinis creaturarum in figura et accidentibus vel sub aliqua alia imperfectione quae in Deo non est; unde etiam ab illo removentur huiusmodi rationes.

Nec stat, nec movetur, nec quiescit, addit sanctus Doctor; haec enim imperfectionem dicunt; nam *stare* metaphorice dicitur de spiritibus, cum proprie respiciat situm corporis rectum. *Movere* etiam proprie convenit spiritibus, sed Deo minime, nisi metaphorice, est enim essentialiter immobilis. *Quiescere* dicit *quietem*, quae est terminus motus et supponit illum; dicitur tamen Deus quiescere metaphorice vel quia cessavit operari ad extra (6).

Neque habet potentiam, nec est potentia, inquit; et quidem si de potentia passiva seu receptiva loquatur, est absolute verum; talis enim potentia dicit imperfectionem et exspectat potentiam activam per quam reducatur ad actum. Deus autem est actus pu-

---

(3) Ed. Vivès, t. XIII, pp. 275[a]-281[b]; praesertim §. *Et ideo* sqq., pp. 278[b] sqq.

(4) Ed. Leon., t. IV, p. 441[a]: *Magnitudo enim Dei non est aliud quam perfectio naturae ipsius.*

(5) Cf. *Genes.*, c. I, v. 26.

(6) Cf. *Genes.*, c. II, v. 2.

rissimus, in quo nulla potentialitas passiva potest considerari. Si autem loquatur de potentia activa, non negatur de Deo absolute, sed quod non sit in illo sicut a nobis concipitur, ut dictum est; nam potentia activa est perfectio simpliciter simplex, in tantum enim aliquid est potens agere, in quantum est activum et in tantum activum in quantum est actu; Deus autem cum sit actus purissimus, est infinite actu, ac proinde non solum est active potens, sed infinite activus et omnipotens, id est, potens facere quidquid absolute possibile est; illudque dicitur absolute possibile, quod non implicat contradictionem seu in quo praedicatum non repugnat subiecto.

Potentia Dei vel dicitur *absoluta*, vel *ordinaria*. *Absoluta* dicitur, quando sumitur secundum se sine ulla suppositione vel determinatione voluntatis et sine ullo respectu ad naturas rerum vel ad alias causas. *Ordinaria* dicitur in duplici sensu. Primo, prout habet coniunctam scientiam et voluntatem qua Deus decrevit hos effectus et non alios facere; in hoc sensu solum dicitur posse secundum potentiam ordinariam ea quae aliquando exstitura sunt, et de potentia absoluta possibilia quae nunquam sunt futura. Secundo et magis usitate sumitur potentia ordinaria Dei quatenus operatur secundum leges communes quas in universo statuit; et in hoc sensu multa quae nunquam futura sunt, potest Deus facere de potentia ordinaria. Utrum autem omnipotentia Dei distinguatur virtualiter ab illius scientia et voluntate, quaestio est controversa apud theologos; affirmant enim Suarius (7) et alii extra scholam D. Thomae; sed negant communiter thomistae; consulendi nostri Salmanticenses, tom. I *Cursus theologici*, tract. III, disp. 5, dub. 3 (8) et Gabriel a S. Vincentio, tom. I *in I^am partem*, disp. 14, dubio 13 (9).

QUAESTIO XL

QUOMODO INTELLIGENDA QUAE DICIT SANCTUS DOCTOR IN SEQUENTIBUS HUIUS CAPITIS VERBIS?

Prosequitur sanctus Doctor dicens quod nec Deus sit *lumen, neque vivat, neque sit vita, neque substantia, etc. Lumen* seu lux proprie dicta tantum est in corporibus quantum ad impositionem nominis, et sic solum metaphorice dicitur de spiritualibus; quantum vero ad extensionem nominis ad significandum quod facit manifestationem respectu cuiuscumque cognitionis, proprie dicitur etiam de spiritualibus, ut docet D. Thomas, I^a part., quaest. 67, art. 1; qui etiam ponit differentiam inter lucem, lumen, radium et splendorem in II *Sent.*, dist. 13, quaest. 1 (1); parum tamen refert ad intentum; Deus enim dicitur *lux* quae illuminat omnem hominem (2) quatenus eius intellectus participatur aliquo modo a lumine intellectuali animae, ut dicit idem D. Thomas, I^a part., quaest. 79, art. 4. Habet igitur Deus lumen et est lumen quatenus est intelligens et veritas. Quocumque autem modo sumatur lumen, debet removeri a Deo in theologia mystica; quia lumen materiale solum metaphorice dicitur de eo, lumen spirituale seu intellectus non concipitur a nobis sicuti est.

Vita nomen sumpsit ex operatione qua quis movet seipsum et inde prin-

---

(7) SUAREZ, *Disputationes metaphysicae*, disp. 30, sect. 17, num. 45-52; ed. Vivès, t. XXVI, pp. 221^a-224^b

(8) Ed. V. Palmé, t. I, pp. 442^a-459^b.

(9) *In universam Primam partem Summae Angelicae*, disp. 14, dub. 13; Romae, 1664, pp. 234^a-237^b.

(1) art. 3; ed. Vivès, t. VIII, p. 173^b. — « *quaest.* 3 » in ed. 1684, p. 535^a.

(2) Cf. *Ioan.*, c. I, v. 9.

cipaliter impositum fuit naturae seu animae, quae est principium radicale talis motus, licet minus principaliter sumatur etiam pro ipsis actionibus vitalibus; D. Thomas, I[a] part., quaest. 18, art. 2. In Deo autem est vita magis proprie quam in aliis, quia suamet essentia est suum intelligere, quod a nullo alio determinatur. Et ideo *Ioan.*, I (3), dicitur: *Quod factum est, in ipso vita erat*, quia omnia quae facta sunt a Deo, sunt in ipso ut intellecta et proinde sunt in eo ipsa vita divina; D. Thomas, citata quaestione, art. 3 et 4. Sed quia vitam Dei non concipimus ut in se est, ideo dicit D. Dionysius quod non vivat, nec sit vita, id est, sicut a nobis intelligitur. Similiter negat quod sit *substantia* aut *essentia*, scilicet ut a nobis cognoscitur quasi accidentibus substans et ab esse distincta, etc.

Aeternitas, *aevum* et *tempus* in quo differant constat ex philosophia. Unde etiam constat quod nec Deus possit durare per tempus, quod est mensura rerum corruptibilium habentium principium et finem; nec per aevum, quod est mensura rerum incorruptibilium habentium quidem principium, sed non finem. Unde nec *saeculum* habere, sive saeculum sumatur pro duratione centum annorum, sive pro aevo aut aeviterno. Aeternitas autem, quae est *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*, ut Boetius (4) definit, est duratio propria solius Dei tanquam omnino immutabilis, participatur autem a visione beatifica, quae secundum esse et accidentia etiam est immutabilis. In quo sensu igitur negetur a Dionysio constat ex saepe dictis de aliis perfectionibus.

Tactio quae mente fit seu tactio intellectilis, ut explicat Pachymera (5), est mentis cognitio, sicut sensatio dicitur tactio sensibilis. Non esse ergo Deum tangibilem per mentem et intellectum idem videtur ac non esse intelligibilem, de quo iam supra diximus.

Scientia est proprie et formaliter in Deo respectu creaturarum quas cognoscit per suam causam increatam, nempe per suam essentiam, omnipotentiam et ideas et etiam per suas causas creatas seu in causis creatis, quatenus cognoscit hoc esse effectum et hoc causam illius, simplici tamen cognitione et intuitu. Est enim scientia Dei respectu suorum attributorum, quatenus cognoscit unum per aliud tanquam per suam rationem formalem. Dividiturque scientia Dei in *scientiam simplicis intelligentiae*, quae terminatur ad creaturas abstrahendo ab actuali existentia; et in *scientiam visionis*, quae terminatur ad creaturas existentes in aliqua differentia temporis, quae quando terminatur ad obiecta bona et positive volita a Deo, dicitur *scientia approbationis*. Utrum autem detur *scientia media*, quam Patres Societatis appellant *conditionatam*, quaestio est theologica; de qua et de aliis pertinentibus ad scientiam Dei late agunt NN. Salmanticenses (6) et doctores communiter in I[a] part. D. Thomae, quaest. 14. Quomodo autem negetur a Dionysio, patet ex dictis de aliis attributis.

Veritas alia est *formalis* residens in intellectu, alia *transcendentalis*, quae est passio entis. *Veritas transcendentalis* creata consistit primario in convenientia aptitudinali seu conformabilitate cum intellectu divino et ideis ipsius; secundario in convenientia aptitudinali cum intellectu creato. Ut autem veritas transcendentalis abstrahit a creata et increata consistit in ente ut est aptum facere veram sui aestimationem in intellectu divino et

(3) v. 3-4.

(4) *De consolatione philosophiae*, lib. V, prosa 6; Migne, P. L., t. 63, col. 858.

(5) *Paraphrasis in lib. De Myst. Theol.*, cap. 5; Migne, P. G., t. 3, col. 1059: *Intellectilis porro tactus, est mentis cognitio. Sicut enim tactus sensilis, est sensatio.*

(6) *Cursus theologicus*, tract. III *De scientia Dei*; ed. V. Palmé, t. I, pp. 315[a] sqq. — *De impossibilitate scientiae mediae* agunt tract. III, disp. 10-12; t. I, pp 599[b]-669[a].

habere convenientiam cum eo abstrahendo a convenientia seu conformitate dicente respectum realem, qualem habet veritas creata, vel respectum rationis, qualis consideratur in ente increato, quod non distinguitur a suo intellectu. In quo conveniunt communiter thomistae. *Veritas formalis* humana consistit in perfecta adaequatione et conformitate intellectus cum obiecto, quae proinde solum inchoate et incomplete invenitur in simplici apprehensione, perfecte tamen in iudicio perfecto alicuius propositionis. De quibus videatur noster Blasius a Conceptione in *Metaphysica*, disp. 23 (7). Esse autem veritatem in Deo tam transcendentalem quam formalem non indiget probatione, non enim solum est Deus veritas, sed prima et summa veritas; de quo videatur D. Thomas, I^{a} part., quaest. 16, art. 5 et ibi expositores eius. Quomodo autem removeatur a Dionysio, ex saepe dictis constat.

Regnum a regendo dicitur; et regnum dicitur habere ,qui alios habet sub potestate et providentia sua. Unde Deus dicitur *Rex magnus* tripliciter: scilicet universalitate, aeternitate et auctoritate dominii, de quo D. Thomas, *In Ps.* 46, v. 2 (8). Tripliciter etiam sumitur regnum Dei: primo inchoative pro gratia, quia per gratiam incipit Deus regnare in nobis, donec perfecte regnet in gloria. Secundo sumitur pro Christianis, quos Deus peculiariter regit et gubernat. Tertio, pro regno caelorum, de quo vide Cornelium a Lapide, *In Epist. ad Rom.*, cap. XIV, v. 17 (9). Quomodo autem regnum Dei consistat in interioribus actibus, videatur D. Thomas, I^{a} II^{ae}, quaest. 108, art. 1, ad 1. Negat autem Dionysius Deo regnum, quia non est regnum Dei sicut nos concipimus ex mundi regnis. *Sapientiam* etiam negat, uti de scientia diximus; est enim scientia Dei sapientia, cum res cognoscat per altissimas causas.

Unitas est passio entis, qua quodlibet est indivisum in se et divisum a quolibet alio. *Bonitas* etiam est passio entis, quatenus ens *est perfectivum appetitus per modum convenientis ad illum, non tantum secundum rationem specificam ipsius entis, ... sed etiam secundum esse, quod in rerum natura habet;* de quo NN. Salmanticenses, tom. III, *in* I^{am} II^{ae}, disp. 1, dub. 1 (10). Deum autem esse unum et bonum quis poterit negare, nisi quod non sit unus et bonus sicut nos unitatem et bonitatem intelligimus modo saepius dicto. Eodem modo negat Dionysius esse in Deo *divinitatem* et *spiritualitatem*, sed, ut ipsemet addit, *ut nos scimus* seu ut nos cognoscimus. Similiter negat in Deo rationem *Patris* et *Filii* et universaliter *quidquam esse eorum, quae nobis aut cuique naturae sunt cognita, neque aliquid eorum quae non sunt, nec aliquid eorum, quae sunt*, id est, nec aliquid ex rebus quas cognoscit humana vel angelica mens, nec aliquid ex rebus quae habent existentiam aut essentiam creatam, nec ex rebus quae non existunt, et etiam negationes, quae nihil sunt, nec habent essentiam. Licet enim praedicata positiva perfectionum simpliciter simplicium vere et proprie sint in Deo quantum ad rem formaliter significatam et ideo illi absolute tribuantur, tamen quoad modum significandi aliquam metaphoram semper retinent; quia si in concreto sumantur, significant per modum compositionis; si in abstracto, per modum formae, quam saltem imperfectionem involvunt desumptam a rebus creatis.

---

(7) Parisiis, 1642, pp. 500^{a} sqq.

(8) *In psalmos Davidis expositio*, ps. 46, v. 2; ed. Vivès, t. XVIII, p. 519^{b}.

(9) Ed. Vivès, t. XVIII, p. 233.

(10) *Cursus theologicus*, tract. VIII, disp. 1, dub. 1, num. 1; ed. V. Palmé, t. V, p. 6^{a}: *... ipsius entis, quo modo verum est perfectivum intellectus, sed etiam...*

QUAESTIO ULTIMA

QUOMODO INTELLIGENDA ET EXPLICANDA QUAE DOCET D. DIONYSIUS IN POSTERIORIBUS VERBIS HUIUS ULTIMI CAPITIS ET TOTIUS LIBRI THEOLOGIAE MYSTICAE?

Neque ea, quae sunt, eam noscere quatenus est, prosequitur Dionysius, id est, nihil cognoscit Deum comprehensive, nec etiam quidditative et intuitive naturaliter. *Nemo* enim *novit filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, Matth.*, XI (1). *Neque eam cognoscere ea, quae sunt, qua ex parte sunt*, id est, immediate in seipsis, sed in seipso tanquam in obiecto prius cognito et tanquam in prima et universali omnium causa. Ratio est: quia non cognoscuntur in seipsis ut immediate et per se unitis cum intellectu divino, ut patet; nec per proprias species in Deo receptas, cum Deus non possit immutari ab aliquo. Ergo solum restat ut cognoscantur in essentia divina habente rationem speciei intelligibilis, quae scipsam primario repraesentat, creaturas vero secundario. Et ita communiter thomistae contra Scotum ad I^am^ partem D. Thomae, quaest. 14.

Si obiicias *primo*: Essentia divina ut causa creaturarum solum potest repraesentare creaturas possibiles. Ergo saltem existentes cognoscit in seipsis. *Secundo*: quia alias esset essentia divina speculum creaturarum, quod est contra D. Thomam, quaest. 12 *De veritate*, art. 6 (2). — Respondetur ad primum distinguendo antecedens: essentia divina ut praesupponitur ad decreta, concedo; ut determinata per decreta libera, nego. Ad secundum nego sequelam loquendo de speculo proprie dicto, in quo resultant similitudines rerum a rebus ipsis; in Deo autem sunt rationes rerum ut praeexistentes ad res ipsas et ideo magis est exemplar quam speculum, nec unquam a Sanctis dicitur Deus speculum creaturarum, sed magis quod creaturae sint speculum Dei, ut docet D. Thomas citatus (3). Reliqua argumenta apud auctores scholasticos invenientur.

Nec eius rationem esse, neque nomen, neque scientiam, nec eam tenebras esse, neque lucem, neque errorem, neque veritatem. Hic loquitur de scientia quam possumus habere de Deo; constat enim ex dictis Deum non esse cognoscibilem naturaliter *quoad quid est*. Nec est ratio eius a priori, nec per rationem et discursum nostrum potest cognosci quid sit, nec habet nomen quod eum comprehendat, utpote ineffabilem. *Nec esse tenebras*, scilicet ignorantiae, nec *lucem*, scilicet intelligentiae, *nec errorem esse, nec veritatem*, quod patet ex dictis.

Si dicas vitiosam videri repetitionem: Deum non habere nomen, nec rationem, nec esse lucem, nec veritatem, cum in hoc eodem capite iam dixisset Deum non posse dici, nec rationem esse, nec lumen, nec veritatem. — Respondeo: non esse formaliter idem non posse dici et non habere nomen. Licet enim Deus haberet nomen quod ipsum quidditative significet et quod ipsi sibi imponere posset et ab angelis et beatis, immo et a viatoribus, ut autumnavit Scotus (quamvis dicat nulli creaturae posse aliquo nomine comprehensive significari, in quo videtur velle salvare Deum esse ineffabilem, ut decernit concilium Lateranense) (4), dato,

---

(1) v. 27.

(2) Ed. Vivès, t. XIV, p. 612b.

(3) l. c.

(4) *Concilium Lateranense IV* (an. 1215), cap 1 *De fide catholica;* LABBAEUS-COSSARTIUS, *Sacrosancta concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XIII, col. 927. — DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion symbolorum*, num. 428 (355); ed. 1908, p. 188.

inquam, quod haberet nomen, non ideo sequeretur nos posse Deum dicere et de eo loqui sicut est, saltem pro hoc statu; et hoc negat Dionysius, quando dicit *Deum non posse dici.* Ulterius tamen addit non habere nomen, per quod etiam praedictam opinionem non admittit.

Deinde quando in primo loco dicit Deum non habere *rationem, nec rationem esse,* ut legit Perionius, Corderius legit *nec rationem habeat, neque sermo est.* Quod non videtur esse idem formaliter cum eo quod negat in secundo loco, scilicet *nec eius rationem esse.* Nam in primo loco agit de ratione quam aliquis posset imaginari Deum habere ad ratiocinandum; in secundo de ratione seu discursu quem nos possemus de Deo formare. Dicere autem quod Deus non sit *sermo* etiam mentalis aut verbum, sicut etiam dixit quod non sit in eo *Filiatio,* scilicet prout nos has positiones intelligimus, non est idem ac dicere non esse eius rationem seu non posse nos ratiocinari de Deo sicuti est.

Denique quamvis in primo loco dicat Deum non esse *lumen,* nec *veritatem,* non est vitiosa repetitio dicere in secundo loco *non esse tenebras, neque lucem, nec errorem, nec veritatem.* Tum quia, ut videtur respondere sanctus Maximus (5) et Pachymera (6), in primo loco agit de lumine spirituali seu intelligibilitate radicali aut habituali et similiter de veritate, in secundo de actuali. Tum quia (ut mihi videtur) in primo loco licet etiam ageret de lumine intelligibili actuali et de veritate etiam actuali et formali, qualis datur in iudicio, in secundo loco ea repetit ut ostenderet nec ideo esse privationem illorum, cum enim statim dicat Deum non solum non esse affirmationem aut positionem, sed neque negationem aut ablationem; praeposuit exemplum in *tenebris,* quae sequuntur ad ablationem lucis et in *errore,* qui sequitur ad ablationem veritatis; quasi diceret non ideo Deum esse tenebras, quia non esset lux, nec ideo esse errorem, quia non esset veritas. Unde non manet otiosa repetitio lucis et veritatis, quia repetuntur ad introducenda ad intentum eorum opposita.

Prosequitur igitur sanctus Doctor dicens: *Nec esse eius affirmationem omnino, neque negationem, sed eorum, quae illam sequuntur, affirmationes, negationesque facientes, eam nec dicimus esse, nec negamus.* Vel iuxta aliam lectionem: *Nec est eius in universum positio, nec ablatio, immo cum eorum, quae post ipsam sunt, positiones et ablationes facimus, ipsam neque ponimus, neque tollimus,* id est, de Deo ipso non datur affirmatio et positio, nec negatio et ablatio, sed omnes affirmationes et positiones quas facimus, sunt alicuius quod est inferius Deo; et omnes negationes et ablationes quas facimus, sunt alicuius affirmationis vel positionis inferioris Deo. Unde nec per tales positiones ponimus Deum, nec per tales ablationes Deum tollimus; v. g., per istam affirmationem *Deus est lapis* ponimus in Deo aliquid quod a parte rei non est Deus, nec est formaliter in Deo; et per istam negationem *Deus non est lapis* tollimus a Deo aliquid quod a parte rei non est Deus, nec est in Deo. Similiter per istam affirmationem *Deus est veritas* ponimus in Deo aliquid quod licet sit in Deo secundum perfectionem quam importat, non tamen secundum quod nos veritatem concipimus; sic enim involvit imperfectionem, quae non est Deus, nec in Deo; et per istam negationem Deus *non est veritas* tollimus a Deo rationem veritatis non secundum perfectionem quae est in Deo, sed secundum quod a nobis concipitur; unde tollimus a Deo quod non

(5) *Scholia in librum De Mystica Theologia,* cap. 5; Migne, P. G. t. 4, col. 431; text. graec., *ib.*, col. 432.

(6) *Paraphrasis in librum De Mystica Theologia,* cap. 5; Migne, P. G. t. 3, col. 1063-1064.

est Deus, nec in Deo, ac proinde per nostras similes positiones aut ablationes nec ponimus, nec tollimus Deum ipsum.

Rationem reddit sanctus Doctor in sequentibus verbis: *Quippe cum et omnem affirmationem superet perfecta illa et singularis causa omnium, et ommi negatione superior sit praestantia eius, qui et ab omnibus omnino secretus est, et universa multum superat.* Vel iuxta aliam lectionem: *Quia supra omnem positionem est perfecta et singularis omnium causa: et supra omnem ablationem exsuperatio omnium simpliciter extracta* (7) *et ultra omnia.* Id est, ideo Deus nec ponitur, nec tollitur per nostras positiones et ablationes, quia cum sit prima et perfectissima causa omnium, antecedit et est superior ad quamcumque perfectionem creatam quam de ipso affirmamus vel ad cuius similitudinem aliquid de eo affirmamus, et consequenter etiam antecellit et excedit quamcumque negationem et ablationem illarum positionum; semper enim permanet in se separatus et distinctus a quacumque alia re tanquam superior omnibus.

Obiicies: De Deo possumus et debemus affirmare quod sit et potest aliquis haereticus negare quod sit, sicut negant athei. Sed talis affirmatio et negatio ponit et tollit Deum. Ergo falso dicitur quod nulla affirmatio ponat Deum et nulla ablatio seu negatio Deum tollat. — Respondetur distinguendo minorem: ponit et tollit Deum *quoad an est*, concedo; *quoad quid est*, nego; non enim in mystica theologia negatur Deum esse, cum hoc sit de fide certum et etiam naturaliter evidens. Quid autem Deus sit, hoc nec fides cognoscit distincte et prout ipse est in se, sed per species creatas cognoscit aenigmatice quidquid de eo affirmat; nec ratio naturalis ad hoc potest assurgere, sed tantum ad cognoscendum Deum et perfectiones eius per similitudines rerum creatarum et ad modum illarum; quod proinde negat et removet theologia mystica ut Deum contempletur nude sine his involucris eique uniatur immediate immediatione alterius cogniti, licet non sit immediatione speciei (si forte fiat per speciem creatam ipsum immediate repraesentantem, de quo iam supra (8) disseruimus), donec videamus illum sicuti est quidditative et intuitive per intellectum elevatum lumine gloriae in saeculorum saecula. Amen.

---

(7) « *abstracta* » apud Migne, P. G., t. 3, col. 1047. (8) quaest. 8.

ENUCLEATIONIS
THEOLOGIAE MYSTICAE

PARS SECUNDA

DE DOCUMENTIS MYSTICIS EX RELIQUIS SUPERSTITIBUS LIBRIS S. DIONYSII AREOPAGITAE

Nempe de Caelesti et Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis Nominibus et Espistolis, deductis, additis etiam resolutionibus ex utriusque partis universa doctrina eo ordine quo vel ab auctoribus mysticis traduntur, vel a viris spiritualibus solent mysticae affectiones experiri.

In quibus omnibus tradendis ordo iste servatur: proponitur titulus cuiusque libri et capitis, colligitur sub compendio quod in illo tractatur, citantur loca D. Thomae in quibus verba aliqua capitis explicantur, eruuntur documenta mystica sub formalibus verbis S. Dionysii ab aliquo expositore eius elucidata et sub quolibet illorum signatur quaestio sive resolutio in qua doctrina illa disputatur. Denique ad calcem totius operis supradictae resolutiones mysticae proponuntur.

LIBER I

S. DIONYSII AREOPAGITAE

QUI EST

DE CAELESTI HIERARCHIA (1)

Iuxta Lectionem Ioannis Scoti (2), quam sequitur Hugo de S. Victore, cum expositione eiusdem Hugonis ad documenta mystica ex reliquis doctrinis seligenda.

CAPUT I.

QUOD DIVINA ILLUMINATIO, SECUNDUM BONITATEM VARIAE IMPROVISA PROVENIENS, MANET SIMPLA; ET NON HOC SOLUM, SED UNIFICAT ILLUMINATA.

In hoc capite docet sanctus Doctor omnem illustrationem Scripturae sacrae esse a Deo et ad Deum. Et per Christum ascendendum ad patrem. Et sensum Scripturae esse multiplicem, licet scopus eius sit simplex unio cum Deo. Et non posse nos divina intelligere, nisi sub velamine sive *per speculum in aenigmate* (3). Et res spirituales in materialibus adumbrari, ut manuductione istarum ad illos contemplandos assurgamus; caelestia enim ad captum nostrum in Scripturis exprimuntur.

Ex eo autem quod dicit manifestationes divinas venire ad nos a Patre luminum moto probat D. Thomas, I[a] Part., quaest. 9, art. 1, ad 2 (4), mobilitatem dici de Deo similitudinarie, quatenus diffundit suam similitudinem ad omnia. Et ex eo quod dicit divina sub velamine intelligenda nobis probat, I[a] part., quaest. 1, art. 9, convenienter uti metaphoris Scripturam. Et I[a] II[ae], quaest. 99, art. 3, hoc non solum in verbis, sed in rebus significatis inveniri. Et I[a] part., quaest. 88, art. 2, ex rebus materialibus posse nos ad spiritualium cognitionem ascendere, sed imperfecte. Et quaest. 108, art. 1, hinc infert distingui humanam hierarchiam ab angelica. Et III[a] part., quaest. 60, art. 4, ad sacramenta requiri etiam res sensibiles.

De quibus etiam in I[a] *Sent.*, dist. 22, quaest. 1, art. 2 (5) et dist. 34, quaest. 3, art. 1 (6) et in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 8 (7); ex cuius doctrina notandum est, quod licet principium speculationis sit ex sensibus, a quibus desumuntur species, terminus autem est in intelligibilibus, ut iam tetigimus 1[a] parte, ad cap. 1 *Theologiae Mysticae*, quaest. 4.

DOCUMENTUM I.

Ergo Iesum invocantes paternum lumen, quod est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: per quem ad principale lumen patrem accessum habui-

---

(1) Textus graecus apud Migne, P. G., t. 3, col. 120-340.

(2) Ioannes Scotus Erigena, *De caelesti Ierarchia;* Migne, P. L., t. 122, col. 1033-1070 et apud Hugonem de S. Victore, *Commentariorum in Hierarchiam coelestem S. Dionysii Areopagitae secundum interpretationem Joannis Scoti... libri X*, lib. II — X; Migne, P. L., t. 175, col. 933-1136.

(3) Cf. I *ad Corinth.*, c. XIII, v. 12.

(4) Circa textus a D. Thoma ex operibus S. Dionysii depromptos, vide J. Durantel, *Saint Thomas et le Pseudo-Denis*, chap. 2; Paris, F. Alcan, 1919, pp. 60-207.

(5) Ed. Vivès, t. VII, p. 278[b].

(6) Tom. cit., p. 413.

(7) ad 4; ed. Vivès t. VIII, p. 131[b].

mus: in sacratissimorum eloquiorum Patre traditas illuminationes quantum possibile respiciemus (8).

Expositio Hugonis de S. Victore (9): *Nunc priusquam textum materiae suae ingrediatur, invocationem facit ad Iesum, qui est paternum lumen: quo mediante omnes spirituales illuminationes, et dona gratiarum illuminandis tribuuntur, ut ipso illuminante et adiuvante secundum divinorum eloquiorum traditiones, quae et ipsa ad illuminanda corda hominum a Patre tradita sunt, possit et veraciter agnoscere, et digne narrare caelestium spirituum invisibiles illuminationes, et dispositiones sacras, etc...*

Per (10) *quem ad principale lumen Patrem accessum habuimus. Per lumen Iesum accessum habuimus ad lumen Patrem.... Et dicitur Pater principale lumen: non quia maius lumen, vel melius lumen, quia idem lumen: sed quia non de lumine lumen et... de lumine Patre Filius lumen.* Vel etiam quia Filius et in eo *quod homo est, lumen est: quoniam et ipsa Iesu humanitas lumen fuit in eo quod veritatem demonstravit, et principale lumen Patrem revelavit. Sed lumen humanitatis Iesu minus fuit lumine deitatis: et in lumine* (11) *humanitatis Iesus inferior fuit Patre, in lumine vero divinitatis idem cum Patre,* etc.... Sapientia Patris *exivit primum per creaturam mundi, et manifestavit se in operibus suis: et coepit visibiliter videri invisibilis in eo quod erat visibile, et monstratum est quoddam lumen, ut duceret ad maius lumen: et erat primum lumen sapientiae, et secundum lumen sapientia: et factus est nobis Iesus via ad Patrem: ex inferiori lumine ad lumen principale. Deinde venit secundo sapientia, et exivit per carnem, et facta est lumen in testa, ut illuminaret nos, et assuefaceret ad maius lumen, et perduceret ad principale lumen* Patrem.

Traditae sunt autem (12) *a Patre illuminationes divinorum eloquiorum, ut nos ex ipsis illuminemur: quousque capaces efficiamur contemplationis luminis principalis, et ipsis illuminantibus nunc agnoscimus secreta caelestia, quae nondum sensu comprehendere valemus, etc.*

Sacrae Humanitatis consideratio quantum valeat et quando relinquenda, diximus in *Catena* (13). Videatur etiam resolutio 19 et 74.

DOCUMENTUM II.

Et ab ipsis symbolice nobis, et anagogice manifestata caelestium animorum Hierarchias, quantum potentes sumus considerabimus (14).

Expositio Hugonis (15): *Hierarchiae Angelicorum spirituum manifestatae sunt nobis, hoc est demonstratae vel revelatae ab ipsis illuminationibus, id est, demonstrationibus sacri eloquii symbolice, et anagogice. Symbolum est collatio formarum visibilium ad invisibilium demonstrationem. Anagogice autem ascensus* (16), *sive elevatio mentis est ad caelestia contemplanda. Notat autem hic duplicem modum revelationis divinae, quae Theologorum, et Prophetarum mentibus infusa est per visiones, et demonstrationes, quas Graeci Theopha-*

(8) Sic apud HUGONEM DE S. VICTORE, *Commentariorum in Hierarchiam coelestem S. Dionysii Areopagitae secundum interpretationem Joannis Scoti... libri X*, lib. II, cap. 1; Migne, P. L., t. 175, col. 933. — Apud IOANNEM SCOTUM, *De caelesti Ierarchia*, cap. 1; Migne, P. L., t. 122, col. 1037:... *lumen, quod est. quod verum et,... venientem in mundum,...*

(9) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 939:... *illuminante et juvante... ipsa ad luminanda...*

(10) *Ib.*, col. 939-940, partim ad verbum, partim modo abbreviato.

(11) *Ib.*, col. 940: *lumine quidem humanitatis.*

(12) *Ib.*, col. 940, « *enim* » pro « *autem* ».

(13) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 31; pp. 269a-276b.

(14) Migne, P. L., t. 175, col. 933 et 941. — Migne, P. L., t. 122, col. 1037-1038: ...*quantum potentates sumus,...*

(15) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 941: *Hierarchias dico manifestatas nobis, hoc est demonstratas, vel revelatas ab ipsis,...*

(16) *Ib.*, « *ascensio* » pro « *ascensus* ».

nias appellant, id est, divinas apparitiones. Quoniam aliquando per signa sensibilibus similia invisibilia demonstrata sunt: aliquando per solam anagogem, id est, mentis ascensum, in superna pure contemplata. Ex his vero duobus generibus visionum, duo quoque descriptionum genera in sacro eloquio sunt formata. Unum, quo formis, et figuris, et similitudinibus rerum occultarum veritas adumbratur. Alterum, quo nude et pure sicut est absque integumento exprimitur. Cum itaque formis, et figuris (17) manifestatur quod occultum est, vel quod manifestum est describitur, symbolica demonstratio est. Cum vero (18) pura et nuda revelatione ostenditur, vel plana et aperta narratione docetur, anagogica.

De divinis apparitionibus diximus I[a] part., ad cap. 1, a quaest. 23.

De symbolis et symbolica theologia quaest. 33, 34 et 35.

De sensu anagogico quaest. 33; sed non est ista anagogica demonstratio de qua loquitur auctor in hoc capite; quod vero attinet ad nomen *anagoge*, aliquid dicemus loquentes de actibus anagogicis. Resolut. 57, et 62 et 87.

DOCUMENTUM III.

Et principalem, et superprincipalem divini Patris claritatem, quae Angelorum nobis in figuratis symbolis manifestat beatissimas Hierarchias, immaterialibus, et non trementibus mentis oculis respicientes, iterum ex ipsa in simplum illius restituimur radium (19).

Expositio Hugonis (20): *Hic manifeste docet quibus gradibus divinae illuminationis processus fiat usque ad nos: et rursum quibus progressionibus mens nostra reducatur ad summae claritatis contemplationem. Divinum enim lumen primum in Angelicam naturam descendit: et ab ipsa revelationibus, et demonstrationibus divinis, et mystica sacri eloquii enarratione* (21) *ad nostram usque intelligentiam, participationemque se transfundit. Mens vero humana eisdem rursum gradibus ad superna conscendens, sacra divini eloquii inspectione caelestia secreta, et eam quae in Angelis est divinae claritatis illuminationem perpendit: ex qua paulatim in invisibilium agnitionem succrescens ad ipsum tandem supremi* (22) *luminis splendorem contemplandum convalescit: et fit quod* (23) *unum lumen et ad multa illuminanda se dividat* (24), *ut illuminata omnia ad unius claritatis aspectum, multitudinemque efformet* (25).

Respicientes enim claritatem Patris restituimur, id est, reformamur iterum: hoc est reductive conversi ad illud, unde venimus, in simplum eius radium: ut in uno lumine unum simus, qui lucemus ex lumine uno, et non sit discrepantia lucentium, sicut diversitas luminum non est ulla. Claritas autem Patris principalis, et superprincipalis dicitur: quia non solum dignitate, vel causa lucentibus omnibus superior est, sed etiam excelsior natura. Et haec claritas quia non materialis sed spiritualis est, et spiritualiter lucet, idcirco non nisi immaterialibus tantum oculis (26) *videri potest. Quos oculos etiam non trementes, id est, sanos et perspicaces et irreverberatos esse necesse est: ne lippienti acie tantum lumen intuentes, tenebras sibi ex ipsa claritate indu-*

---

(17) *Ib.: formis, et signis, et similitudinibus manifestatur,...*

(18) *Ib.:Cum vero puro pura...*

(19) Migne, P. L., t. 175, col. 933-934 et 941. — Migne, P. L., t. 122, col. 1038: *... oculis recipientes,... in simplum suum restituimur radium.*

(20) Migne, P. L., t. 175, col. 941-942: *Hic manifeste docet quibus...*

(21) *Ib.*, col. 942, « *narratione* » pro « *enarratione* ».

(22) *Ib.*, « *summi* » pro « *supremi* ».

(23) *Ib.: et fit, quod in principio dictum est quia unum...*

(24) *Ib.*, « *dividit* » pro « *dividat* ».

(25) *Ib.: aspectum similitudinemque reformet.*

(26) *Ib.: idcirco nonnisi immaterialibus tantum, id est incorporalibus oculis...*

cant. Merito autem per (27) *claritatem Angelorum per sacra eloquia contemplatam, ad divini Patris claritatem illuminamur: quia et ipsa nobis Angelorum claritas a claritate Patris per eos ad nos descendente ex sacri eloquii revelatione manifestatur.*

Quomodo luce divina contemplandae sint creaturae, praesertim superiores et spirituales, dicetur resolutione 36.

Quomodo etiam ex cognitione illarum ad Dei contemplationem ascendere debemus, diximus in Iª part., quaest. 7 et 8.

DOCUMENTUM IV.

Neque possibile est aliter nobis lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, et iis, quae secundum nos sunt providentia paterna connaturaliter, et proprie praeparatum (28).

Expositio Hugonis (29): *Sacra velamina in quibus nobis radius divinus lucet, sunt mysticae in sacro eloquio descriptiones, quae visibiles adducunt formas, et similitudines invisibilium ad declarationem. Quibus videlicet velaminibus ipse radius divinus anagogice circumvelatur. Anagoge enim (sicut dictum est) ascensio mentis, sive elevatio vocatur in contemplationem supernorum. Anagogice igitur circumvelatur, quia ad hoc velatur, ut amplius claresçat; ad* (30) *hoc tegitur, ut amplius appareat. Eius igitur obumbratio nostri est illuminatio, et eius circumvelatio, nostri elevatio. Quemadmodum infirmi oculi solem nube tectum libere conspiciunt, qui coruscum eius lumen intueri non possunt: sic et divinum radium lippientibus mentis oculis lucere impossibile est; nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum, et praeparatum providentia paterna connaturaliter, et proprie iis quae secundum nos sunt.*

Nisi enim providentia paterna nobis ineffabili bonitate in hoc providisset, oculis nostris lumen ipsius omnino lucere non posset; et idcirco paterne et pie providit nobis, ut ipsum lumen praepararet nobis, et coaptaret iis quae secundum nos sunt, rebus, et similitudinibus, et formis: et sic connaturaliter et proprie, hoc est secundum naturam nostram, et proprietatem eorum, quae naturae nostrae sunt, praeparatum, et coaptatum ostenderet nobis. Conformat se nostris, ut per nostra innotescat nobis, ut ea quae connaturalia sunt, et propria nobis, in demonstrationem proposita facilius intelligantur a nobis.

Quando et quomodo necessariae sint imagines sensibiles ad contemplationem et an detur contemplatio pura sine illis, diximus Iª part., quaest. 4 et 5.

Reliqua huius capitis primi documenta mystica in praedicta coincidunt et de omnibus videatur resolut. 38, et 44, et 82.

CAPUT II.

QUOD PULCHRE DIVINA ET CAELESTIA ETIAM PER DISSIMILIA SYMBOLA MANIFESTANTUR.

In hoc capite docet sanctus Doctor Scripturam sacram rebus etiam vilibus repraesentare caelestia non solum propter imbecillitatem nostram, sed ut sacris aenigmatibus recondant arcanam veritatem.

Item duplicem esse modum mysticae manifestationis: unum per similes imagines sacrarum figurarum; alterum per omnimodam dissimilitudinem. Aliquando Deum elucidant ut verbum, mentem, substantiam, sa-

(27) *Ib.*, « *post* » pro « *per* ».

(28) Migne, P. L., t. 175, col. 934 et 946. — Migne, P. L., t. 122, col. 1038: ..., *et his, quae...*

(29) Migne, P. L., t. 175, col. 946.

(30) *Ib.*, « *ob* » pro « *ad* ».

pientiam, existentiam, lucem et vitam; quae quidem similitudines magis congruae sunt quam materiales figurae. Aliquando vero dissimilibus elucidationibus celebratur, dum invisibilem, infinitum, incomprehensibilem vocant; ex quibus non quid est, sed quid non est significatur; hoc autem magis ipsi proprium est.

Absonas etiam similitudines magis mentem elevare, ne imaginibus inhaerendo acquiescamus; cum in nobilioribus formis errent aliqui, putantes naturas caelestes vires quosdam micantes, fulgore decoros, etc.

Ex omnibus autem aliquid boni colligendum esse. Nam vis irascibilis, quae est in animalibus, quando tribuitur angelis, significat masculam eorum rationem immutabilemque statum in deiformibus istis immobilibusque sedibus firmatum. Vis concupiscibilis divinum amorem. Similiter explicanda est in eis ira, impotentia, irrationalitas, etc.

Deum denominari in Scripturis aliquando a summis rebus, ut appellando solem iustitiae, stellam matutinam; aliquando a rebus mediis, ut ignem, aquam, ventum, etc.; aliquando ab infimis, ut lapidem, leonem, vermem, etc.

Hoc caput citans D. Thomas in *Summa theologica*, dicit I[a] part., quaest. 13, art. 3 (1), ideo nomen boni, sapientis, etc. verius removeri a Deo quam praedicari, *quia id quod significatur..., non convenit Deo eo modo quo nomen significat, sed excellentiori modo.* Et art. 12 (2), ideo affirmationes esse Deo incompactas seu inconvenientes, quia nullum nomen ei convenit secundum modum significandi. Et quaest. 54, art. 3 (3), quod Dionysius dividit (4) angelos in substantiam, virtutem et operationem, quia aliud in eis est substantia, aliud virtus, aliud operatio. Illud etiam citat I *Sent.*, dist. 4, quaest. 2, art. 1 (5); et dist. 22, quaest. 1, art. 1 (6) et 2 (7); et dist. 34, quaest. 3, art. 1 (8); et *Quaest. disput. de potentia*, quaest. 3, art. 4 (9); et quaest. 7, art. 5 (10); et quaest. 9, art. 7 (11).

DOCUMENTUM V.

Valde artificialiter Theologia poeticis sacris formationibus in non figuratis intellectibus visa est: nostrum animum revelans, et ipsi propria, et connaturali reductione providens: et ad ipsum reformans anagogicas sanctas Scripturas (12).

Expositio Hugonis (13): *Ac si diceret: propterea ipsae formationes caelestium ordinum in sacro eloquio diligenter inspiciendae sunt, ... ut nostrum animum ad invisibilium cognitionem per haec visibilia et nota revelarent, id est, illuminarent, etc... Ut nuda et aperta facie caelestia contempletur: et ipsi* (14) *animo propria, et connaturali reductione providens, ut videlicet reducatur ad invisibilia cognoscenda instructus per ea, quae connaturalia et propria illi sunt: et ad ipsum animum reformans, vel coaptans, sive contemperans sacras* (15)

(1) ad 2; ed. Leon., t. IV, p. 143: *Quia id quod significatur per nomen, non convenit eo modo ei, quo nomen...*

(2) ad 1.

(3) *Sed contra.*

(4) « *dividet* » in ed. 1684, p. 543[b].

(5) argum. 2; ed. Vivès, t. VII, p. 74[b].

(6) ad 2; tom. cit., p. 278[a].

(7) argum. 1; p. 278[b].

(8) p. 413[b].

(9) Indicatio erronea; ed. Vivès, t. XIII, pp. 44[a]-49[a].

(10) argum. 2; ed. Vivès, t. XIII, p. 224[b].

(11) corp.; tom. cit., p. 278[a].

(12) *Commentariorum...* lib. III, cap. 2; Migne, P. L., t. 175, col. 957: *... intellectibus usa est: nostrum, ut dictum est, animum... et ad ipsam reformans...* — Similiter col. 966, praeter: *... et ad ipsum reformans...* — Apud Ioannem Scotum, Migne, P. L., t. 122, col. 1040: *Etenim valde artificialiter theologia factitiis sacris formationibus in non figuratis intellectibus usa est, nostrum, ut dictum est, animum... anagogicas sacras Scripturas.*

(13) *Commentariorum...* lib. III, cap. 2; Migne, P. L., t. 175, col. 966.

(14) *Ib.*: *et ipsi scilicet.*

(15) *Ib.*, « *sanctas* » pro « *sacras* ».

scripturas anagogicas (16): *ut prius nostra nobis conformata* (17) *ad nos descenderent: et postea ad superiora reducendo illuminatos sublevarent.*

Nota quod in figuratis et imaginariis repraesentationibus rerum spiritualium accommodat se Deus captui nostro; secus ergo esset, cum supra nostrum modum humanum elevamur. Videatur resolutio 37.

DOCUMENTUM VI.

Duplex (18) *est sanctae manifestationis modus: unus quidem quasi consequens propter similes provenientium sacrarum figurarum imagines: alter vero propter dissimiles formarum facturas in omnino inconsequens et indecorum conformatus.*

Itaque colendam superessentialis divinitatis beatitudinem manifestativorum eloquiorum mysticae traditiones: aliquando quidem ut rationem, et intellectum, et essentiam laudant, etc...: aliquando vero dissimilibus manifestationibus ab ipsis eloquiis supermundane laudatur, eam invisibilem, et infinitam, et incomprehensam vocantibus: et quae, ex quibus non quid est, sed quid non est, significatur. Hoc enim, ut existimo, potentius est in ipsa. Quoniam quidem, ut occulta et sacerdotalis traditio subintroduxit: hoc quidem non esse secundum quid eorum, quae sunt, eam vere dicimus (19). *Ignoramus autem superessentialem ipsius et invisibilem, et ineffabilem infinitatem.*

Expositio Hugonis (20): *Sanctae manifestationis, quae fit per Scripturas, duplex est modus: unus quasi consequens, id est, conveniens et decens: in quo signa signatam veritatem per consimilem proprietatem sequantur, etc... Alter* (21) *modus est conformatus in omnino inconsequens, id est, discrepans et inconveniens, etc... Quia igitur* (22) *duplex est modus manifestationis in sacro eloquio: alter* (23) *per similia signa, alter per dissimilia formatus: atque* (24) *etiam divinae naturae maiestatem ipsa sacra eloquia aliquando per similes, aliquando per dissimiles formationes repraesentant...* (25) *supermundane, id est, mystice et spiritualiter... Quando enim per pulchras formas laudatur, secundum speciem huius mundi laudatur, id est, dicitur secundum aliquid, quod est ipsum per quod laudatur. Quando vero per dissimiles, et a se alienas formationes laudatur, supermundane laudatur quoniam nec idem esse dicitur, nec secundum id, sed supra id totum aliud, per quod laudatur, etc...*

Hoc (26) *enim, ut existimo, potentius est in ipsa. Hoc videlicet ex quo non quid est, sed quid non est significatur, potentius, id est, efficacius est* (27) *et magis proprium et expressum in ipsa: quoniam qui dicit quod non est, dicit quod aliquomodo potest intelligi: qui autem dicit quid* (28) *est, dicit quod nullo modo potest comprehendi, etc...*

Est (29) *autem triplex oculus: oculus carnis, oculus rationis, oculus contemplationis. Oculus carnis apertus est, oculus rationis lippus, oculus contemplationis clausus et caecus. Oculo carnis videtur mundus..., ocu-*

(16) « *analogicas* » in ed. 1684, p. 543b.

(17) « *conformatae* » in ed. 1684, p. 543b.

(18) l. c.; Migne, t. 175, col. 958: ... *Itaque colendam super essentiam divinitatis... infinalitatem.* — Migne, P. L., t. 122, 1041: ... *indecorum formatus. Itaque colendam superessentialis* θεαρχίας *beatitudinem... et infinitam, incomprehensibilemque vocantibus, et ea, ex quibus, ..., ut aestimo, potentius... subintroduxit, non esse secundum... infinalitatem.*

(19) « *dicimur* » in ed. 1684, p. 543b.

(20) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 971: *Quod sanctae manifestationis, quae fit per Scripturas, duplex mòdus esse ostenditur.* « *Unus quidem quasi...* ».

(21) *Ib.*: *Alter vero.*

(22) *Ib.*, « *igitur* » deest.

(23) *Ib.*: *alter videlicet.*

(24) *Ib.*, « *Itaque* » pro « *atque* ».

(25) *Ib.*, col. 972.

(26) *Ib.*, col. 973.

(27) *Ib.*: *potentius est, id est efficacius.*

(28) *Ib.*, « *quod* » pro « *quid* ».

(29) *Ib.*, col. 976.

lo rationis animus..., oculo contemplationis Deus... Oculo carnis videt homo quae sunt extra se ,oculo rationis quae sunt in se, oculo contemplationis quae sunt intra se, et supra se. Ergo Deus, quod est, incogitabilis est, sed hominum et humanae rationi, quae non percipit nisi quod novit, vel secundum id quod novit, quod est in se, vel extra se. Qui autem spiritum Dei in se habent et Deum habent, hi Deum vident: quia oculum illuminatum habent, quo Deus videri potest, etc...

Nota magis propriam esse cognitionem Dei per negationes quam per affirmationes, quia saltem intelligitur quid non sit.

Triplex oculus est in homine: carnis, rationis et contemplationis, et iste caecus est, nisi a Deo illuminetur. Videatur resolut. 10 et 41.

DOCUMENTUM VII.

Oportet etiam intelligere concupiscentiam desiderium esse, tendens ad illam puram, et sublimissimam claritatem, et ad invisibilem, et formificam pulchritudinem aeternae, verae, et invisibilis societatis. Et veluti potentiam suscipit quidem in sufficientia, et in conversibilitate: et a nulla affligitur virtute per inconfusum, et immutabilem divinae pulchritudinis amorem, et universalem revocationem in id, quod vere est appetendum (30).

Expositio Hugonis (31): *Hic per concupiscentiam amorem divinum intelligere oportet, et desiderium immaterialitatis et divinitatis supra rationem: quia plus amari potest quam investigari vel intelligi, etc..... cuius* (32) *amor et castus est, quoniam corruptionem amanti non ingerit, et impassibilis, quoniam suaviter reficiens desiderantem non affligit... Quae videlicet pulchritudo formifica dicitur, quoniam sibi conformat conversos ad se ut pulchri fiant, amantes pulchritudinem veram, non sicut in carne, et secundum carnem: ubi amator pulchritudinis turpis esse potest... Illic autem qui amat, possidet, et esse incipit, qui habere diligit. Talem ergo amorem et tale desiderium in concupiscentia spiritualium ac divinorum intelligere oportet, etc... Idcirco excipit* (33), *sive accipit in sua sufficientia, et conversibilitate ad Deum* (34), *quasi potentiam quandam sive excellentiam, et firmitatem, ut affligi omnino non possit ab aliqua contraria virtute, vel violentia, vel fortitudine. Nullus enim laedi potest, vel affligi, nisi in eo, quod diligit: et propterea qui illum* (35) *solum diligit, quod auferri non potest, laedi omnino non potest, etc...* (36). *Et hoc quidem ei confertur per inconfusum et immutabilem divinae pulchritudinis amorem, et universalem revocationem in id, quod vere est appetendum.*

Quia (37) *enim in illis amor Dei inconfusus est, seu impermixtus* (38), *et purus: idcirco desiderium eorum ad diversa non scinditur. Et quia immutabilis est, ab eodem non flectitur. Et quia universaliter revocantur, et colliguntur in id, quod vere est ap-*

---

(30) Sic apud Hugonem de S. Victore, l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 982. — At vero col. 959: *Ipsum intelligere oportet super rationem, et intellectum immaterialitatis, et inflexibile, et non indigens desiderium superessentialiter castae, et impassibilis contemplationis et illam puram, et sublimissimam claritatem,... potentiam excipit quidem...* — Similiter apud Ioannem Scotum, l. c.; Migne, P. L., t. 122, col. 1042-1043, praeter: *... et veluti potentiam excepit quidem in sufficienti et in conversibili, et a nullo affligi valente per inconfusum et incommutabilem divinae...*

(31) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 982: *Sed amorem potius divinum intelligere oportet, et desiderium immaterialitatis, sive incorporalitatis, et divinitatis super rationem, et intellectum existens; quoniam plus amari potest quam investigari vel intelligi;...*

(32) *Ib.*: *cuius rei.*

(33) *Ib.*, « *excepit* » pro « *excipit* ».

(34) *Ib.*: *ad Deum, et ad divina.*

(35) *Ib.*, « *illud* » pro « *illum* ».

(36) *Ib.*, col. 983.

(37) *Ib.*, « *Quid* » pro « *Quia* ».

(38) *Ib.*: *inconfusus est, vel, ut aliter dicatur, impermixtus...*

petendum, nulla exteriori violentia turbatur.

Nota Deum plus amari posse quam cognosci, et qui Deum amat, Deum habere in se.

Unde quia Deum amat, a nullo potest laedi vel affligi.

Quod tamen intelligitur de amore inconfuso seu impermixto. Videatur resol. 10 et 76.

CAPUT III.

QUID EST HIERARCHIA ET QUAE PER HIERARCHIAM UTILITAS.

Docet sanctus Doctor perfectionem hierarchiae consistere in Dei imitatione et cooperatione; functionesque eius esse expiare, illuminare, perficere.

Qui purgantur puros debere effici; qui illuminantur divino lumine repleri ad contemplativum statum et virtutem evehendos; qui perficiuntur ab imperfectione translatos perfectivae scientiae participes existere.

Denique quales debeant esse expiatores, illuminatores et perfectores.

Circa praedicta dicit D. Thomas, I[a] part., quaest. 106, art.2 (1): *quod secundum modum illuminationis accipienda sit purgatio et perfectio;* et quaest. 108, art. 1, hierarchias angelorum non distingui quantum ad cognitionem Dei, sed quantum ad rationes rerum creatarum; et art. 2, ordinem ut comprehendit diversos gradus constituere hierarchiam, non tamen quatenus ordo est gradus unus; et in *Supplemento* III[ae] partis, quaest. 37, art. 1, nihil esse divinius quam esse Dei cooperatorem; et quaest. 72, art. 1, inde probat sanctos cognoscere orationes nostras in caelo.

Et in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 1 (2), probat definitionem hierarchiae traditam hic a sancto Doctore esse optimam; et art. 2 (3), quomodo unus angelus alium purget. Videatur etiam dist. 10, art. 1 et 2 (4) et *Quaest. disp. de potentia*, quaest. 2, art. 3 (5); et *De malo*, quaest. 7, art. 3 (6); et *De verit.*, quaest. 9, art. 3 (7).

DOCUMENTUM VIII.

Est enim unicuique hierarchiam sortientium perfectio: hoc est secundum analogiam in Dei imitationem ascendere, et omnium divinius (ut eloquia aiunt) *Dei cooperatorem fieri, et ostendere divinam in se ipso actionem, secundum quod possibile est relucentem* (8).

Expositio Hugonis (9): *Haec est perfectio unicuique ordini, scilicet sive personae omnium hierarchiam sortientium ascendere: videlicet secundum propriam analogiam, id est, modum et mensuram in Dei imitationem, et fieri cooperatorem Dei* (ut eloquia aiunt) *divinius omnium, id est, quo nihil divinius* (10), *vel omnium divinius fieri cooperatorem Dei, id est, quo nihil magis divinos facit quam Dei cooperatorem fieri* (11): *et ostendere in se ipso divinam actionem relucentem: ut scilicet ad alios relucendo transfundat per exemplum operis, quod primum percipere meruit per donum occultae aspirationis. Sic ergo perfectio constat hierarchiae, ut qui purgantur purgent; et qui il-*

(1) ad 1; ed. Leon., t. V, p. 484[a]: ... *illuminationis, est accipienda et purgatio...*

(2) Ed. Vivès, t. VIII, pp. 117[b]-119[b].

(3) Tom. cit., pp. 119[b]-122[a].

(4) Tom. cit., pp. 133[a]-136[a]; sed ibi nullus textus ex hoc capite tertio affertur.

(5) Ed. Vivès, t. XIII, pp. 26[a]-29[b].

(6) ad 12; t. XIII, p. 470[b].

(7) corp.; t. XIV, p. 530[b].

(8) Apud HUGONEM DE S. VICTORE, *Commentariorum...* lib. IV, cap. 3; Migne, P. L., t. 175, col. 991 et 997-998: ... *secundum propriam analogiam...* — Item apud IOANNEM SCOTUM, l. c.; Migne, P. L., t. 122, col. 1045.

(9) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 998.

(10) *Ib.*: *divinius aiunt eloquia.*

(11) *Ib.*: *quam scilicet Dei cooperationem fieri.*

luminantur illuminent; et qui perficiuntur perficiant.

Nota nihil divinius et perfectius in nobis esse quam Dei imitatores et cooperatores fieri, transfundendo in alios per exemplum operis, quod ab eo occulte recepimus. Videatur resolutio 11 et 12.

DOCUMENTUM IX.

Ita est ordo hierarchiae: quosdam quidem purgari, quosdam vero purgare; quosdam illuminari, quosdam vero illuminare; et quosdam perfici, quosdam vero perficere: unicuique deiforme adunatione qualicumque modo (12).

Expositio Hugonis (13): *Primum purgantur, postea illuminantur, deinde perficiuntur... Sicut enim illuminari non potest qui non est purgatus, sicut* (14) *consummari non potest qui non est illuminatus. Quia cognitio veritatis non nisi mundos illuminat; et perfectio virtutis non nisi illuminatis veritate appropinquat, etc... Et sic secundum hunc modum unicuique adunationi, id est, ordini, et distributioni qualicunque modo deiforme, id est, Dei deiformitas et* (15) *similitudo... ut in hoc suo modo et mensura singuli deiformitatem, et Dei similitudinem habeant, qui sunt purgatione mundi, veritate illuminati, bonitate perfecti.*

Nota purgationem praecedere illuminationem et utramque perfectionem. Vide resolut. 11 et 13.

DOCUMENTUM X.

Oportet (16) *ut existimo purgandos quidem puros perfici omnino, et liberari ab omni dissimilitudinis confusione. Illuminandos vero repleri divino lumine ad contemplativam habitudinem et virtutem castissimis mentis oculis reducendos. Ex imperfecto restaurandos participes fieri exploratorum sacrorum perfectivae scientiae.*

Purgatores vero magnitudine purgationis aliis tradere ex propria castitate. Illuminatores autem... ditissime sanctae repleti charitatis oportet omnino suum superexcellens lumen in eos, qui digni sunt, lumine supervehere. Perfectores vero tanquam praeceptores perfectivae traditionis perficiendos sacratissima doctrina per inspectorum sacrorum scientiam.

Expositio Hugonis (17): *Purgandos sive eos, qui primo loco, sive eos qui mediantibus aliis purgationem accipiunt... Liberari ab omni... confusione, quam vel ignorantia veri, vel concupiscentia mali induxit. Illuminandos, etc... ut mentis oculis castis et mundis ex praecedenti purgatione peccati et erroris existentibus contemplativam habeant habitudinem et virtutem. Habitudinem* (18) *per mentis puritatem: virtutem autem per contemplationis stabilitatem, ut possint contemplari divina... Ex imperfecto, etc...,* ut (19) *vera bona, et sacra illa quae per scientiam perfectam explorant, dilectione sequendo, et sanctitate participando apprehendant: ut*

---

(12) Apud Hugonem, l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 991: *Utpote quoniam ordo hierarchiae est quosdam purgari, quosdam vero purgare; et quosdam quidem illuminari, quosdam vero illuminare; et quosdam quidem perfici, quosdam vero perficere; unicuique deiforme adunationi qualicunque modo.* — Similiter apud Scotum, l. c.; Migne, t. 122, col. 1045. — Apud. Hugonem, l. c., col. 998, repetitur ut supra, praeter: *Utpote quoniam ita scilicet est ordo hierarchiae: Quosdam quidem purgari,...*

(13) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 998.

(14) *Ib.*, « *sic* » pro « *sicut* ».

(15) *Ib.*, « *sive* » pro « *et* ».

(16) Apud Hugonem, l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 991: *Oportet itaque, ut existimo, purgandos quidem puro perfici omnino, et omni liberari dissimilitudinis confusione... virtutem in castissimis... Ex imperfecto restaurando participes... repleti charitatis, omnino...* — Apud Scotum, l. c., Migne, t. 122, col. 1045: *Oportet itaque, ut aestimo, purgandos quidem puros perfici omnino, et omni liberari dissimilitudinis confusione: illuminandos vero repleri divini luminis, ad contemplativam habitudinem et virtutem in castissimis mentis oculis renovandos:... repleti claritatis, omnino...*

(17) l. c.; Migne, P. L., t. 175, col. 1000: *Purgandos quidem, sive eos videlicet, qui primo...*

(18) *Ib.* additur « *videlicet* ».

(19) *Ib.* additur « *videlicet* ».

sicut per scientiam perfectam perfecti sunt in cognitione, ita per bonitatem perfectam perfecti sint in participatione.

Purgatores, etc... Quorum (20) *ministerium est ut per eos alii purgentur ab errore et culpa, oportet tales esse ut magnitudine purgationis suae, id est, munditiae suae* (21), *aliis tradant purgationem propria castitate, non alieno sed proprio exemplo purgandorum vitam castificantes. Illuminatores etc..., quia qui alios illuminare debent, plus aliis lucere debent... Perfectores vero etc...* (22) *oportet perficiendos sacratissima doctrina per inspectorum sacrorum scientiam, tanquam praeceptores perfectivae scientiae. Sacra veraciter inspicit, qui habitum per experientiam cognoscit. Sacra veraciter inspicit, qui interna bona gustando percepit. Sacratissimam ergo doctrinam habet, qui docet quod sapit: qui instruit quod sentit: qui docet non solum cognoscere verum, sed apprehendere bonum et amare iustum. Quae traditio idcirco perfectiva vocatur, quia hoc solum hominem ad perfectum ducit, quando bona, quae per intelligentiam cognoscere non potest, per studium boni operis apprehendit.*

Nota quod licet ista ad hierarchicos ordines referantur, possunt spiritualibus accommodari: ita ut qui purgandus sit ad contemplationem et perfectionem, perfectissime purgetur; et qui illuminandus, plenissime illuminetur; et qui perficiendus, in omni bonitate, virtute et opere perficiatur.

Item qui alios debet purgare, illuminare et perficere doctrina et exemplo, maxime debet esse purus, illuminatus et perfectus. De quo vide resolut. 12, et 16, et 26.

CAPUT IV.

QUID SIGNIFICAT ANGELORUM COGNOMINATIO.

Docet hic sanctus Doctor naturam illam esse proximiorem divinitati, quae multipliciter eam participat. Angelos maxime Deum participare et ita dici, quia primum a Deo illuminantur et per ipsos nobis revelationes transmittuntur. Deum in se neminem videre, sed apparuisse sanctis per visa quaedam sacra et iis qui ea videbant congruentia, quas theophanias seu Dei apparitiones vocamus. Quae visa fiebant ministerio angelorum, ut per superiora inferiora adducerentur ad numen divinum. Quamlibet hierarchiam habere suos ordines primos, medios et extremos. Mysterium Christi per angelos nuntiatum Zachariae, Mariae, et Ioseph, et pastoribus; immo Christo multa per angelos nuntiata, ne humanitatis ordinem refugeret.

D. Thomas citat hoc caput I^{a} part., quaest. 13, art. 3 (1), ut dicat nomina negari a Deo quia significatum non convenit illi eo modo quo nomen significat. Et quaest. 57, ar. 1 (2) ex eo quod angeli plura participant de Deo infert res materiales in illis praeexistere simplicius et immaterialius quam in seipsis. Et quaest. 108, art. 3 (3) in uno ordine esse plures angelos qui simpliciter non sunt aequales, sed in illis inveniri primos, medios et ultimos. Et quaest. 111, art. 1 (4) homines illuminari per angelos quia ab illis accipiunt revelationes, quae sunt illuminationes.

Et I^{a} II^{ae}, quaest. 3, art. 7 (5) angelos illuminare homines ut ministros

(20) *Ib.* additur « *scilicet* ».
(21) l. c., col. 1001, additur « *quam in se habent* ».
(22) *Ib.* « *etc.* » deest.
(1) ad 2.
(2) corp.
(3) ad 1.
(4) *Sed contra.*
(5) ad 2.

et quaest. 98, art. 3 (6) legem datam esse a Deo per angelos, quia divina debent ad nos deferri per illos. Et quaest. 111, art. 1 (7) ordinem rerum consistere in hoc quod quaedam per alia in Deum reducantur. Et IIª IIæ, quaest. 2, art. 6 (8) revelationem divinam ordine quodam ad inferiores pervenire: ut ad homines per angelos et ad inferiores angelos per superiores. Et IIIª part., quaest. 10, art. 4 (9) potentiam animae esse infra potentiam intellectivam angeli. Et quaest. 12, art. 4 (10) *Christum fuisse formationibus angelicis subiectum non ratione sui, sed eorum quae circa eius incarnationem agebantur.* Et quaest. 20, art. 1 (11) divinam naturam esse essentiam bonitatis. Et quaest. 27, art. 5 (12) angelos, quia Deo propinquiores, magis participare de bonitate divina. Et quaest. 30, art. 2 (13) quod mysterium Iesu primo angeli edocti sint. Et quaest. 55, art. 1 (14) a Deo immediate superioribus angelis fieri revelationes. Et idem etiam art. 2 (15) et in *Supplemento*, quaest. 77, art. 2 (16). De quibus item I *Sent.*, dist. 17, quaest. 1, art. 1 (17); et in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 3 (18); et dist. 11 in expos. (19); et quaest. 1, art. 3 (20); et *Quaest. disp. de malo*, quaest. 3, art. 4 (21); et *De verit.*, quaest 9, art. 2 (22); et quaest. 11, art. 3 (23).

DOCUMENTUM XI.

Cognominatione angelica selectim dignae factae sunt: eo quod primo in se ipsas edunt divinam illuminationem, et per se in nos deferunt quae supra nos sunt manifestationes (24).

Expositio Hugonis (25): *Angelus quippe nuntius interpretatur. Qui ergo acceptam gratiam aliis ministrando deferunt*, auctoris gratiae nuntii sunt. *Sed sunt nuntii alii priores, alii posteriores.* Angeli enim qui primo perceperunt et ad hominum cognitionem deferunt, primi nuntii sunt; *ipsi vero homines cum gratiam perceptam aliis praedicando et annuntiando deferunt, nuntii quidem nominantur*, sed non primi.

Nota eos qui acceptam gratiam aliis communicant doctrina et exemplo, angelos appellari. Videatur resolut. 10.

DOCUMENTUM XII.

Sanctis factae sunt theophaniae secundum quasdam sacras manifestationes decentes Deum et per manifestationes visionum proportionalium videntibus (26).

Expositio Hugonis (27): *Theophaniae, id est, divinae revelationes... sanctis factae sunt, non... ut mens*

(6) corp.
(7) corp.
(8) corp.
(9) arg. 2.
(10) ad 2; ed. Leon., t. XI, p. 170ᵇ: *Christum angelicis formationibus fuisse subiectum, non ratione sui ipsius: sed ratione eorum...*
(11) corp.
(12) corp.
(13) corp.
(14) corp.
(15) corp.
(16) *Sed contra.*
(17) corp.; ed. Vivès, t. VII, p. 206ª.
(18) arg. 2; ed. Vivès, t. VIII, p. 122ª. — In ed. 1684, p. 546ª, erronee legitur « *art.* 1 ».
(19) Ed. Vivès, t. VIII, p. 140ᵇ et 154ᵇ. — In ed. 1684, p. 546ª erronee legitur « *dist.* 12 ».
(20) *Sed contra;* ed. Vivès, t. VIII, p. 143ᵇ.
(21) corp.; ed. Vivès, t. XIII, p. 387ª.
(22) *Sed contra;* ed. Vivès, t. XIV, p. 530ᵇ. — In ed. 1684, p. 546ª, erronee legitur « *quaest. 10, art. 1* ».
(23) *Sed contra;* ed. Vivès, t. XIV, p. 590ᵇ.
(24) Sic apud Scotum, l. c., P. L., t. 122, col. 1047. — Apud Hugonem vero, l. c., P. L., t. 175, col. 1004: *Cognominatione angelica et selectim...*
(25) l. c., col. 1010.
(26) Apud Hugonem, l. c., P. L., t. 175, col. 1004: *Theophaniae autem sanctis factae sunt*, [sed] *secundum decentes Deum, perque quasdam sacras videntibus proportionalium visionum manifestationes.* — Item apud Scotum, l. c., P. L., t. 122, col. 1047, praeter: *... factae sunt secundum praedictiones a Deo per quasdam...*
(27) l. c.; P. L., t. 175, col. 1012.

humana in carne mortali... ad incomprehensibilem naturam contingendam immediate accederet; sed factae sunt secundum quasdam sacras manifestationes, sive visibilium formarum extrinsecus sensui adhibitas (28), *sive imaginationum secundum visibilia intrinsecus animo ingestas, sive alio qualicumque modo altiori... spiritaliter humanae rationi impressas, tali convenientia coaptatas ut* (29) *ipsum Deum, de quo factae erant, decerent: et ipsis quibus fiebant, videntibus secundum proportionem uniuscuiusque et capacitatem congruerent.*

Nota visiones sive extrinsecas, sive imaginarias, sive intellectuales fieri secundum convenientiam et dispositionem recipientium. Vide resolut. 53.

DOCUMENTUM XIII.

Angelus pastores tanquam multorum reditu et silentio purgatos evangelizavit: et cum eo multitudo exercitus caelestis illam valde laudabilem tradebant iis qui in terra sunt, doxologiam (30).

Expositio Hugonis (31): *Purgatos separatione multitudinis et tumultus et purgatos etiam silentio, id est, quiete mentis et pace interna, ut in hoc ipso digni... Evangelico fierent eloquio... Unde paulatim crescente gratia post unius evangelizationem caelestis exercitus multitudo auditur.*

Nota quietem et solitudinem valde conducere ad divinas illustrationes recipiendas.

Et per receptionem priorum disponi animos ad ulteriores. Vide resolut. 8 et 53.

CAPUT V.

QUARE OMNES CAELESTES ESSENTIAE COMMUNITER ANGELI DICUNTUR ET SPECIALITER PROPRIAS, PRAETERQUAM PRIMI ET SECUNDI ORDININUM, HABENT AGNOMINATIONES.

Resolvit sanctus Doctor quod licet hoc nomen particulariter pertineat ad infimum ordinem, eo possunt generaliter omnes appellari: tum quia divina mysteria quae nobis angeli ordinis inferioris enuntiant, receperunt a superioribus; tum quia proprietates et perfectiones inferiorum in superioribus perfectius inveniuntur et non e contra.

Citatur a D. Thoma I[a] parte, quaest. 1, art. 10 (1) quod lex nova figura sit futurae gloriae. Et quaest. 106, art. 3 (2) *hanc esse legem divinitatis immobiliter firmatam, ut inferiora reducantur in Deum per superiora.* Et quaest. 108, art. 2 (3) quod in qualibet hierarchia ordines distinguantur per diversos actus et officia. Et art. 5 (4) nomen commune remanere infimo ordini quasi proprium. Et quaest. 113, art. 2 (5) quod licet unus angelus infimus sit proximior homini, potest homo ab aliis illuminari.

---

(28) « *adhibitis* » in ed. 1684, p. 546[a].

(29) *Ib.* additur « *et* ».

(30) Apud HUGONEM DE S. VICTORE, l. c.' P. L., t. 175, col. 1005 et 1015: *Alius vero pastores...* — Apud SCOTUM, l. c., P. L., t. 122, col. 1048: *Alius vero pastores,... silentio conversos evangelizavit, ... tradebant his, qui...*

(31) l. c.; P. L., t. 175, col. 1015: *Id est separatione vel segregatione multitudinis, et tumultus, et strepitus; et purgatos...*

(1) corp.

(2) *Sed contra*, ed. Leon., t. V, p. 485[a]: *Hanc legem esse divinitatis...*

(3) arg. 3 et ad 3.

(4) ad 1.

(5) arg .3.

De quibus etiam in I *Sent.*, dist. 17, quaest. 1, art. 4 (6); et *Quaest. disp. de potentia*, quaest. 6, art. 7 (7); et *De malo*, quaest. 3, art. 7 (8) et quaest. 9, art. 5 (9).

Nullum tamen mysticum documentum hinc peculiariter eruimus, quia doctrina huius capitis magis ad scholasticos spectat.

CAPUT VI.

QUAE SIT PRIMA CAELESTIUM ESSENTIARUM DISPOSITIO, QUAE MEDIA ET ULTIMA.

Dicit Deum solum cognoscere quae ad omnes ordines angelorum spectant. In illisque esse novem ordines, quas magister suus Paulus in tres ternarias distributiones distinxit, quae dicuntur tres hierarchiae. In prima Throni. Cherubim et Seraphim. In secunda Potestates, Dominationes, Virtutes. In tertia Angeli, Archangeli, Principatus.

D. Thomas citat hoc caput I[a] part., quaest. 56, art. 1 (1), ubi sibi obiicit Dionysium dicentem *quod angeli ignorant proprias virtutes*. Et respondet (2) hanc litteram antiquam esse correctam per novam, licet non careat solutione. Et quaest. 58, art. 5 (3) nescientiam non esse in angelis respectu naturalium, sed supernaturalium. Et quaest. 106, art. 2 (4) purgationem angeli ab alio angelo non esse in voluntate, sed in intellectu. Et quaest. 108, art. 3 (5) nos non cognoscere angelos et eorum officia perfecte. Et III[a] part., quaest. 22, art. 1 (6) sacerdotes vocari angelos, quia mediant inter Deum et homines. Item in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 2 (7).

CAPUT VII.

DE SERAPHIM, CHERUBIM ET THRONIS, HOC EST, DE PRIMA ANGELORUM HIERARCHIA.

Docet Seraphim idem esse ac incensores sive calefacientes; Cherubim copiam cognitionis vel effusionem sapientiae; Thronos sublimes et excelsos. Agit de dignitate et perfectione primae hierarchiae. Inferiores dicit initiari et illustrari a superioribus; supremos vero a Deo. Et primam hierarchiam Dei laudibus esse intentam.

D. Thomas citat hoc caput I[a] part., quaest. 12, art. 8 (1) et ex eo quod angeli inferiores purgantur a superioribus nescientia, infert non omnia in Deo videri ab omnibus. Et quaest. 57, art. 5 (2) ex eo quod Scriptura inducat aliquos angelos ad Iesum quaestionem facientes, infert illos non cognoscere omnia mysteria gratiae aequaliter. Et quaest. 106, art. 2 (3) ex eo quod Seraphim dicantur incendentes, non sequitur posse mutare voluntatem alterius, sed inducere ad amorem Dei per modum suadentis. Et art. 4 (4) ex eo quod angeli quaerant *Quis est iste rex gloriae* (5)?

---

(6) Ed. Vivès, t. VII, pp. 210b-212a (?).
(7) ad 1; ed. Vivès, t. XIII, pp. 203b-204a.
(8) Ed. Vivès, t. XIII, pp. 391a-393b (?).
(9) Indicatio erronea.
(1) arg. 1; ed Leon., t. V, p. 62a.
(2) ad 1.
(3) arg. 2.
(4) ad 1.
(5) corp.
(6) ad 1.
(7) Ed. Vivès, t. VIII, pp. 119b-122a.
(1) *Sed contra.*
(2) *Sed contra.*
(3) ad 2.
(4) ad 2.
(5) *Ps.* 23, v. 8 et 10.

non sequitur non cognovisse aliquomodo mysterium incarnationis, sed quod non ita plene sicut superiores. Et quaest. 107, art. 2 (6) ex eodem loco probat inferiores angelos loqui superioribus. Et quaest. 108 (7) quod Angeli primae hierarchiae cognoscant rationes rerum ut procedunt a primo principio. Et art. 2 (8) in qualibet hierarchia esse tres ordines, quia est sacer principatus, in quo debet esse ordinum diversitas. Et art. 5 (9) *quod propria nomina singulorum ordinum proprietates eorum designant.* Et art. 6 (10) quod in prima hierarchia Seraphim sint primi, Cherubim medii, Throni ultimi; in secunda, Dominationes primi, Virtutes medii, Potestates ultimi; in tertia, Principatus primi, Archangeli medii, Angeli ultimi.

Et I^{a} II^{ae}, quaest. 28, art. 5 (11) ex eo quod Dionysius ponit proprietates amoris calidum, acutum, superfervens, non sequitur quod sit passio laesiva, nisi de materiali in organo corporis. Et quaest. 111, art. 1 (12) ex eo quod quaedam in Deum reducantur per alia, infert dari gratias gratis datas. Et quaest. 112, art. 1 (13) purgationem, illuminationem et perfectionem hominis vel angeli ab alio esse per modum instructionis. Et II^{a} II^{ae}, quaest. 2, art. 6 (14) ex eo quod revelatio divina ordine quodam perveniat ad inferiores, infert debere superiores habere pleniorem notitiam de credendis. Et art. 7 (15) ex eo quod angeli quaesierint *Quis est iste qui venit de Edom* (16)? non sequi eos non cognovisse aliquomodo mysterium incarnationis. Et III^{a} part., quaest. 12, art. 4 (17) ex eo quod supremi angeli ad Iesum quaestionem faciunt, infert Christum non accepisse scientiam ab angelis. Et quaest. 13, art. 2 (18) licet anima Christi moveat angelos illuminando, non tamen hoc habet ex natura animae. Et quaest. 30, art. 2 (19) licet Mater Christi sit superior angelis in dignitate, non tamen quantum ad statum praesentis vitae; quatenus non erat comprehensor et sic poterat illuminari ab angelis. Et quaest. 59, art. 6 (20) ex eo quod anima Christi angelos illuminavit, debet et potest de illis iudicare. Et quaest. 67, art. 1 (21) sicut ex nominibus caelestium ordinum infert Dionysius eorum officia, ita ex nominibus ecclesiasticorum ordinum potest inferre.

Citat etiam in I *Sent.*, dist. 37, quaest. 3, art. 1 (22); et in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 7 (23) et dist. 10, quaest. 1, art. 1, 2, 3 (24); et *Quaest. disp. de veritate*, quaest. 9, art. 3 (25).

DOCUMENTUM XIV.

Mobile enim semper eorum (scilicet spirituum primae hierarchiae) *circa divina, et incessabile, et calidum, et acutum et superfervidum intentae, et forsan intimae et inflexibilis semper motionis. Et suppositorum reductivae et activae exemplativum tamquam recalificans illa, et resuscitans in similem caliditatem et igneum caelitus, et holocauste purgativum, et circumvelatum, et inextinguibile: habentemque sic semper luciformem, et illuminativam proprietatem omnis tenebrosae obscurificationis persecutricem, et manifestatricem, Seraphim*

(6) *Sed contra.*
(7) art. 1, corp.
(8) corp.
(9) corp.
(10) *Sed contra.*
(11) arg. 3 et corp.
(12) corp.
(13) ad 3.
(14) corp.
(15) arg. 1 et ad 1.
(16) *Isaiae*, c. LXIII, v. 1.
(17) *Sed contra.*
(18) ad 2.
(19) ad 1.
(20) corp.
(21) corp.
(22) arg. 1; ed. Vivès, t. VII, p. 450^{b}.
(23) arg. 2; ed. Vivès, t. VIII, p. 129^{a}.
(24) Ed. Vivès, t. VIII, pp. 133^{a}-138^{a}.
(25) corp. et ad 1; ed. Vivès, t. XIV, p. 532.

nominatio, aut manifestatio docet (26). Expositio Hugonis (27): *Fateor quod verba audivi aut non homini dicta, aut non dicta ab homine... Mobile,* (28), *inquit, quia vita; incessabile, quia perpetua; calidum, quia amor; acutum, quia sapientia.... Et totum hoc... una dilectio est...* « *Qui non diligit, manet in morte* (29) ». *Ergo dilectio vita est; et qualis vita?* « *Charitas nunquam excidit* (30) »... *ergo vita perpetua est dilectio... Mobile amor* (31) *est sicut et calidum...* « *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis... dum loqueretur nobis in via* (32)? » *Ambulabant enim et movebantur impatientia dilectionis acti, quia si starent non amarent. Quia enim ambulabant, mobile habebant; et calidum, quia ardebant; acutum autem non habebant, quia non cognoscebant...* (33). *Quia tamen prius dilexerunt, postea cognoverunt, ut acutum in dilectione esset sicut et calidum. Prius calidum, postea acutum..., quemadmodum prius mobile, postea incessabile, ut mobile ad inquisitionem excitet, incessabile ad perseverantiam confirmet; calidum, ut sensum vivificet; acutum autem, ut penetret ad comprehensionem.*

Significat enim acutum impetum quendam amoris, et vehementiam desiderii ardentis, ferentis se in amatum, et intrantis et penetrantis, ut ibi sit, ubi est ipsum quod amatur, cum ipso, et in ipso; ut non solum ab ipso calidum sit, sed transeat acutum in ipsum. Poterat enim calidum esse, et quasi a (34) *longe calefieri; cui hoc satis esset amare ita absentem, et praesentem non videre, vel praesentissimum possidere. Sed non erat amor hierarchiae perfectus, neque amabilis multum, nisi acutum faceret sibi, et transiret omnia, et penetraret, donec ad dilectum perveniret, imo potius in dilectum iret. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, neque acutum habes dilectionis. Sed hebes* (35) *et torpens divisus manes, et extra illum, ut unum non efficiaris. Amor autem unum se facere vult cum illo* (36), *et idcirco penetrat omnia et appropinquat quantum potest, ad unum ipsum. Considera modo quomodo acutum habebant amorem* (37), *de quibus dictum est:* « *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur* (38) ». *Impetus namque ipse acutum fuit, sicut et liquidum in alio loco acutum nominatur dilectionis... Nam et ipsum liquidum penetrat sicut acutum: et non cessat donec ad interiora pervenerit. Ideo* (39) *ait:* « *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est: quaesivi illum* (40) ». *Propterea enim quaesivit illum, quia liquefacta est ad illum. Nisi enim liquefieret ad illum, non curreret post illum, sed dura staret, et non intraret... Sed nondum statim invenit, donec pervenit. Ideo* (41) *incessabile necessarium erat, ut intraret, et penetraret, et diceret:* « *Tenui illum, nec dimittam, donec introducam, etc.* (42) ». *Ergo ipse ad*

(26) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1031: *... purgativum, et incircumvelatum, et... Seraphim manifestatio, aut cognominatio docet.* — At col. 1035-1036 repetitur ut apud Iosephum a Spiritu Sancto, excepto quod ibi legitur « *incircumvelatum* » pro « *circumvelatum* ». — Apud Scotum, l. c.; P. L., t. 122, col. 1050: *... intentae et non indigentis et inflexibilis semper motionis, et superpositorum reductive et active assimilativum, ... in similem calorem, et ... et incircumvelatum et inextinguibile, habens sicsic semper... Seraphim nominationem aut manifestationem docet.*

(27) l. c.; P. L., t. 175, col. 1036.

(28) l. c., col. 1037.

(29) I *Ioan.*, c. III, v. 14.

(30) I *Cor.*, c. XIII, v. 8.

(31) Hugo de s. Victore, l. c.: *Mobile enim amoris...*

(32) *Luc.*, c. XXIV, v. 32; Hetzenauer, p. 1039: *... loqueretur in via?*

(33) Non idem ordo apud Migne, l. c., servatur.

(34) *Ib.*, « *de* » pro « *a* ».

(35) *Ib.*, « *habes* » pro « *hebes* ».

(36) *Ib.*, « *ipso* » pro « *illo* ».

(37) l. c., col. 1038: « *amoris* » pro « *amorem* ».

(38) *Ezech.*, c. I, v. 12.

(39) *Ib.*, « *Idcirco* » pro « *Ideo* ».

(40) *Cant.*, c. V, v. 6; Hetzenauer, pp. 599-600: *... ut locutus est: quaesivi, et non inveni illum.*

(41) *Ib.*: *Idcirco et hic quoque incessabile...*

(42) *Cant.*, c. III, v. 4; Hetzenauer, p. 598: *Tenui eum; nec...*

te (43) *intrabit, ut tu ingrediaris ad ipsum. Tunc enim tu intras ad ipsum, quando ipse ad te ingreditur. Quando amor illius cor tuum intrat, et penetrat, et ad intimum cordis tui dilectio illius pertingit: tunc intrat in te ipse, et tu quoque intras te ipsum, ut ingrediaris ad ipsum... Propterea acutum habet, et liquidum penetrans omnia, et impetum sequens ardentis desiderii sui: non dissimulare valens donec ad amatum perveniat, et eo ipso amplius adhuc sitiens intrare in ipsum, et esse cum ipso, et tam prope, ut si fieri possit, hoc idem ipsum sit quod ipse...*

Si (44) *ergo tale est calidum et acutum dilectionis: quale putas est, quod sequitur: « superfervidum? »... Nostis enim quomodo id quod fervet quadam caloris, et incendii sui violentia iactatur extra se, et tollitur supra se: et facit motionem magnam ex subiecta et invisibili aestuatione concepti fervoris, etc... Movetur ergo calidum ad acutum, deinde promovetur acutum ad superfervidum. Quod enim prius acutum fuit, et liquidum in dilectione obsistentia alia penetrare valens, superfervidum fit iam et bulliens in se ipso stare non valens. Acutum enim est amoris, cum omnia transeundo despicit; superfervidum autem, cum etiam semetipsum contemnendo relinquit... Neque enim vere solum Deum* (45) *appeteret, si vel semetipsum cum illo amaret... Fit ergo miro quodam modo, ut dum per dilectionis ignem in illum sustollitur, qui est supra se: per vim amoris expelli incipiat ,et exire etiam a se,... nec se cogitat, dum illum solum amat... Sed quomodo hoc* (46) *assignare poterimus in illis supercaelestibus naturis, quibus eadem est vita quod essentia? etc.*

Sequitur (47): *« Et suppositorum reductivae, et activae exemplativum ». In superiori* (48) *expressit virtutem dilectionis verae in Deum...: nunc subsequenter ostendit eiusdem dilectionis vim, effectumque ad proximum... Motio igitur dilectionis, quae illic ad superiora intenta, et intima, et inflexibilis dicitur: hic ad supposita et inferiora reductivae et activae exemplativum nominatur. Motus enim ille, qui in superiori est contemplatio, in inferiori est operatio. Ad superiora tendit, ut in eis quiescat: ad inferiora tendit, ut ea ad se reducat. Sursum ergo charitas movetur, ut illic maneat: deorsum, ut redeat. Propterea motio charitatis in superioribus* (49) *ad inferiores reductiva, et activa dicitur. Reductiva in eo quod illos ad creatorem suum eodem igne charitatis succendens convertit. Activa in eo quod illos accepta claritate illustrans ad ipsius voluntatem componit. Reductiva est ergo subiectorum, quia illos ad superiora trahit: activa, quia illos in inferioribus disponit. Reductiva ut ad Deum tendant; activa ut secundum Deum incedant. Huiusmodi ergo motionis... exemplativum est forma illa dilectionis, in qua exemplo superiorum subiectis ostenditur, quanto affectu charitatis, et secundum Deum incedere, et ad ipsum debeant inhiare. Sive ut ita legatur, exemplativum subiectorum, id est, quod subiectis in exemplum proponitur: reductive et active adverbialiter pronuntiatis, eodem sensu manente...*

Quod autem ait « recalificans et resuscitans », non ita intelligendum est, quasi prius extincti et mortui, iterum accendantur et vivificentur; sed quod per dilectionem desuper venientem ad eadem rursus quae sursum sunt amanda et expetenda excitentur. Per ignem ergo dilectionis quasi recalefiunt et resuscitantur, in quibus accensa dilectionis flamma ad illa rursum amanda reducitur, a quibus prius (50) *et*

(43) *Ib.* « *ad te* » deest.
(44) l. c., col. 1039.
(45) *Ib.*, « *illud solum* » pro « *solum Deum* ».
(46) l. c., col. 1040 « *haec* » pro « *hoc* ».
(47) l. c., col. 1042.
(48) *Ib.* additur « *enumeratione* ».
(49) *Ib.* additur « *quidem* ».
(50) l. c., col. 1043, « *prius* » deest.

principalius amantibus in subsequentes et subiectos amatores oriebatur.

Omnia ergo haec docet cognominatio Seraphim sive manifestatio etc... Docet etiam ipsa cognominatio Seraphim « igneum caelitus, et holocauste purgativum, et circumvelatum (51), *et inextinguible ». Quod in ipsis est primum caelitus, sive divinitus descendens in ipsos: deinde ab ipsis ut ardeant et succendant, purgentur et purgent, revelentur et revelent. Docet* (52) *etiam ipsa cognominatio Seraphim luciformem et illuminativam proprietatem eorum habentem se semper sic* (53), *id est, uno eodemque modo, ac sine varietate* (54) *permanentem, et persecutricem omnis tenebrosae obscurificationis, ut ad ipsam non accedat: et manifestatricem, ut extra ipsam non lateat, etc.* Haec Hugo.

Hoc documentum seraphicum applicant mystici hominibus seraphice viventibus, in quibus amor etiam est mobilis, incessabilis, calidus, acutus, superfervens. De quibus gradibus amoris vide resolut. 78 et 88. Et de amore proximi reductivo et activo vide resolut. 80.

DOCUMENTUM XV.

Communicatione Iesu similiter digne factas (scilicet angelicas seu cherubicas substantias) *non in imaginibus sacre fictis formative figurant deificam similitudinem: sed ut vere ipsi approximantes in prima participatione scientiae deificum eius lumen: et quia a Deo simile ipsis substantialiter donatum est. Communicant autem huiusmodi (ut possibile est) in praeoperatrice virtute deificis ipsius, et humanis virtutibus* (55).

Expositio Hugonis (56): *Non solum, inquit, divinitatis contemplationem et cognitionem percipere meruerunt: sed illius etiam salvationis, quae in humanitate Iesu perfecta est, communione, et cognoscendo, et participando dignae factae* (57) *sunt. Communicaverunt enim Iesu: mysterium incarnationis eius, et antequam fieret praedicendo, et cum fieret administrando, et postquam perfectum est, homini ad aeternitatem reparato in eadem beatitudinis societate congaudendo. Quam* (58) *divinam contemplationem sine aliquibus figuris immediate ab ipsa divinitate illuminatae percipiunt, etc.*

Unde colligunt mystici quod sicut angeli vident mysteria incarnationis sine figuris aut similitudinibus, ita potest dari in hac vita visio intellectualis distincta sacrae humanitatis quin sit imaginaria, ut fuit illa cuius meminit Seraphica Mater nostra cap. 28 *Vitae* suae (59); de qua videatur noster Iosephus a Iesu Maria in *Introitu animae*, t. II, lib. II, cap. 15 (60) et quae dicimus infra resolut. 57 et 90.

DOCUMENTUM XVI.

Perfectas autem similiter: non ut sacra varietate analyticam scientiam illuminatas, sed ut prima et supereminenti deificatione repletas, secundum excellentissimam et quantum in angelis divinorum operum scientiam (61).

---

(51) *Ib.*: « *incircumvelatum* ».

(52) *Ib.*: *Et docet...*

(53) *Ib.*: *... semper sic: sic, id est...*

(54) *Ib.* additur: « *et mutabilitate* ».

(55) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1032: *Communionem autem Jesu...* — Apud Scotum, l. c., P. L., t. 122, col. 1051: *Communicatione autem Jesu... et quia Deo simile ipsis subjectissime donatum est, et communicant hujusmodi, ut possibile, in...*

(56) l. c.; P. L., t. 175, col. 1055.

(57) *Ib.*: « *dignefactae* ».

(58) *Ib.*, loco « *quam* » legitur: « *Postea subjungit, ostendens quod* ».

(59) *Vida*, cap. 28, §. *Un dia de San Pablo*; ed. crít., t. I, p. 218.

(60) *Entrada del alma al Parayso espiritual*, lib. II, cap. 15; ed. 1694, pp. 405a410a.

(61) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1032 et 1056. — Apud Scotum, l. c., P. L., t. 122, col. 1051: *..., sed ut primae et supereminentis deificationis repletas, secundum excelsissimum, quantum...*

Expositio Hugonis (62): *Q. d.: Non solum puras, et illuminatas caelestes substantias illas existimandum est, sed etiam perfectas in scientia ex habitu virtutis percepta: non tamen quasi illuminatas, sive eruditas scientiam, vel disciplinam analyticam, id est, resolutoriam, sacra varietate, id est, multiplici doctrina sacrae Scripturae. Non enim sicut homines foris multiplicitate sermonis erudiuntur, ut eis per disputationes, et discretiones ea quae occulta sunt et perplexa, in scientia ac disciplina resolvantur: sed per simplicem intus contemplationem illuminari* (63) *accipiunt, ut ab eorum cognitione nihil eorum quae sciri possunt, abscondatur* (63 bis). Haec ille.

Unde dicunt mystici cum D. Thoma non semper sapientes et doctos exire devotos, sed magis illos qui cum sint ignorantes et humiles, illuminantur a Deo per aspirationes et illustrationes interiores, sicut angeli, sine argumentorum strepitu. De quo noster Iosephus a Iesu Maria in *Ascensu*, I part., lib. III, cap. 19 (64), citans hunc locum Dionysii. Vide resolut. 49.

DOCUMENTUM XVII.

Ipsa autem altissimarum et compactarum sedium omni diligenter exaltari ignominia subiectionis, et ad summum supermundane sursum ferens, et omni extremitate ineffabiliter in sublimissimum, et circa vere excelsum totis virtutibus incommutabiliter et stabiliter collocatum, et divini superadventus in omni impossibilitate et immaterialitate acceptivum et deiferum, et famulanter in divinas susceptiones apertum (65).

Expositio Hugonis (66): *Cognominatio Thronorum celsitudinem significat dignitatis: pro eo quod invisibilis Conditor in ipsis sedens, per eos subiecta omnia iudicando disponit. Et propter excellentiam* (67) *iudicii divini, quod per eos exercetur, ipsos thronos altissimas et compactas sedes nominavit: altissimas propter dignitatem, compactas propter veritatem...* Et (68) quia compactum idem est atque coniunctum: iunctura autem sedium Dei convenientia est iudiciorum, ut poenae cum culpa, gloriae cum meritis, etc.; ipsos dicit exaltatos ab omni ignominiosa subiectione, et *collocationem illorum, sive stabilimentum... totis virtutibus, id est, omnimoda virtute et inconcussa fortitudine: et* (69) *ineffabiliter longe ab omni extremitate, id* (70) *est, ultra omnem finem, in sublimissimum, et circa vere excelsum...* Vel extrema possunt dici quae extra sunt visibilia omnia (71). Et (72) *divinitatem desuper eis advenientem accipiunt in omni impassibilitate et immaterialitate, id* (73) *est, incorrupte et pure. Quibus enim* (74) *occulta divinitas per signa exteriora et figuras corporales cognoscenda* (75) *se ingerit, ad ipsos* (76) *quasi materialiter venit...* Et *famulariter, id est, obedienter se aperiunt et voluntarie coaptant, ut ipsum Deum advenientem in se suscipiant, etc.*

---

(62) l. c.; P. L., t. 175, col. 1056: *Ac si dicat: Non solum puras et illuminatas eas esse existimandum est; sed...* — *Q. d.* = *Quasi dicat.*

(63bis) In ed. 1684: «*abscondantur*» pro «*abscondatur*».

(63) In ed. 1684: « *illuminati* » pro « *illuminari* ».

(64) *Subida del alma a Dios*, lib. III, cap. 19; ed. 1694, pp. 197b-198b.

(65) Apud HUGONEM, l. c.; P. L., t. 175, col. 1031; at col. 1047 legitur « *impassibilitate* » pro « *impossibilitate* ». — Apud SCOTUM, l. c.; P. L., t. 122, col. 1050-1051: ... *extremitate inflexibiliter in... omni impassibilitate.. et famulariter in...*

(66) l. c.; P. L., t. 175, col. 1047.

(67) *Ib.*: *Propter hanc enim dignitatem et excellentiam...*

(68) Quae hic sequuntur, est contractio quaedam.

(69) l. c.; col. 1048: *Factum dico ineffabiliter...*

(70) *Ib.*, « *hoc* » pro « *id* ».

(71) Contractio quaedam.

(72) l. c., col. 1049.

(73) *Ib.*, « *hoc* » pro « *id* ».

(74) *Ib.*: *Rursum quibus occulta...*

(75) *Ib.*, « *cognoscendam* » pro « *cognoscenda* ».

(76) *Ib.* additur « *quodammodo* ».

Hinc dicunt mystici contemplationem fidei seu mysticae theologiae etiam acquisitae reddere intellectum non solum angelicum, sed etiam Thronis similem; ut enim sit sedes Dei, debet proportionari et conformari cum illo mediante fide. De quo videatur *Concordantia mystica*, lib. III, cap. 5, num. 4 (77). Vide etiam resolut. 67 et 73.

DOCUMENTUM XVIII.

Prima... hierarchia ab ipsa perfectionis principe sanctificata... purgatur, et illuminatur, et perficitur, ut sit pura ab omni minoratione, vel imperfectione, et ut plena primi luminis (78).

Expositio Hugonis (79): *Tamquam si quaereretur, quae sit ista purgatio? respondet, quod assumptio divinae scientiae in animo rationali, et purgatio est, et illuminatio, et perfectio. Purgatio, quia ignorantiam purgat; illuminatio, quia divina cognitione illuminat; perfectio, quia illuminando scientia perfectarum doctrinarum, sive disciplinarum secundum habitum illuminatum consummat... Sunt* (80) *enim quaedam, quae tantum investigantur ad cognitionem intelligendi; quaedam vero specialiter pertinent ad intelligentiam faciendi. Ad illa necessaria est illuminatio; ad ista perfectio. Non enim perfectum facit cognitio veritatis, nisi habitus virtutis subsequatur, etc.*

Hinc dicunt mystici influentiam illam divinam quae est participata sapientia et qua in purgatione passiva animae affliguntur, simul illas purificare, illuminare et perficere. De quo vide *Concordantiam mysticam*, lib. III, cap. 37, a num. 1 (81).

Item non esse securas communicationes divinas quibus animae valde non proficiant, cum perfectio a virtutibus et non a cognitione diiudicanda sit. Vide etiam *Concordantiam* citatam, lib. III, cap. 30 (82). Vide resolut. 31 et 62.

DOCUMENTUM XIX.

Multas quidem et beatas (83) *viāens pure contemplationes, simplosque et immediate fulgores illuminata, et divino alimento repleta, multa quidem primo data fusione, solaque domestica et unifica divinae refectionis unitate, multaque communione Dei, et cooperatione digna effecta ad eam, ut possibile similitudine bonarum habitudinum, et actionum: multaque divinorum superposite cognoscens, et divinae scientiae, et cognitionis in participatione, secundum quod fas est, facta* (84).

Expositio Hugonis (85): *Non dici potest a nobis bonum illud, quod illos beatos animos per gaudium aeternae contemplationis iuxta se immobiles tenet, ut ad caduca non effluant, et rursum per desiderium movens ad se trahit, ut ipsum incessabili dilectione appetant. Sed ne omnino taceatur quod prorsus dici non potest... Lumen est et dulcedo bonum illud. Quare lumen? quia oculos clarescere facit. Quare dulcedo? quia reficit... Alterum est ad illuminatio-*

(77) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 5, num. 4; Barcelona, 1667, p. 291. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(78) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1033: *... perficitur; omni quidem minoratione pura, primi vero luminis plena.* — Similiter apud Scotum, l. c.; P. L., t. 122, col. 1052, praeter: *Prima caelestium intellectuum Ierarchia ab ipsa theletarchia sanctificata...*

(79) l. c., P. L., t. 175, col. 1060.

(80) l. c., col. 1061.

(81) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 37, a num. 1; Barcelona, 1667, pp. 455-461. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(82) Barcelona, 1667, pp. 419-422.

(83) In ed. 1684 legitur: « *beatus* » pro « *beatus* ».

(84) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1033. — Apud Scotum, l. c., P. L., t. 122, col. 1052-1053: *... contemplationes, simplo vero et immediato fulgore illuminata,... sola vero domestica... similitudinem bonarum...*

(85) l. c.; P. L., t. 175, col. 1063: *Non ergo dici...*

nem; alterum ad refectionem. Si illuminaris et non satiaris, magnum bonum est, sed non plenum; si satiaris et non illuminaris, magnum item bonum est, sed non perfectum. Refectio iucundum facit quod intus est; illuminatio iucundum exhibet quod foris est; utrumque ad gaudium plenum exigitur... Quaere ergo refectionem, ut iucundum tibi sit quod in te est; quaere et illuminationem, ut iucundum tibi sit quod extra te est... Duo (86) *sunt enim cognitio et amor: alterum ad illuminationem pertinet; alterum ad refectionem; cognitio illuminat, dilectio satiat... « Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (87) *». In « gustate » dilectio; in « videte » cognitio est...*

Multas igitur (88) *et beatas videns pure contemplationes, etc... Commendat primo cognitionem in contemplationibus multis et beatis pure visis per illuminationem fulgorum simplicium. Qui sunt simplices fulgores? purae illuminationes. Per puras illuminationes venitur ad puras contemplationes. Pura illuminatio est quando veritas per semetipsam concipitur. Pura contemplatio est quando veritas in semetipsa videtur. Quando per subiectam imaginem vel figuram veritas addiscitur, non est pura illuminatio; quando in subiecta imagine vel figura veritas cognoscitur, non est pura contemplatio. Neque enim simplicitas esse potest, nisi ubi solum est; neque puritas, nisi ubi verum est. Simplicitas in solo, puritas in vero. Propterea qui immediate contemplantur et per semetipsos ad veritatem accedunt, soli simplices illuminationes habent et puras contemplationes.*

Sequiritur « divino alimento repleta ». Quod est divinum alimentum? divina refectio; et ipsa refectio quid (89) *est nisi Dei dilectio?... Unitas* (90) *ergo refectionis et unitas alimenti una est refectio et unum alimentum. Ergo in mensa Dei non nisi unum ferculum apponitur... Multa in* (91) *mundo sunt, et haec omnia cor hominis satiare non possunt: unum autem bonum est apud Deum, et hoc solum cum percipitur, satietas invenitur: ergo non in multitudine, sed in unitate satietas est... Propterea peccatrix illa, quia multa dimittenda habuit, non multa, sed multum dilexit: multa dimisit, et multum elegit... In multis parum, in uno multum... Ipsa vero una et simplex divina refectio; idcirco singularis dicitur, quia cum aliena dilectione* (92) *et dulcedine extranea non percipitur; domestica, quia amicis tantum et familiaribus praeparatur: unifica, quia unum secum efficit omnes, qui* (93) *se sumendam et participandam concedit.*

Sequitur « multaque communicatione Dei, et cooperatione »... Primum per claritatem cognitionis illuminatur: postea per dulcedinem dilectionis reficitur: ut sic Deo et communicet in virtute, et cooperetur in actione, sicut scriptum est: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, etc. (94).

Sequitur « multaque divinorum superposite, etc. ». Hoc est, ipsa suprema (95) *hierarchia cognoscens est multa divinorum, id est, multa de divinis* (96)*, superposite, id est, excellenter super alias hierarchias, « et facta est in participatione », hoc est, particeps facta est divinae scientiae et cognitionis divinae secundum quod fas est illi, id est, concessum.*

(86) l. c., col. 1065.
(87) *Ps.* 33, v. 9.
(88) *Ib.*, « *quidem* » pro « *igitur* ».
(89) *Ib.*, « *quae* » pro « *quid* ».
(90) l. c., col. 1066.
(91) *Ib.* additur « *hoc* ».
(92) *Ib.* « *delectatione* » pro « *dilectione* ».
(93) *Ib.* « *quibus* » pro « *qui* ».
(94) *Ioan.*, c. XIV, v. 23.
(95) l. c., col. 1067 « *suprema* » deest.
(96) *Ib.* additur « *sive de Deo* ».

Ex tota hac doctrina multa colligunt mystici: 1° Qualia sunt gaudia et consolationes quae accipiuntur in contemplatione, quando anima recipit passivam illuminationem. De quibus gaudiis et gustibus agit Seraphica Mater cap 25 *Vitae* (97) et mansione IV, cap. 1 (98), ut tenet auctor *Concordiae*, lib. III, cap. 24, num. 3 (99).

2° Quid sit pura contemplatio. De qua an detur in hac vita diximus quaestione 5 *Mysticae theologiae*.

3° Quomodo in uno cognito et amato perficiatur contemplatio et amor.

4° Quomodo a contemplatione ad virtutum exercitia debeamus descendere.

De quibus videatur resolutio 47, et 61, et 77, et 82.

CAPUT VIII.

DE DOMINATIONIBUS, ET VIRTUTIBUS, ET POTESTATIBUS, ET DE MEDIA EORUM HIERARCHIA.

Docet in hoc capite Dominationes dici quia caeteris angelis dominantur et ab omni oppressione sint liberae; quarum officium est, servili timore deposito, in Deum moveri eique famulari. Virtutes fortem quandam et inconcussam denotare virilitatem ad exsequenda munera; quarum officium est instruere praelatos. Potestates inconfusum divinis rebus excipiendis ordinem; quarum officium est angelos inferiores divinae potentiae conformare.

Item quomodo illustrationes transfundantur in inferiores exemplo illius loci *Zach.*, cap. I, v. 22, et *Ezech.*, cap. IX, v. 10 et 12, et *Daniel*, cap. VIII, v. 16 et cap. IX, v. 23, etc.

De quibus potest videri D. Thomas, I[a] part., quaest. 66, art. 3 (1), ubi ex comparatione primorum angelorum, qui habent influentiam super alios qui mittuntur, licet ipsi non mittantur, dicit caelum empyreum habere influxum supra corpora quae moventur, licet ipsum (2) non moveatur. Et quaest. 106, art. 1 (3), ubi probat unum angelum illuminare alium ex auctoritate Dionysii hic. Et quaest. 108, art. 2 in qualibet hierarchia esse tres ordines. Et art. 5 (4) omnes posse dici virtutes ratione communi. Et art. 6 sequitur ordinem Dionysii in dispositione horum graduum. Et quaest. 112, art. 2 (5) quod superiores angeli nunquam ad externa mittantur. Et art. 4 (6) quod Dominationes (7) non mittantur, eo quod sunt maiores omni subiectione. Et I[a] II[ae], quaest. 111, art. 1 (8) quod dentur gratiae gratis datae, cum ordo rerum consistat in eo ut quaedam per alia in Deum reducantur. Et III[a] part., in *Supplemento*, quaest. 73, art. 3 (9) proprium officium Virtutum esse corpora caelestia movere. Videatur etiam in I *Sent.*, dist. 37, quaest. 3, art. 3 (10) et in IV *Sent.*, dist. 24, quaest. 2, art. 1 (11).

---

(97) S. Theresia, *Vida*, cap. 25; ed. crít., t. I, pp. 191-201.

(98) *Moradas* IV, cap. 1; ed. crít., t. IV, pp. 45-52.

(99) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 24, num. 1-3; Barcelona, 1667, pp. 388-390. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(1) ad 2.

(2) « *ipse* » in ed. 1684, p. 550[b].

(3) *Sed contra.*

(4) ad 1.

(5) *Sed contra* et corp.

(6) *Sed contra.*

(7) « *denominationes* » in ed. 1684, p. 550[b].

(8) corp.

(9) corp.

(10) arg. 4. — In ed. 1684, p. 550[b] erronee legitur « *q.* 4 ».

(11) Indicatio erronea. — Cf. III *Sent.*, dist. 34, quaest. 3, art. 2, qla 3, corp.

CAPUT IX.

DE PRINCIPATIBUS, ARCHANGELIS, ET ANGELIS, ET DE ULTIMA EORUM HIERARCHIA.

Docet Principatum significare potestatem deiformiter principandi et gubernandi. Archangelos iure quodam hierarchico medietate sua continere extremos. Angelos res mundanas magis attingere nostrique esse rectores.

Quod non proficiamus, nobis et non angelis nec Deo imputandum esse. Providentiam Dei esse in omnes.

De quibus meminit D. Thomas, I[a] part., quaest. 108, art. 2, ubi probat in una hierarchia esse plures ordines. Et art. 5 (1) ad ordinem Principatuum pertinere esse primos in exsecutione eorum quae imperantur, cum ex Dionysio sit ductivus cum ordine sacro. Et art. 6 (2) convenienter in hac ultima hierarchia poni *Principatus ut primos, Archangelos ut medios, Angelos ut ultimos.* Et I[a] II[ae], quaest. 98, art. 5 (3) ex eo quod dicat Dionysius multos gentiles per angelos fuisse reductos ad Deum, colligit potuisse salvari sine observantia legis veteris. Et II[a] II[ae], quaest. 2, art. 7 (4) sibi obiicit eandem auctoritatem respectu necessitatis fidei implicitae vel explicitae incarnationis. Et III[a] part., quaest. 64, art. 7 (5) non ex eo quod angeli sint ministri superiores hominibus, sequitur posse sacramenta ministrare.

Similiter II *Sent.*, dist. 11, quaest. 1, art. 2 (6).

DOCUMENTUM XX.

Neque enim coactam habemus vitam: neque per providentium propriam potestatem, divina lumina providae illuminationis revelantur: sed intellectualium visionum dissimilitudo superplena paterna bonitate lucis donationem, aut omnino non participatam facit, ad earum reformationem non distributam: aut participationes facit differentes: parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius et simplicis, et semper eodem modo se habentis, et superexpansi fontalis radii (7).

Expositio Hugonis (8): « *Neque enim coactam, etc.* » *Voluntas enim rationali creaturae dari potest libera, sed cogi omnino non potest; et sicut in nostra potestate non est, ut divinae illuminationis donum* (9) *offeratur, ita non nisi in nostra potestate est, ut oblatum suscipiatur. Nam aliquando et cum nolumus offertur, sed nunquam suscipitur, nisi cum volumus. Et cum volumus, quidem a Deo volumus: quia donum Dei est voluntas bona. Cum autem nolumus, a nobis nolumus: quia nolle nihil aliud est quam non velle: quod desertio boni est ad non esse et nihil, quod sine ipso factum est.*

Itaque « *divina lumina providae illuminationis* »: *quia per ea Deus provide illuminat: illa quidem non* « *revelatur per propriam potestatem providentium* », *id est, eorum qui ex eis acceptis providentes fiunt; vel provisorum, id est, eorum qui provisi sunt, vel praedestinati a Deo ad illa accipienda. Notandum quod ubi nos* « *revelantur* » *habemus, alia litera habet* « *obcaecantur* » (10): *quae licet*

---

(1) ad 3.
(2) *Sed contra.*
(3) *Sed contra.*
(4) Arg. 3.
(5) Arg. 1.
(6) Arg. 1; ed. Vivès, t. VIII, p. 142b.
(7) Apud HUGONEM, l. c., P. L., t. 175, col. 1086: *... participatum facit,... eodem se modo habentis, et superexpensi...* — Apud SCOTUM, l. c.; P. L., t. 122, col. 1057: *... per provisorum propriam... illuminationis obcaecantur:...*
(8) l. c.; P. L., t. 175, col. 1092.
(9) *Ib.* additur « *nobis* ».
(10) Cf. supra, nota (7).

diversa sint, ad eandem (11) *veritatem astruendam pertinent: ut scilicet ostendatur quod utrum divina lumina revelentur,..... an obcaecentur et abscondantur* (12), *non in potestate accipientium, sed in arbitrio dantis constat. Sed tamen quamvis ipsa manifestatio vel occultatio in eorum potestate non sit: susceptio tamen nunquam fit, nisi cum eorum voluntate, quia rationale bonum est quod non potest nisi a cognoscente et volente percipi.*

Igitur aut prava voluntate fit, ut omnino repellantur: aut differentia bonae voluntatis, ut dissimiliter participentur. Hoc est quod dicit « sed intellectualium visionum », hoc est, spiritualium oculorum rationalium, scilicet mentium, « dissimilitudo facit donationem lucis » venientem, scilicet « de superplena », hoc est, de valde plena, et excellenter plena paterna bonitate; illam (13), *inquam, donationem facit ipsa dissimilitudo, aut omnino non participantem et non distributam ad earum, scilicet visionum, reformationem: « aut facit participationes differentes, hoc est, parvas aut magnas, obscuras aut claras, unius fontalis radii, et simplicis, et semper eodem modo se habentis, et super expansi ».*

Hinc colligitur revelationes et illuminationes divinas ut fiant nobis, non pendere a nostra voluntate, bene tamen ut a nobis recipiantur et credantur. Vide resolut. 53.

CAPUT X.

SYNAGOGAE ANGELICAE ORDINATIONIS REPETITIO.

Docet sublimiores angelos modo sublimiori illustrari et in hoc subordinationem habere. Omnes angelos et homines triplici pollere facultate, ita ut quaelibet mens, sive angelica, sive humana, habeat primos, medios et ultimos ordines seu potentias, quae sunt capaces expiationis, illustrationis et perfectionis.

Citatur a D. Thoma I[a] part., quaest. 108, art. 3 (1) in unoquoque ordine esse primos, medios et utlimos; unde non esse simpliciter aequales. Et in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 2 (2).

DOCUMENTUM XXI.

Addiderim autem fortassis, et non incongrue, quod et secundum se ipsum unusquique et caelestis, et humanus animus speciales habet et primas, et medias, et ultimas ordinationes et virtutes ad dictas per unumquemque hierarchicarum illuminationum proprias anagogas proportionaliter manifestatas (3).

Expositio Hugonis (4): *Sensus est, quod non solum universalis hierarchia in primam* (5), *mediam et ultimam hierarchiam; et singulae hierarchiae in primos, et medios et ultimos ordines; et singuli ordines in primos, et medios, et ultimos spiritus dividuntur; sed etiam singuli spiritus angelici et* (6) *humani in semetipsis virtualiter discreti sunt: primas, et medias, et ultimas virtutes continentes: per quas propriis anagogis, id est, sursum ductionibus sive ascensionibus ab infimis ad medias, et a mediis ad supremas, secundum hierarchicas illuminationes proportionaliter ascendentes: participes fiunt,*

(11) l. c., col. 1093 additur: « *tamen* ».

(12) *Ib.*: *revelentur, id est manifestentur, an obcaecentur, id est, abscondantur et occultentur, non in...*

(13) « *illam* » in ed. 1684, p. 551[b].

(1) ad 1.

(2) ad 4; ed. Vivès, t. VIII, p. 121[b].

(3) Apud Hugonem, l. c.; P. L., t. 175, col. 1099: *... et hoc non incongrue,... ad jam dictas per.* — Item col. 1102-1103, praeter: *... addictas per...* — Apud Scotum, l. c.; P. L., t. 122, col. 1059 ut apud Hugonem, col. 1102-1103.

(4) l. c.; P. L., t. 175, col. 1103: *Sensus hic est:...*

(5) *Ib.* additur « *et* ».

(6) *Ib.* « *sic* » pro « *et* ».

quantum eis possibile, divinae purgationis, quae est incognitissima et occultissima, quae intime purgat: et divini luminis, quod est plenissimum, quia omnes tenebras fugat: et divinae perfectionis, quae est (7) *anteperfecta: quia cunctis et prior est aeternitate, et superior dignitate, et plenior veritate.*

Hierarchicas autem illuminationes idcirco proportionales dicit, quia in sacris potestatibus, ubi alii superiores, alii inferiores constituti sunt, divinas illuminationes non omnes uno modo percipiunt. Superioribus enim et capacioribus in donis gratiae amplius tribuitur: inferioribus secundum modum capacitatis suae minus participandum praebetur. Secundum hunc itaque modum, quo vel in singulis hierarchiis, diversis ordinibus et diversis animis differenter divinae illuminationes tribuuntur, unusquisque etiam animus in semetipso in eisdem illuminationibus rationabili differentia a minoribus ad maiora excrescens provehitur... Propter (8) *has igitur ascensiones gradus virtutum dispositi sunt, per quas videlicet ascensiones unumquodque, id est, unusquisque animus ascendens per eas fit in participatione, si* (9) *fit particeps superincognitissimae purgationis, et plenissimi luminis, et anteperfectae perfectionis, etc.*

Ex quo documento et expositione eius inferunt mystici quo maior fuerit purgatio, eo maiorem futuram illuminationem et perfectionem. Et non ascendendum ad contemplationem quae exercetur in parte superiori, quin prius exerceatur meditatio quae fit in parte media, id est, imaginationis et rationis. De quibus videatur noster Iosephus a Iesu Maria in I[a] parte *Ascensus*, lib. III, cap. 1 (10); et *Concordantia mystica*, lib. I, cap. 1, num. 5 (11); et lib. II, cap. 1, num. 3 (12); et cap. 17, num. 2 (13). Videatur etiam infra resolutio 14.

Potest etiam applicari ad illam celebrem distinctionem portionum animae infimae, mediae et supremae, de qua aliquid diximus in *Catena*, prop. I, resp. 3 (14) et de quo etiam infra dicta resolut. 14 et 21.

DOCUMENTUM XXII.

Loquendo sanctus Dionysius de prima hierarchia in principio huius capitis ait: *In eam immediate ascendendo occultior, et manifestior divinitatis illuminatione purgatur, et illuminatur, et perficitur: occultior quidem tanquam invisibilior, et magis simplificata, et unificata: manifestior vero ut ante data, et primo lucet, et universalior, et magis in eam (ut oportet) forma effusa* (15).

Expositio Hugonis (16): *Sensus est: quia divina illuminatio in istam hierarchiam primo effunditur, idcirco ipsa perfectius illuminatur. Quanto autem perfectius ii qui in ea sunt, spiritus unam illuminationem suscipiunt, tanto perfectius et clarius lucentes in ipsa una forma unius luminis unum fiunt: et quod in ipsis diversum ex natura multipliciter distinguitur, una claritatis forma superveniente* (17) *cunctis dissimile non videtur. Ita ergo ista hierarchia quia prius lucet, perfectius lucet: et quia perfectius lucet, universalius, vel similius, vel expressius lucet: quia ex-*

(7) *Ib.* « *et* » pro « *est* ».

(8) l. c.; col. 1104.

(9) *Ib.*, « *id est* » pro « *si* ».

(10) *Subida del alma a Dios*, lib. III, cap. 1; ed. 1694, pp. 156[a]-160[a].

(11) *Concordancia mistica*, lib. I, cap. 1, num. 5; Barcelona, 1667, pp. 3-4. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(12) pp. 92-93.

(13) pp. 171-173.

(14) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 1, resp. 3; Madrid, 1678, pp. 3[a]-4[a].

(15) Apud HUGONEM, l. c.; P. L., t. 175, col. 1099. — Apud SCOTUM, l. c.; P. L., t. 122, col. 1058: ..., *et primo lucens, et...*

(16) l. c.; P. L., t. 175, col. 1100: *Sensus autem hic est: Quia scilicet divina...*

(17) l. c., col. 1101 « *supervenienti* » pro « *superveniente* ».

pressius lucet, manifestius lucet. Quae ergo essentialiter occultior est, formaliter est manifestior: et quae subtilior est ex natura, clarior est ex gratia. Haec ille.

Hinc dicunt mystici universaliores actus contemplationis perfectiores esse particularibus. De quo noster Iosephus a Iesu Maria, I parte *Ascensus*, lib. II, cap. 1 (18); et cap. 14 (19); et lib. III, cap. 22 (20); *Concordantia*, lib. II, cap. 11 (21); et lib. III, cap. 9 (22). Videtur resolut. 69 et 70.

CAPUT XI.

QUARE OMNES CAELESTES ESSENTIAE COMMUNITER VIRTUTES CAELESTES NOMINANTUR.

Respondet sanctus Dionysius caelestes spiritus dividi in essentiam, virtutem et operationem. Unde licet virtus sit proprium nomen secundi ordinis secundae hierarchiae, tamen omnes communiter possunt appellari virtutes, quia virtutem aliquam habent.

Citatur a D. Thoma Iª part., quaest. 108, art. 5, ad 1; et in IIIª partis *Supplem.*, quaest. 73, art. 3 (1); et in II *Sent.*, dist. 10, quaest. 1, art. 2 (2). In quibus locis eadem doctrina de nomine virtutis invenitur, nihilque peculiariter ad mysticos spectans.

CAPUT XII.

QUARE SECUNDUM HOMINES HIERARCHIAE ANGELI VOCANTUR.

Respondet Antistites vocari angelos, quia in docendo participant angelicam proprietatem et in munere interpretandi; angelos etiam et homines sanctos vocari deos, quod Deum imitentur, qua possunt, et ad eius unionem convertantur. D. Thomas citat hoc caput II IIª, quaest. 2, art. 6 (1); et in II *Sent.*, dist. 10, quaest. 1, art. 2 (2); et *quaest. de diversis*, quaest. 29, art. 5 (3).

CAPUT XIII.

QUARE A SERAPHIM DICITUR PURGATUS FUISSE PROPHETA ISAIAS.

Dicit angelum vocari Seraphim ex munere purgandi, item supremo ordini attribui post Deum omnem illustrationem inferiorum. In visione Isaiae explicat quid significent alae Seraphim, quid hymnodia, etc. Citatur a. D. Thoma Iª part., quaest. 112, art. 2 (1), ubi cum Dionysio resolvit angelos inferiores tantum mitti de lege ordinaria; similiter in I *Sent.*, dist. 15, quaest. 1, art. 1 (2); et dist. 17, quaest. 1, art. 4 (3); et in II *Sent.*, dist. 10, quaest. 1, art. 2, ad 4 (4); et dist. 11, quaest. 1, art. 2 (5).

---

(18) *Subida del alma a Dios*, lib. II, cap. 1; ed. 1694, pp. 112a-115a.

(19) pp. 146a-150b.

(20) pp. 204a-210b.

(21) *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 11; Barcelona, 1667, pp. 140-145, praesertim num. 5-6, pp. 143-145. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(22) pp. 306-311.

(1) corp.

(2) Indicatio erronea; requiritur: II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 4, arg. 3; ed. Vivès, t. VIII, p. 125a.

(1) corp.

(2) Indicatio erronea; requiritur: II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 4, ad 6; ed. Vivès, t. VIII, p. 126b.

(3) i. e. *Quaestiones disputatae de Veritate*, quaest. 29, art. 5, corp.; ed. Vivès, t. XV, p. 347b.

(1) *Sed contra*, corp. et ad 2.

(2) arg. 4 et ad 4.

(3) Indicatio erronea.

(4) corp., ad 2 et ad 4; ed. Vivès, t. VIII, pp. 135b-136a.

(5) ad 2; ed. Vivès, t. VIII, p. 143a.

DOCUMENTUM XXIII.

In omnibus intellectibus proportionaliter superlucet, etc... Solaris radii distributiones in primam materiam bene distributae implent omnium lucidiorem: et per eam manifestius proprios declarat splendores: accedens vero crassioribus materiis obscuriorem habet distributivam super apparitionem ex illuminandarum materiarum ad illuminationis distributivum habitum in opportunitate, et paulo post ex hoc ad perfecte fere indistributum coarctatur. Iterum ignis caliditas magis se ipsam distribuit in capaciora, et ad similitudinem suam bene convenientia, et facilia (6).

Expositio Hugonis (7): *Cum Deus omnibus communiter superluceat, distribuit propriam illuminationem... secundum hoc quod unaquaeque dispositio sive ordo secundum propriam mensuram capax est contemplationis illius... Ut* (8) *ergo per exempla Deo non propria nobis propria divinae illuminationis dispensari distributionem ostendam, hanc similitudinem propono. « Solaris radii, etc. ». distributiones, inquit, sive effusiones solaris radii bene distributae in primam materiam, hoc est, in illam materiam venientes, quae est prima, hoc est, optima et purissima, et illuminationum aptissima. Ad talem, inquam, materiam venientes implent eam, nullum in aliqua parte obstaculum lumini invenientes, et implendo faciunt eam lucidiorem, prolucidissimam omnium, et sic per eam ipse radius manifestius declarat proprios splendores: quia quanto perfectius radiat, tanto perfectius illuminabitur; et quanto perfectius illi infunditur, tanto clarius refunditur ex illa.*

« Accedens vero crassioribus materiis »,... quae minus illuminationi sunt aptae, illic « obscuriorem habet distributivam super apparitionem ». Sicut enim cum se infundit in illis capitur imperfecte, ita et cum se effundit per illas super hoc extrinsecus apparet obscure: quod provenit ex « inopportunitate (9) *illuminandarum materiarum »... A subtilissimis enim materiis, a quibus perfecte comprehenditur, ad minus aptas descendens, a quibus imperfecte capitur; tandem ad alia tam faeculenta, et grossa, et obtusa pervenit, quae fere omnino lumen repellunt, et nihil illuminationis capere possunt.*

Ad hunc modum spiritualis lux ad mentes rationales veniens eas quas puras invenit et defaecatas perfecte illuminat: eas vero quas minus aptas reperit, minori claritate et (ut ita dicam) luce obscuriori illuminat. Quas vero omnino contrarias et faeculentas ostendit, sua prorsus participatione et communione immunes relinquit...

Nec (10) *solum in lumine, sed etiam in calore materiali invisibilis veritatis imago est. Nam ipse calor ea corpora quae magis apta susceptioni suae invenit, magis accendit; alia autem minus: donec tandem in contraria omnino, et dissimilia offendens, nullum in eis suae operationis effectum ostendit, etc.*

Ex quibus inferunt mystici necessitatem purgationis et dispositionis ad proficiendum in contemplatione et amore. De quo egimus in *Theologia mystica*, quaestione 8 prooemiali et infra agemus resolut. 17 et 68.

---

(6) Apud HUGONEM, l. c.; P. L., t. 175, col. 1111-1112. — Apud SCOTUM, l. c.; P. L., t. 122, col. 1061: *Sed tamen et omnibus intellectualibus proportionaliter... proprios declarant splendores;... inopportunitate,... convenientia et bene ducta.*

(7) l. c.; P. L., t. 175, col. 1116: *Et cum omnibus communiter superluceat, excellenter tamen « propriam illuminationem... distribuit... secundum hoc quod...*

(8) l. c.; col. 1117.

(9) « *importunitate* » in ed. 1684, p. 553a.

(10) *Ib.*, « *non* » pro « *nec* ».

CAPUT XIV.

QUID SIGNIFICET ANGELICUS NUMERUS?

Dicit angelos esse innumerabiles, licet *Danielis* VII (1) assignetur numerus certus pro incerto.

De quo D. Thomas Iª part., quaest. 50, art. 3 (2), citans Dionysium; et *Quaest. disp. de potent.*, quaest. 6, art. 5 (3); et *De virtut.*, quaest. 1, art. 8 (4).

CAPUT XV.

QUAE SUNT FORMATIVAE ANGELICARUM VIRTUTUM IMAGINES ET QUAE DEINDE, ID EST, ET RELIQUA.

Explicat quae sint imagines formatae angelorum, ubi quid significet pubertas, dentes, humeri, ulnae, manus, cor, pectus, dorsum, pedes, alae, nuditas, indumentum et similia.

De quibus D. Thomas Iª parte, quaest. 51, art. 3 (1); et quaest. 106, art. 1 (2); et quaest. 107, art. 5 (3); et quaest. 115, art. 1 (4), et Iª IIªe, quaest. 31, art. 4 (5). Quae tamen ad symbolicam theologiam magis spectant.

Concluditque Hugo expositionem istam his humilibus verbis (6): *Haec quidem in Hierarchiam B. Dionysii secundum sensus nostri possibilitatem praesumpsi: sed timeo ne nostra illius adiiciens, marmoreum parietem luto superduxisse convincar. Propterea vertatur praesumptio; imploret devotio. Mihi autem solatium affert, quod illius quem exponendum suscepi, in quo sapientia transcendit, sanctitas condescendit.*

---

(1) v. 10.
(2) corp.
(3) corp.; ed. Vivès, t. XIII, pp. 199b-200a.
(4) Indicatio erronea; requiritur: *De spiritualibus creaturis*, quaest. unica, art. 8, ad 10; ed. Vivès, t. XIV, p. 41a.

(1) ad 2.
(2) corp.
(3) arg. 3.
(4) *Sed contra.*
(5) ad 2.
(6) l. c.; P. L., t. 175, col. 1154.

LIBER II

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA (1)

S. DIONYSII AREOPAGITAE

Iuxta lectionem Perionii (2) et expositionem paraphrasticam Pachymerae (3) et S. Maximi (4) ad documenta mystica.

CAPUT I.

QUAE SIT TRADITIO ECCLESIAE HIERARCHICAE ET QUIS EIUS SCOPUS?

Docet vim cuiuslibet hierarchiae esse, ut et ipse pontifex pro sua natura, modo et ordine in divinis mysteriis perficiatur, ac divinitatem consequatur, eisque qui ipsi parent divinam similitudinem impertiat; inferioresque imitentur superiores, et alios sibi inferiores ad maiora excitent.

Caelestem hierachiam incorpoream esse, et ideo mentaliter et spiritualiter perfici; nostram vero ecclesiasticam esse sensibilem, et ideo sensibiliter instrui.

Hierarchiam dicit omnem rationem sacrorum; hierarchamque virum esse divino numine afflatum, qui omni sacra scientia sit praeditus.

Principium hierarchiae Ss. Trinitatem esse, finem vero unionem cum Deo, substantiamque eius esse divina tradita oracula.

D. Thomas, I[a] part., quaest. 108, art. 4, in hominibus non distingui ordines secundum naturam, sed secundum dona gratuita. Et III part., quaest. 64, art. 6 (5) malos ministros peccare in administratione sacramentorum, cum dicat hic Dionysius malis non esse fas tangere symbola. De quibus etiam in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 8 (6); et in IV *Sent.*, dist. 3, quaest. 2, art. 1 (7); et *Quaest. disp. de verit.*, quaest. 8, art. 7 (8).

DOCUMENTUM XXIV.

Salus non aliter existere potest nisi ii, qui salutem consequuntur, Dii fiant. Dei porro effectio, ex Dei quoad eius fieri potest imitatio, et cum eodem coniunctio, atque, ut ita dicam, unio. Sed omni hierarchiae communis hic propositus est finis, assidua Dei divinarumque rerum charitas, quae divine et coniuncte sacra perficit, et ante hoc ipsum perfectus, nec iterum commeans discessus a contrariis, cognitioque rerum quatenus sunt, sanctaeque veritatis, et aspectus, et scientia, ac divina uniusmodi perfectionis communio, et aspectus ipsius unius quantum conceditur, convivium, quod mente alat, Deumque efficiat omnem eum, qui aciem mentis in ipsum intendat (9).

---

(1) Textus graecus apud Migne, P. G., t. 3, col. 369-569.

(2) Perionius (Ioachim —), O. S. B., *D. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae extant*, Lovanii, 1566, fol. 38v-90r.

(3) Migne, P. G., t. 3, col. 381-584.

(4) *Scholia in librum De Ecclesiastica Hierarchia*, Migne, P. G., t. 4, col. 115-184.

(5) *Sed contra.*

(6) ad 4; ed. Vivès, t. VIII, p. 131[b].

(7) Indicatio erronea; requiritur IV *Sent.*, dist. 1, quaest. 1, art. 2, qla 1, ad 3; ed. Vivès, t. X, p. 13[a]; et qla 2, arg .2, p. 11[a].

(8) corp.; ed. Vivès, t. XIV, p. 496[b].

(9) Apud Perionium, *D. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae extant*, Lovanii, 1566, fol. 40v: ... *effectio, est Dei...*

Pachymera (10): *Ss. Trinitas vult ratione praeditorum angelorum, et hominum salutem, estque Deificatio salvandorum. Quemadmodum enim alia dicimus a metu servari, id est, securitatem adipisci; et a caede servari, id est, vitam assequi, et a morbo servari, id est, sanari: sic etiam in propositis servari ab alienatione Dei, est adiungi Deo, adeoque Deificatio. Omnimoda autem assimilatio et unio ad Deum, utique terminus et* (11) *finis est omnis hierarchiae, quae ad Deum est dilectio: quae et unitive consummatur, secundum divinam et unicam simplicitatem, secundum quam Deus est omnimoda dilectio,... quique hac prior est, omnimodus a contrariis recessus. Nisi enim ab omni materiali et sordida voluptate penitus expiati fuerimus, veri boni dilectio non erit in nobis. Quando autem a contrariis discesserimus, tum res ipsas, ut in se sunt, natura sua cognoscemus; nempe praesentia haec temporanea esse, quae vero ibi sunt, aeterna, nec decipiemur circa boni apparentiam; siquidem illa non est notitia rerum qua res sunt; tunc enim ad ipsammet veritatem accedimus, atque uniformem perfectionem participamus. Quid vero est conformitas?* (12). *Quando nimirum a rebus hisce sensibilibus et aerumnosis ad divinam simplicitatem adducimur, qui est cibus beatae visionis, ut quae mentem re intellecta nutrit... Et haec est in Evangeliis illa divina ac supermundialis mensa.* Haec ille.

Colligitur Christianorum et spiritualium exercitiorum finem esse deificationem per assimilationem et unionem cum Deo.

De qua unione resolut. 86.

Item perfectam caritatem ad hoc necessariam seu in qua ipsamet unio consistit, postulare praecedentem recessum ab aliis rebus et perfectam rerum cognitionem, quae consequitur per simplicissimam contemplationem veritatis divinae, quae est cibus animae. De qua abstractione et purificatione diximus resolut. 28 et 29 .

De simplici etiam contemplatione resolut. 63, 64 et 81. Vide etiam resolut. 1.

CAPUT II.

DE IIS QUAE IN ILLUSTRATIONE FIUNT.

In tres partes dividitur hoc caput. In prima docet illustrationem seu baptismum esse quandam nativitatem spiritualem et principium operandi supernaturaliter. In secunda agit de ritu baptizandi, de patrino, de abiuratione infidelitatis, de insufflatione, de professione fidei, de veste candida, unctione et aliis. In tertia, quae est de contemplatione praedictorum, spiritum ibi latentem exponit.

De quibus etiam D. Thomas citans Dionysium in III[a] part., quaest. 63, art. 2 (1) ex eo quod Deus in quodam signo tradit sui participationem in baptismo perficiens hominem divinum et communicatorem divinorum, infert quod character sit quaedam potentia. Et quaest. 65, art. 1 (2) septem esse sacramenta, licet actiones hierarchicae sint tantum tres. Et quaest. 66, art. 1 (3) quod Dionysius definiat baptismum tum in ordine ad alia sacramenta, tum ad caelestem gloriam, tum quantum ad principium spiritualis vitae. Et quaest. 67, art. 7 (4) quod requiratur patrinus. Et quaest. 69, art. 5 (5) baptismum esse illumi-

(10) *Paraphrasis*, cap. 1, §. 3; Migne, P. G., t. 3, col. 387: *Haec autem vult ratione...*

(11) *Ib.*, « *ac* » pro « *et* ».

(12) *Ib.*: *Quid porro est uniformitas?*

(1) corp.

(2) arg. 3 et ad 3.

(3) ad 1.

(4) *Sed contra.*

(5) *Sed contra.*

nationem. Et quaest. 71, art. 4 (6) de multiplici instructione ad diversos pertinente. Et quaest. 80, art. 9 (7) baptizatis esse communionem dandam, loqui de baptismo adultorum. Et *Supplement.*, quaest. 29, art. 1 (8) quare Dionysius non agat de omnibus sacramentis, et quod extrema unctio etiam habeat vim purgativam et illuminativam. Similiter in IV *Sent.*, dist. 2, quaest. 1, art. 2 (9); et dist. 6, quaest. 2, art. 1 (10), 2 (11) et 3 (12); et dist. 12, quaest. 2, art. 1 (13).

DOCUMENTUM XXV.

Similitudinem ac cum Deo coniunctionem,... augustissimorum praeceptorum amore, atque affectione solum consequemur: si quis enim... diligit me, mandata mea servabit, etc... Prima enim mentis ad divina motio et contentio Dei est charitas: sanctae autem charitatis progressus, qui principatum obtinet ad divina perficienda praecepta, est divini in nobis status... effectio (13bis).

Pachymera (14): *Dictum est supra, scopum nostrae hierarchiae esse ad Deum assimilationem; hanc autem non aliter licet adipisci quam per Dei dilectionem... Cum igitur ista dilectio constet observatione divinorum mandatorum, ducem* (15) *ad illam dicit non esse alium, praeter illam ex aqua et spiritu regenerationem.... Baptismus enim* (16) *vim quamdam formatricem inserit figmento nostro, scilicet appetendi, sed coelestia bona; movendi, sed ad omne opus bonum; ratiocinandi seu cogitandi, sed quae oculus non vidit, nec auris audivit; concupiscendi, sed meliora; irascendi, sed inimico salutis nostrae, etc. Praeclare* (17) *dixit Hierotheus primum et eximium mentis motum esse Dei dilectionem. Huius autem dilectionis quasi quoddam principium est divina nostri fabricatio, quae* (18) *fit per baptismum... Quemadmodum igitur in naturali nativitate oportet primum existere in rerum natura, ac deinde vicissim et agere et pati; homines quidem quae sibi sunt propria, bruta vero quae sunt conducibilia: sic etiam in divina baptismi regeneratione oportet primum Deo existere, ac deinde dilectionem eius operari, etc.*

Prius est vivere vita gratiae quam operari dilectionis opera: debet igitur primum a peccatis purgari, qui vult spiritualiter procedere. Vide resolut. 23.

DOCUMENTUM XXVI.

Sed quoniam Deus sacrosancti status est principium, quo sanctae mentes se noscunt: is qui se ad aptam suae naturae considerationem conferet, imprimis quisnam ipse sit videbit, idque primum sanctum munus ex luminis consideratione accipiet. Qui autem sua recte oculis ab omni perturbatione liberis consideraverit, is obscuras quidem ignorationis tenebras fugiet: Dei tamen perfectissimae coniunctionis ac communionis rudis ipse, non per se desiderabit, sed sensim ac pedetentim a primis suis ad ea quae etiam priora sunt, progredietur, et per illa ad prima omnium, tumque numeris omnibus absolutus

---

(6) ad 3.

(7) ad 3.

(8) arg. 3 et ad 3.

(9) corp.; ed. Vivès, t. X, p. 48b. — In ed. 1684, p. 554b erronee legitur: « *dist. 1* ».

(10) qla 3, arg. 1; ed. Vivès, t. X, p. 142a.

(11) qla 3, arg. 2; p. 145b.

(12) pp. 147a-149b.

(13) Ed. Vivès, t. X, pp. 306a-308a.

(13bis) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 2, part. 1; ed. 1566, fol. 42v-43r: *... atque effectione... Prima quidem mentis...*

(14) *Paraphrasis*, cap. 2, part. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 411: *Dictum est itaque, scopum...*

(15) *Ib.*: *... mandatorum, quaerit sibi ducem, ..., atque reperit non esse alium,...*

(16) *Ib.*: *Utique vim quamdam...*

(17) *Ib.*: *Praeclare enim dixit inclytus Hierotheus,...*

(18) *Ib.* additur « *nimirum* ».

ad summam divinitatis ordine sancteque perveniet (19).

Pachymera (20): *Cum divinum lumen sit origo* (21) *ordinationis sacrae, secundum quam etiam angeli semetipsi* (22) *norunt, nec inordinate prosiliunt ad ea, quae non decent, primum munus ex divina doctrina quis consequitur, quod se ipsum noscat, ut illud quod in lege scriptum est, servet: « Attende tibi ipsi », quemadmodum etiam magnus Basilius ait: « Eatenus enim ad proprium naturae lumen, sive contemplationem, scientiamve recurrens, Angelos imitatur, qui se ipsos norunt »* (23). *Porro qui se ipsum oculis affectione vacuis consideraverit* (24), *profundissima quidem ignorationis loca effugiet, non tamen per se, sed per ducem ac susceptorem desiderabit divinam participationem. Et per doctrinam quidem ad sui notitiam, deveniet per semetipsum ad sui principium: per hoc autem, ad id quod illo prius est, et per illud ad primum adducetur.*

Colligitur ordinate procedendum in spiritualibus, incipiendumque esse a sui consideratione. Videatur resolut. 18.

DOCUMENTUM XXVII.

Fieri non potest, ut eorum, quae maxime contraria sunt, aliquis simul sit particeps, neque ut is, qui cum uno aliquid commercii habuit, divisas distinctasque vitas habeat, si modo firmam unius communionem societatemque obtineat, sed spoliatus sit necesse est ab omnibus unius divisionibus (25).

Pachymera (26): *Cum non liceat alicui summe contrariorum participem existere, sanitatis, verbi gratia, et morbi* (27), *peccati ac virtutis, et ignorantiae cognitionisque Dei, divisam etiam necesse sit habere vitam, qui utraque amplectitur, propterea-que liberum esse oporteat, qui ad alteram vitam transfertur, nullum affectum retinendo prioris vitae; idcirco qui adducitur ad baptismum, nudus sistitur, etc.*

Non potest quis simul Deo et mundo servire, sed omnes mundi affectiones dimittendae sunt. Videatur resolut. 6.

DOCUMENTUM XXVIII.

Non solum ab omni vitio abhorrere, verum etiam virili animo semper duri, et interriti ad perniciosam exitiosamque omnem in illud proclivitatem, esse debemus, et nunquam a sacro veritatis amore deseri, sed dare operam, quam maxime possimus, ut ad eam continenter et semper nitamur, quaerentes semper, quod nos ad maiora divinitatis munera perducat (28).

S. Maximus hic (29): *Minime mollem esse, ineffeminatum, virilem, insuperabilem, nulla remissione fractum. Sciendum id de viraginibus masculeis dictum esse, etc.*

Fortitudo et perseverantia requiritur et semper in bono proficere. De quibus in resolut. 7.

---

(19) Apud Perionium, l. c., cap. 2, part. 3; ed. 1566, fol. 47v-48r.

(20) *Paraphrasis*, cap. 2, part. 3, §. 4; Migne, P. G., t. 3, col. 419.

(21) *Ib.* additur « *rectae* ».

(22) *Ib.* additur « *ipsos* ».

(23) *Ib.* « *noscunt* » pro « *norunt* ».

(24) *Ib.* « *considerarit* ».

(25) Apud Perionium, l. c., cap. 2, part. 3; ed. 1566, fol. 48v.

(26) *Paraphrasis*, cap. 2, part. 3, §. 5; Migne, P. G., t. 3, col. 419: *Cum enim non...*

(27) *Ib.* additur « *et* ».

(28) Apud Perionium, l. c., cap. 2, part. 3; ed. 1566, fol. 49r: *Non enim solum... operam quam maximam possimus, ut...*

(29) *Scholia in librum De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 2, §. 5; Migne, P. G., t. 4, col. 130-131: *Obduratum esse. Qui blanditiis demulceri nequit, qui femineum minime induat animum, fortis, nihil de constantia remittens, qui inclinari non potest ad ullam submissionem. Sciendum est autem, de mulieribus fortibus, aut quae mares apparent, dictum esse.* — Textus graecus, *ib.*, col. 129 et 132.

CAPUT III.

DE IIS QUAE IN SYNAXI PERFICIUNTUR.

Dividitur in tres partes. In prima docet quomodo sacramentum Eucharistiae sit consummatio aliorum sacramentorum et quare dicatur synaxis et communio. In secunda ponit ritum celebrandi et sumendi hoc sacramentum. In tertia, quid in missa importent cantica, lectiones, participatio panis et vini, quid osculum significet, ablutio digitorum, elevatio sacramenti, divisio illius et gratiae post communionem, etc.

D. Thomas, III[a] part., quaest. 63, art. 6 (1) ex eo quod Eucharistia sit finis omnium sacramentorum, dicit non imprimi in eo characterem ad aliquid aliud agendum vel recipiendum in sacramentis. Et quaest. 65, art. 1 (2) perfectionem quantum ad consecutionem finis pertinere ad Eucharistiam. Et art. 3 (3) hoc esse potissimum sacramentorum, quia nemo perficitur perfectione hierarchica, nisi per illud. Et quaest. 67, art. 1 (4) ex eo quod diaconus ex Dionysio habeat officium super immundos, quod est docere seu perficere, infert non pertinere ad eum officium baptizandi. Et quaest. 80, art. 9 (5) energumenos, quibus Dionysius negat Eucharistiam dari aut proponi, esse nondum baptizatos. Et quaest. 83, art. 4 (6) dicit cantus Psalmorum esse praeparatorios ad Eucharistiam, quia in illis per modum laudis comprehenditur tota Scriptura secundum Dionysium. Et in *Supplement.*, quaest. 29, art. 6 (7) etiam in hoc sacramento ostendi potestatem sacerdotalem ab Episcopo derivatam. Et quaest. 37, art. 2 (8) ad hoc sacramentum sacramentorum ordinem sacramenti Ordinis. Similiter in IV *Sent.*, dist. 8, quaest. 1, art. 1 (9); et dist. 24, quaest. 2, art. 1 (10) et 2 (11).

DOCUMENTUM XXIX.

Si enim coeleste divinorum sacrificium eos, qui in poenitentia sunt, etiamsi aliquando interfuerint, arcet, quod id non admittat quod non est omni ex parte sacrosanctum, idemque hoc pudice pronuntiat,... multo magis profana erit multitudo eorum, qui perturbationibus agitantur, carebitque sacrorum, et aspectu et communione (12).

Pachymera (13): *Si enim, inquit, illos qui in ipsa adhuc poenitentia versantur, sacrorum divinorum celebratio repellat, eo quod non omnino sanctissimi sunt* (14), *nequaquam eos admittens, proclamando quodammodo se omnibus sua communicatione indignis invisibilem, incommunicabilemque existere, multo magis ab ea arcebuntur, qui adhuc impoenitentes sunt.*

Nota etiam paenitentes arceri ab Eucharistia in primitiva Ecclesia. Item non illico post paenitentiam omnino mundos nos reputare deberi. Videatur resolut. 24.

DOCUMENTUM XXX.

Ii qui ad sanctissimum Sacrificium veniunt, expiati esse debent etiam ab extremis animae visionibus, atque il-

(1) corp.
(2) ad 3.
(3) *Sed contra* et corp.
(4) ad 1.
(5) arg. 2 et ad 2.
(6) corp.
(7) ad 1.
(8) corp.
(9) qla 1, ad 1; ed. Vivès, t. X, p. 178[a]; et qla 3, arg. 5, p. 177[a].
(10) qla 2, corp. et ad 2; ed. Vivès, t. XI, pp. 35[b]-36[a].
(11) Indicatio erronea.
(12) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 3, part. 3; ed. 1566, fol. 55[v]-56[r]: ..., *etiamsi ei aliquando...*
(13) *Paraphrasis*, cap. 3, part. 3, §. 7; Migne, P. G., t. 3, col. 462.
(14) *Ib.*, « *sint* » pro « *sunt* ».

lius similitudine, quoad eius fieri potest accedere: sic enim clariore Dei luce illustrabuntur, dum caelestes splendores in eorum speculorum, quae similis speciei sunt, lumen maiore copia eaque splendidiore lumen suum effundit (15).

Pachymera (16): *Hic manuum lotionem adducit, quia hinc quoque summa extremitatum expiatio designatur: siquidem manus sunt corporis* (17) *extremitates. Idcirco etiam dicit ipsum liberum futurum, id est, expeditum* (18), *ut qui nulla inferiori conversatione et affectione detineatur. Extremis enim animae phantasiis expiati clarioribus quoque Dei apparitionibus gaudebunt, supermundialibus istis divinisque coruscationibus inconsimilis speciei specula... Specula autem appellat Sanctorum animas, utpote divinae lucis capaces, et ad meliorem illam sortem comparatas.*

Nota etiam ab extremis et phantasiis expiandos, qui ad clariores Dei illuminationes pervenire debent. Vide resolut. 25 et 92.

CAPUT IV.

DE IIS QUAE UNGUENTO PERFICIUNTUR.

In tres partes dividitur. In prima docet sanctus Doctor mysterium unguenti coordinatum esse venerabili Eucharistiae. In secunda ponit ritum consecrandi unguentum. In tertia agit de significatione eorum quae ad hoc mysterium spectant.

D. Thomas III[a] part., quaest. 16, art. 3 (1) ex eo quod Dionysius appellet Iesum divinum aut divinissimum, non sequi posse appellari hominem dominicum; quia divinum solet praedicari de omni de quo essentialiter praedicatur Deus. Et quaest. 72, art. 2 (2) apostolos etiam usos fuisse chrismate ad confirmationem, quando saltem miraculosa signa intrinseca non exhibebantur; quod colligit ex Dionysio hic. Similiter citat hoc caput in II *Sent.*, dist. 9, quaest. 1, art. 8 (3); et in IV *Sent.*, dist. 3, quaest. 2, art. 1 (4); et dist. 7, quaest. 1, art. 1 (5) et 2 (6); et quaest. 2, art. 1 (7).

DOCUMENTUM XXXI.

Divina iubentur sancti Viri, praeclaraeque atque fragrantis abstrusi Dei in virtute similitudinis et imitationis falsae gloriae causa speciem non habere. Carent enim omni macula et sorde abstrusae Dei, odoratioresque quam mens cogitare possit, pulchritudines, solisque spiritualibus spirituali modo declarantur, quod consimiles atque incorruptas in animis virtutis imagines velint habere (8).

Pachymera (9): *Unguentum ponebatur in altari duodecim pennis obvelatum... Haec* (10) *igitur, inquit, divini unguenti obvelatio secundum anagogem introductoriam existimo significare* (11) *fragrantem omnem*

---

(15) Apud Perionium, l. c., cap. 3, part. 3; ed. 1566, fol. 58r: ... *ab extremis animi visionibus...*

(16) *Paraphrasis*, cap. 3, part. 3, §. 10; Migne, P. G., t. 3, col. 466: *Hic sanctus autem manuum...*

(17) *Ib.*: *corporis summitates seu extremitates.*

(18) In ed. 1684, p. 556a legitur: « *impeditum* ».

(1) arg. 3 et ad 3.

(2) ad 1.

(3) Indicatio erronea.

(4) Indicatio erronea. — Cf. IV *Sent.*, dist. 8, quaest. 1, art. 1, qla 3, arg. 5; ed. Vivès, t. X, p. 177a.

(5) qla 1, arg. 2; ed. Vivès, t. X, p. 151b.

(6) qla 1, ad 3; ed. Vivès, t. X, p. 156b; qla 2, ad 6, p. 157b; et qla 3, *Sed contra*, p. 156a.

(7) Indicatio erronea.

(8) Apud Perionium, l. c., cap. 4, part. 3; ed. 1566, fol. 62v: *Siquidem divine iubentur... solisque spiritalibus spirituali...*

(9) *Paraphrasis*, cap. 4, part. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 490: *Deinde pontifex accipiens unguentum, imponit illud divino altari, duodecim sacris alis seu pennis obvelatum.*

(10) l. c., part. 3, §. 1; col. 490.

(11) *Ib.*, « *significat* » pro « *significare* ».

mentalem actionem esse obvelandam; siquidem haec anagoge iubet, minime ad inanem gloriam apparentes habere fragrantias spirituales (12), *et occulti Dei similitudines. Purae enim sunt a saeculo, solisque viris spiritualibus* (13) *apparent illae divinae ac fragrantes venustates, et requirunt uniformes homines, non qui secundum carnem vivant, sed qui in reconditis animis incorruptibiles gerant imagines, dum nimirum id quod imaginem Dei refert, manet immaculatum: nam virtutis deiformis simulachrum illud incircumscriptum non aliter habebit, nisi idem rite fuerit imitatus, et ad ipsum spiritalem suam, et fragrantem pulchritudinem efformarit.*

Nota celandas esse virtutes et divinas illustrationes ob vanae gloriae periculum. Vide resolut. 9.

DOCUMENTUM XXXII.

Atque ut in imaginibus, quae sub sensum cadunt, si primam speciem pictor constanter intueatur, neque ad aliud quod oculis subiicitur, vicissim trahatur, aut aliqua ex parte vim oculorum dividat, illum ipsum quisquis sit qui pingitur, si fas est dictu, duplicabit, exprimetque veritatem in similitudine, et exemplar in imagine, utrumque in utroque praeter essentiae dissimilitudinem.

Sic egregiis in mente pictoribus intenta in fragrantem abstrusamque pulchritudinem, atque non inflexa contemplatio, expertem erroris, divinamque imaginem reddet, etc. (14).

Pachymera (15): *Sicut in sensibilibus imaginibus, si pictor ad primaevam speciem constanter intendat, nequaquam hinc inde distractus, accurate exprimet id quod imitatur (hoc enim est illud « duplicabit »* (16), *nam faciet aliud sicut illud citra substantiae differentiam, etc...). Sic etiam pictoribus spiritualibus* (17), *archetypi, et suaveolentis pulchritudinis intenta, constansque contemplatio conferet illis infallibilem similitudinem. Recte igitur* (18) *dum imaginem suam spiritalem non retroversa facie exprimunt, extraneam deceptionem minime attendent, etc.*

Nota quanta attentione et affectus sinceritate debeat contemplari exemplar nostrum Christus, ut illius imagines evadamus. Vide resolut. 39 et 74.

DOCUMENTUM XXXIII.

Divinis viris sacrarum rerum radius, quod spiritali cognatione teneantur, sincere ac per se re nulla interiecta collucet, mentisque eorum captum plane bono odore perfundit. Ad inferiores autem non item pervenit, sed eis quasi obscuris rei spiritalis spectatoribus, ut mysterium non enunciatum a dissimilibus non inquinetur, pennatis signis obducitur: quibus sacris signis praeclari inferiorum ordines ad sanctum captum modumque suum deducuntur (19).

S. Maximus (20): *Sancto scilicet Episcopo tamquam divini luminis affini divini luminis revelat Deus, non per alium praeceptorem, sed ipse ipsum illustrans, mysterium contemplationis et unctionis; quare ipsi episcopo non circumjacet velum in divino unguento; sed revelata facie secundum Apostolum contemplatur mysteria; non perfectis autem, opus est ignis; ideo alis velatum est divinum unguentum per episcopum sequestrem inter Deum et populum, et per explicationem revelantis signa.* θεωρούς *vero vocat Episcopos; quia etiam apud Graecos gentiles* θεωροί *appellabantur qui propositi erant ab omnibus, ut interrogarent Deum de futuris, et hostias pro ipsis offerrent, et propitium redderent super ipsos... Quibus signis. Gr.* Αἰνιγμάτων. *Per enigmata, inquit, et signa hi ordines accommodate ad eorum infirmitatem illustrantur.*

(12) *Ib.*, « *spiritales* » pro « *spirituales* ».

(13) *Ib.*, « *spiritalibus* » pro « *spiritualibus* ».

(14) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 4, part. 3; ed. 1566, fol. 62v-63r.

(15) *Paraphrasis*, cap. 4, part. 3, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 490: *Sicut enim in...*

(16) *Ib.*, « *replicabit* » pro « *duplicabit* ».

(17) *Ib.*, « *spiritalibus* » pro « *spiritualibus* ».

(18) *Ib.* additur: « *pictores sancti* ».

(19) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 4, part. 3; ed. 1566, fol. 63v: *Divinis enim viris...*

(20) *Scholia in librum De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 4, part. 3, §. 2; P. G., t. 4, col. 154: *Hoc igitur etiam hic dicit, quod episcopo, sancto existenti, ut*

affini, Deum non per alterum praeceptorem, sed per semetipsum contemplationis unctionisque mysterium revelare: quocirca Episcopo non circumiacet velum in divino unguento, sed revelata facie secundum Apostolum, mysteria contemplatur. Nondum perfectis autem opus est signis, atque ideo sacris aliis unguentum sacrum obtegitur per Episcopum, qui sequester est inter Deum et populum, et expositione sua symbola revelat: Episcopos autem vocat speculatores; quandoquidem etiam a graecis gentilibus sic nuncupabantur, qui ab omnibus praepositi erant, ut Deum de futuris interrogarent, et hostias pro ipsis offerrent... « Quibus sacris signis etc. », nam per aenigmata, inquit, et symbola hi ordines ad eorum infirmitatis captum illustrantur.

Ex quo documento probant mystici quod in suprema animae hierarchia, quae dicitur intelligentia, recipiatur lux divina simpliciter et clarior; quod contingit viris spiritualibus et in contemplatione exercitatis; inferioribus autem hierarchiis, nempe rationis et imaginationis, per figuras et signa; quod contingit rudioribus et incipientibus. Sic applicatur iste locus Dionysii ab auctore *Concordantiae*, lib. II, cap. 1, num. 5 (21). Vide resol. 53.

DOCUMENTUM XXXIV.

Si enim eorum quae sub sensu cadunt et bene olent, susceptio bene afficit, et alit cum magna voluptate id quod in nobis odores diiudicat, si modo integrum sit, et ei quod odorum suavitate praestat apta compositione respondeat: sic mentis nostrae facultates, si sint incorrupte affectae ad malum, naturali partis, quae iudicat, vi constante proportione divinae actionis, accommodataque mentis ad Deum conversione, divini odoris iucunditatem suavitatemque recipere, sanctaque voluptate compleri, ac divino alimento (22).

Pachymera (23): *Si enim sensibilium perceptio fragrantiarum bene afficit, si modo sanum olfactum obtinemus, eadem utique ratione dicet aliquis spirituales* (24) *nostras facultates animaeque iudicandi vires divini odoris suavitatem percipere, modo sint incorruptae, etc.*

Unde infert idem auctor *Concordantiae*, lib. I, cap. 12 (25), (in quo etiam alii auctores mystici conveniunt) ad hoc ut illuminatio divina illustret intellectum et inde transeat ad movendam voluntatem illamque a sensibilium amore purgandam debere nos orationi assistere « *accommodata conversione mentis ad Deum* », id est, ne oculi animae sint reflexi supra seipsos, sed in omni quiete et cessatione actualis operationis, praeterquam voluntatis in deum. Vide resolut. 71.

DOCUMENTUM XXXV.

Perspicuum est autem suavitatis odorum quae a fonte manat, divisionem viciniorem esse naturis nobis superioribus, seque magis expromere ac distribuere, et magna in perlucidam earum beneque affectam mentis recipiendi vim effusione, et multiplici introitu. Ad inferiores autem spiritus, et qui non ita capaces sunt, summa illa contemplatione communioneque integra obducta, accommodatis iis qui participant vaporibus pro modo, quem Deus constituerit dividitur (26).

---

(21) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 1, num. 5; Barcelona, 1667, pp. 94-95. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(22) Apud Perionium, l. c., cap. 4, part. 3; ed. 1566, fol. 65r: ... *sub sensum cadunt ac bene... respondeat: eadem etiam ratione dicet aliquis mentis nostrae...*

(23) *Paraphrasis*, cap. 4, part. 3, §. 4; Migne, P. G., t. 3, col. 494.

(24) *Ib.*, « *spiritales* » pro « *spirituales* ».

(25) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. I, cap. 12; Barcelona, 1667, pp. 40-44.

(26) Apud Perionium, l. c., cap. 4, part. 3; ed. 1566, fol. 65v: *Perspicuum est autem, ut arbitror, suavitatis...*

Pachymera (27): *Voce hac* (28) *universaliter « mentes » tam de angelis, quam de nobis accepta, modo quoque differentiam assignat, quoniam quidem illis multipliciter infunditur, quod nimirum coelestes istae virtutes et propinquiores sint, et istiusmodi divinae participationis capaciores, hominibus vero tamquam minus capacibus ad eorum captum, id enim est, proportione quadam distribuitur, etc.*

Nota participationes divinas copiosiores fieri perfectioribus et magis Deo coniunctis. Vide reoslut. 53.

CAPUT V.

DE SACRIS ORDINIBUS EORUMQUE VIRTUTIBUS ET ACTIONIBUS.

Tres continet partes. In prima agit de ordine nostrae hierarchiae. In secunda de ritu consecrandi episcopum, sacerdotem et diaconum. In tertia de mysterio quod in iis ritibus includitur.

D. Thomas I^{a} part., quaest. 1, art. 10 (1) *Lex nova est figura futurae gloriae.* Et I^{a} II^{ae}, quaest. 106, art. 4 (2) triplex est hominum status: primus, veteris legis; secundus, novae legis; tertius, in futura vita. Et quaest. 106, art. 3 I^{ae} partis (3) *Inferiora reducuntur in Deum per superiora.* Et III^{a} part., quaest. 61, art. 4 (4) statum novae legis esse medium statum. Et quaest. 67, art. 1 (5) docere pertinet ad episcopum. Et in *Supplem.*, quaest. 31, art. 1 (6) actiones hierarchicas a laicis recipi et non dispensari. Et quaest. 34, art. 1 (7) ultima per media reducuntur ad Deum et media per prima. Et quaest. 37, art. 2 (8) solis episcopis convenit perficere. Et art. 4 (9) quod est superioris ordinis, non convenit inferioribus. Et quaest. 40, art. 4 (10) potestas sacerdotalis extendit se ad purgandum et illuminandum, episcopalis etiam ad perficiendum. Et art. 5 (11) in quo sensu episcopatus sit ordo secundum Dionysium. Et quaest. 72, art. 2 (12) ultima per media reduci in Deum. Videatur etiam in IV *Sent.*, dist. 7, quaest. 3, art. 1 (13); et dist. 8, quaest. 1, art. 1 (14); et dist. 23, quaest. 2, art. 1 (15) et *Quaest. disp. de verit.*, quaest. 9, art. 3 (16).

DOCUMENTUM XXXVI.

Mos hic est divinitatis sanctissimus, per prima, secunda, et inferiora ad divinissimam lucem suam deducere. An non videmus elementorum naturas, quae sensibus percipiuntur, primum ad ea quae eis magis cognata sunt, venire, deinde per illa in alia suam traducere vim et actionem? Iure igitur ac merito omnis descriptionis, et quae videtur, et quae non videtur, principium ac sedes primum ad eos, qui maxime divinitatem imitantur, vult divinos radios pervenire: deinde per illos, quod sint clariores spiritus, aptique ad accipiendum lumen, aliisque tradendum, in inferiores pro eorum captu diffundit (17).

---

(27) *Paraphrasis*, cap. 4, part. 3, §. 5; Migne, P. G., t. 3, col. 494: *Dicens vero « mentes », voce hac universaliter tam de...*

(28) In ed. 1684, p. 557^{a} legitur: « *Voce la* ».

(1) corp.

(2) ad 1.

(3) *Sed contra.*

(4) ad 1.

(5) ad 1.

(6) corp.

(7) corp.

(8) corp.

(9) arg. 9.

(10) *Sed contra.*

(11) arg. 1.

(12) corp.

(13) qla 2, arg. 2, *sed contra* et ad 3; ed. Vivès, t. X, pp. 167^{b}, 168^{a} et 169^{b}.

(14) qla 1, arg. 1; ed. Vivès, t. X, p. 176^{a}.

(15) qla 1, corp.; ed. Vivès, t. XI, p. 12^{b}; qla 2, arg. 1, p. 12^{a}; et qla 3, corp., p. 13^{a}.

(16) corp.; ed. Vivès, t. XIV, p. 532^{b}.

(17) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 5, part. 1; ed. 1566, fol. 71r-71v: *Mos quidem hic est...*

S. Maximus (18) et Pachymera (19): *Cum Ecclesiasticus ordo trifariam in expiationem, illuminationem, perfectionem dividatur, lex haec sacrosancta est omnis hierarchiae, ut per prima secunda adducantur. An non etiam illud in rebus sensibilibus et aspectabilibus videmus? (haec enim elementa vocat) ut in vitro perspicere licet, quod solem recipit, atque hoc modo illuminat; et in igne, qui prius ad materiam, quae facile comburi potest, accedit, et per hanc etiam minus aptas ad eum recipiendum naturas exurit. Idcirco quoque omnis rectae ordinationis, sive coelestem, sive nostram dixeris, principium ac sedes in primos ordines divinos suos radios emittit, atque per hos* (20) *quoque inferioribus collucet.*

Hinc infert D. Thomas citata Iª parte, quaest. 106, art. 3 superiores angelos numquam illuminari ab inferioribus; et ratio est: quia in caelestibus, qui Deo sunt propinquiores, sunt etiam ordine et gradu sublimiores et sapientiores. In terrenis vero multoties qui sanctitate Deo sunt proximiores, sunt in gradu et dignitate ecclesiastica infimi, et etiam scientia minus pollentes; unde cum in uno deficiant et in alio excedant, possunt ad invicem qui sunt superiores in uno, illuminari ab inferioribus qui sunt superiores in alio. Recta tamen ratio dictat, ut subditi a praelatis doceantur et discipuli a magistris, cum quibus Deus concurret, licet alias sint minus sancti et perfecti quam debebant. Vide resolut. 11.

CAPUT VI.

DE ORDINIBUS QUI INITIANTUR.

In tres partes dividitur. In prima explicat quinam ordines expientur: nimirum catechumeni, peccatores, energumeni et paenitentes; et quinam illuminentur, nimirum laici baptizati; et quinam perficiantur, nimirum monachi. In secunda agit de ritu consecrandi monachos. In tertia exponit mysterium horum rituum.

D. Thomas, Iª part., quaest. 106, art. 2. (1) quod in caelestibus hierarchiis purgatio sit in substantiis, tamquam ignotorum illuminatio in perfectiorem inducens, ut ait Dionysius; explicat exemplo visus, qui purgatur, dum removentur tenebrae; illuminatur, dum luce perfunditur; perficitur, dum perducitur ad cognitionem colorati. Et IIª IIªe, quaest. 184, art. 8 (2) comparat monachos cum presbyteris curatis et archidiaconis in statu, ordine et officio, citans Dionysium hic. Et quaest. 185, art. 1 (3) dicit ex Dionysio perfectionem pertinere active ad episcopum sicut ad perfectorem; ad monachum autem passive sicut ad perfectum; et quod requiratur eum esse perfectum, qui alios ad perfectionem adducit, non autem qui adducitur. Et quaest. 186, art. 5 (4) quod subiectio religiosorum principaliter attendatur ad episcopos. Et quaest. 187, art. 3 (5) ex eo quod religiosi sint principaliter servi Dei, ut hic dicit Dionysius, non sequi magis teneri quam laicos ad opera manualia. Et IIIª part., quaest. 27, art. 3 (6) quomodo angeli purgentur, cum sint purissimi; et quomodo Beata Virgo a Spiritu Sancto. Et quaest. 64, art. 1,

(18) Hic textus non est S. Maximi, licet adsit quaedam conformitas. — Cf. S. Maximus, *Commentaria in librum De ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5, §. 3-4; Migne, P. G., col. 162-163.

(19) *Paraphrasis*, cap. 5, part. 1, §. 4; Migne, P. G., t. 3, col. 522: *Nunc autem de ecclesiastico ordine dicendum est, qui cum etiam trifariam, in...*

(20) In ed. 1684, p. 557b, legitur: « *hoc* ».

(1) ad 1.

(2) corp.

(3) ad 2.

(4) ad 3.

(5) arg. 2 et ad 2.

(6) ad 3.

ad 1 et quaest. 67, art. 1 (7) explicat quomodo ad diaconos pertineat expiare non quidem a peccato, sed eiiciendo immundos, etc.; et quomodo ad sacerdotes illuminare.

DOCUMENTUM XXXVII.

Divisarum diversarumque non solum vitarum, sed etiam visionum abrenunciatio perfectissimam monachorum philosophiam significat, quae in praeceptorum, quae unum faciunt, scientia vim et efficacitatem habet. Est enim non medii eorum qui initiantur ordinis, sed summi omnium. Itaque multa eorum quae impune ac sine improbatione a medio ordine geruntur, omni ratione singularibus monachis interdicta sunt, quippe qui cum uno coniungi debeant, et cum sacra monade colligi, atque ad sacerdotum vitam, quantumlibet formari, quod ei ordini in multis ordo ille similis sit, et unus ex omnibus ordinibus eorum qui initiantur, ad eum proxime accedat (8).

Pachymera (9): In ritu consecrandi monachos colligitur ex Dionysio, quod finitis orationibus *sacerdos ad eum accedens, rogat ipsum primum, an omnibus rebus dividuis et vitis variis renuntiet: primo* (10) *mercaturis, negotiis, contractibus, etc.* (11); *item omnibus phantasiis seu imaginationibus rerum similium, ut ne de iis quidem cogitare, sed tamquam mortuus ab iis omnibus penitus abstinere velit.*

Quod mystice explicans dicit (12): *Divisarum ac saecularium vitarum atque insuper imaginationum renunciatio perfectissimam declarat philosophiam: quoniam a dividuis recedens, unicis illis Christi Domini mandatis unificatur. Neque enim est medii ordinis initiatorum, i. e.* (13), *illuminatorum et sacrorum laicorum: multa enim monachi facere prohibentur, quorum facultas et potestas laicis est, ut sunt nuptias, militiam et commercia frequentare, et similia, quae in laico non damnantur... Verum monachi prae caeteris debent ad sacerdotalem vivendi rationem efformari, quippe qui prae caeteris initiatis cum isto ordine maiorem habent affinitatem: ... nequaquam facta comparatione cum initiatis iis qui suprema consecratione initiati sunt, id est, perfectis (perfecti enim sunt qui, per baptismum, qui per unctionem, qui per communionem, qui per ordinationem sunt consummati), sed cum iis qui initiantur, id est, qui expiantur, docentur, illuminantur. Quoniam omnis quidem qui perficitur, initiatur; non omnis autem qui initiatur* (14), *perficitur.*

Colligitur quanta debeat esse puritas et perfectio monachorum, qui licet sacerdotes non sint, comparantur cum illis. Vide resolut. 2 et 4.

CAPUT VII ET ULTIMUM.

DE IIS QUAE FIUNT IN IIS QUI DORMIERUNT.

In tres partes dividitur. In prima recenset varios errores circa mortuos; dicitque malos triste mori, bonos laetari. In secunda ritum ponit sepeliendi mortuos. In tertia exponit mysteria horum rituum. Et denique dispu-

---

(7) arg. 2, ad 1 et ad 2.

(8) Apud PERIONIUM, l. c., cap. 6, part. 3; ed. 1566, fol. 79v: *Divisarum autem diversarumque... visionum, ut ita dicam, abrenunciatio... Est enim, ut dixi, non... vitam, quantum licet, formari...*

(9) *Paraphrasis*, cap. 6, part. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 546: *Ea vero finita, sacerdos ad eum accedens,...*

(10) *Ib.*, « *scilicet* » pro « *primo* ».

(11) *Ib.*, « *et similia* » pro « *etc.* ».

(12) *Paraphrasis*, cap. 6, part. 3, §. 2; Migne, P. G., t. 3, col. 547: *Divisarum autem ac saecularium...*

(13) *Ib.*, « *scilicet* » pro « *i. e.* ».

(14) *Ib.* additur « *etiam* ».

tat cur infantes rationis incapaces baptizentur et etiam illo tempore Eucharistiam reciperent.

D. Thomas IIIª part., quaest. 67, art. 7 (1) ex hoc probat convenienter patrinum adhiberi ad baptismum. Et art. 8 (2) dicit debere patrinum esse doctum, ubi periculum fuerit. Et quaest. 68, art. 9 (3) probat ex Dionysio infantes baptizari probatum esse apostolis. Et quaest. 72, art. 4 (4) formam confirmationis non semper ab apostolis apponi vel occulte et quare? Et quaest. 78, art. 3 (5) ideo has formas sacramentorum non poni ab Evangelistis, quia tunc oportebat esse occultas, ut docet Dionysius. Et quaest. 80, art. 4 (6) non baptizatos nec ad inspectionem Eucharistiae admittendos iuxta Dionysium. Et in *Supplem.*, quaest. 71, art. 3 (7) suffragia peccatoris defunctis prodesse, quia fiunt nomine Ecclesiae, ut ait Dionysius.

Videatur etiam in *Quaest. disp. de malo*, quaest. 8, art. 1 (8); et quaest. 16, art. 6 (9); et *De verit.*, quaest. 9, art. 1 (10).

DOCUMENTUM XXXVIII.

Siquidem qui sancte vixerunt, vera Dei promissa spectantes, quasi eorum veritatem in resurrectione ei consentanea viderint, cum firma veraque spe, divinae laetitiae pleni, ad mortis extremum, tamquam ad finem certaminum proficiscuntur, quod certo sciant sua omnia propter futuram suam ipsorum integram resurrectionem fore in perfecta aeternaque vita et salute (11).

Ii autem, qui sceleribus nefariisque sordibus cooperti sunt, si sanctam aliquam doctrinam et institutionem hauserunt, sed etiam ex animo suo perniciose eiecerunt, cum mors appropinquabit, non iam eis divina lex sanctae Scripturae aeque contemnenda videbitur, sed aliis oculis aspectis vitiorum suorum perniciosis voluptatibus, sanctaque vita, a qua inconsiderate desciverunt, beata iudicata, miseri et inviti ex hac vita excedunt, nulla sancta spe freti propter vitam quam flagitiosissimam egerunt (12).

Pachymera (13): *Sancti ad spes futuras attendentes, ad mortis terminum veniunt tamquam ad finem certaminum, virtutis coronam recepturi in totali sua resurrectione, i. e.* (14), *una cum corpore: sanctae enim animae cum hic perverti possint, in resurrectione immutabilitatem consequentur, etc.*

Peccatores (15) *vero si quidem sanctam hauserint institutionem, eaque neglecta, ad concupiscentias suas sponte devoluti sint, cum ad vitae finem pervenerint, non iam legem divinam aeque ut prius despicabilem existimant, sed aliis longe oculis spiritualibus... ea quae ibi sunt considerantes, et quibus bonis exciderint expendentes, beatos quidem praedicant eos, qui illa adepti sunt, miseri autem et inviti ex hac vita decedunt, propter vitam suam pessimam, nulla salutis spe fulti.*

Nota diversam bonorum et malorum mortem et quomodo in morte placeant ad timorem virtutis documenta, quae in vita ad peccandum displicuerant. Vide resolut. 5.

---

(1) corp.
(2) ad 1.
(3) *Sed contra.*
(4) ad 1.
(5) ad 9.
(6) ad 4.
(7) corp.
(8) ad 7; ed. Vivès, t. XIII, p. 495b.
(9) corp.; ed. Vivès, t. XIII, p. 595b.
(10) Indicatio erronea — Cf. *De veritate*, quaest. 8, art. 4, 2 *sed contra;* ed. Vivès, t. XIV, p. 486b.
(11) Apud Perionium, l. c., cap. 7, part. 1; ed. 1566, fol. 80v: *Ii quidem...*
(12) *Ib.*, fol. 82v: *... sed eam ex animo... oculis aspectis perniciosis vitiorum suorum voluptatibus,... misere et inviti...*
(13) *Paraphrasis*, cap. 7, part. 1, §. 1; Migne, P. G., t. 3, col. 570: *Siquidem sancti...*
(14) *Ib.*, « *scilicet* » pro « *i. e.* »
(15) l. c., §. 2, col. 571.

LIBER III

DE DIVINIS NOMINIBUS

Iuxta lectionem quam sequitur D. Thomas in huius libri expositione (1).

CAPUT I.

QUAE SERMONIS INTENTIO ET QUAE DE DIVINIS NOMINIBUS TRADITIO?

Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter. Docet per sensibilia cognosci non posse res spirituales Deumque excedere omnem intelligentiam. Item de eo nihil dicendum, nisi ex Scripturis, qui se nobis pro captu nostro communicat. Item arcana Dei non scrutanda, et quae de Deo ex Scripturis discamus. Item Deum modo cognosci a nobis in aenigmate, nec eum ut in se est posse concipi in hac vita. Item deiformes ad angelorum imitationem Deo uniri ex rerum omnium ablatione. Item quomodo Deus nomine careat et omni nomine appelletur. Denique Deum non solum a providentiis nominari, sed etiam ab apparitionibus.

Citantur huius capitis plures sententiae a Divo Thoma in *Summa*. Ut Iª part., quaest. 12, art. 1 (2): *Omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis, et neque sensus eius est, neque phantasia, neque opinio, neque ratio, neque scientia.* Et art. 2 (3): *Per similitudines rerum inferioris ordinis nullo modo superiora* (4) *possunt cognosci.* Et quaest. 13, art. 1 (5): *Neque nomen eius est, neque opinio.* Et art. 2 (6). Et IIª IIªᵉ, quaest. 91, art. 1 (7): *Omnium sanctorum theologorum hymnum invenies ad beatos Thearchiae processus manifestative et laudative Dei nominationes dividentem.* Et art. 6 (8): *Deum ex creaturis nominamus.* Et quaest. 32, art. 2 (9), et quaest. 36, art. 2 (10), et quaest. 39, art. 2 (11): *Non est audendum dicere de Deo praeter ea quae nobis ex sacris eloquiis sunt expressa.* Et quaest. 88, art. 2 (12): *Non est possibile humanae menti ad immaterialem illam sursum excitari caelestium hierarchiarum contemplationem, nisi secundum se materiali manuductione utatur.* Ubi S. Thomas (13) concordat hunc locum cum alio *De caelesti hierarchia* (14).

---

(1) *Opusculum VII: In librum Beati Dionysii De Divinis Nominibus commentaria;* ed. Vivès, t. XXIX, pp. 374ª-580ᵇ.

(2) Arg. 1 et ad 1. — Ad 1, ed. Leon., t. IV, p. 115ª: *Omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis, et nec sensus est.* — Arg. 1, tom. cit., p. 114ª: *Neque sensus est eius, neque phantasia, neque opinio, nec ratio, nec scientia.*

(3) corp.; ed. Leon., t. IV, p. 117ª: *Per similitudines inferioris ordinis rerum nullo...*

(4) In ed. 1684, p. 559ª erronee legitur: « *inferiora* » pro « *superiora* ».

(5) arg. 1.

(6) arg. 2.

(7) ad 1; ed. Leon., t. IX, p. 294ᵇ: *Omnem sanctum theologorum hymnum*, idest divinam laudem, *invenies ad bonos thearchiae*, idest divinitatis, *processus...* — Hic textus etiam citatur Iª part., quaest. 13, art. 2, arg. 2.

(8) Iª part., quaest. 13, art. 6, arg. 2.

(9) Iª part., quaest. 32, art. 2, arg. 1; ed. Leon., t. IV, p. 351ª: *Non est audendum dicere aliquid de Deo, praeter ea...*

(10) Iª part., quaest. 36, art. 2, arg. 1; ed. Leon., t. IV, p. 376ª: *Non est audendum dicere aliquid de substantiali divinitate, praeter ea quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa.*

(11) Iª part., quaest. 39, art. 2, arg. 2, huic textui alluditur, sed non citatur.

(12) Iª part, quaest. 88, art. 2, arg. 1.

(13) ad 1.

(14) cap. 2.

Et IIª IIæ, quaest. 13, art. 1 (15): *Deus est ipsa essentia verae bonitatis.* Et quaest. 106, art. 3 (16): *Deus omnia in se convertit, tamquam omnium causa.* Et IIIª part., quaest. 20, art. 1 (17): *Natura creata habet quandam participationem divinae bonitatis, quasi radiis illius bonitatis subiecta.*

Similiter in I *Sent.*, dist. 22, quaest. 1, art. 2 (18) et 4 (19); et *De potent.*, quaest. 7, art. 5 (20); et *De malo*, quaest. 5, art. 1 (21). Ex quibus eruuntur mystica documenta sequentia.

DOCUMENTUM XXXIX.
(Ex lectione I).

Secundum virtutem revelationis, et ineffabilibus, et ignotis, ineffabiliter et ignote coniungimur secundum meliorem nostrae rationabilis et intellectualis virtutis et operationis unionem (22).

Quod D. Thomas sic explicat (23): *In illis doctrinis principiis humanae sapientiae inniti possumus, in quibus ea traduntur, quae hominibus cognoscibilia sunt et dicibilia... Sed in doctrina fidei proponuntur quaedam homini ignota et indicibilia, quibus habentes fidem inhaerent in* (24) *cognoscendo, aut perfecte explicando, licet certius eis inhaereant, et altior sit huiusmodi inhaesio quam aliqua cognitio naturalis. In doctrina igitur fidei non possumus inniti principiis humanae sapientiae, et hoc est, quod dicit « secundum quam » scilicet, virtutem revelationis procedentis a Spiritu Sancto in Apostolos et Prophetas, nec* (25) *per fidem « coniungimur ineffabilibus et ignotis » et* (26) *veritati divinae, quae excedit omnem humanam locutionem et cognitionem. Nec fides sic coniungit* (27) *eis, ut faciat ea ab homine credente cognoscere* (28), *et loqui sicuti sunt: hoc enim esset apertae visionis, sed coniungit « ineffabiliter et ignote ». Videmus enim nunc per speculum, ut dicitur I Cor.*, XIII (29). *Et ne aliquis hanc coniunctionem despiceret, propter sui imperfectionem, subiungit « secundum meliorem unitionem nostrae rationalis et intellectualis virtutis et operationis », id est, supra virtutem et operationem nostrae rationis et intellectus... Altioribus enim per fidem coniungimur, quam sint ea, ad quae ratio naturalis pertingit; et certius adhaeremus, quanto certior est divina revelatio quam humana cognitio. Dicit autem « rationalis et intellectualis », quia eorum, quae naturaliter cognoscimus, quaedam per se a nobis conspiciuntur absque aliqua investigatione, et eorum proprie est « intellectus »; quaedam vero cognoscuntur per inquisitionem, et horum est « ratio ». Dicit autem « operationis et virtutis », quia multa cognoscimus virtute, quae actu non speculamus.* Haec D. Thomas.

Inde dicunt mystici (quod superius saepe repetitum est) per obscuritatem fidei et non per alias luces procedendum nobis esse in contemplatione Dei. Et non solum in illa contemplatione fidei quam secundum modum nostrum connaturalem operandi exercemus, sed etiam in contemplatione infusa, quae est supra modum nostrum. Quod etiam colligunt ex D. Thoma, Iª part., quaest. 12, art. 13, ad 1

---

(15) corp.; ed. Leon., t. VIII, p. 107ª: *Deus autem est ipsa essentia* [Pa « *verae* »] *bonitatis.* — « *quaest. 13, art. 1* » deest in ed. 1684, p. 559ª.

(16) corp.

(17) corp.; ed. Leon., t. XI, p. 247ᵇ: *Natura autem creata...*

(18) 2 *Sed contra;* ed. Vivès, t. VII, p. 279ª.

(19) arg. 5; p. 282ᵇ.

(20) corp.; ed. Vivès, t. XIII, p. 227ᵇ.

(21) ad 4; ed. Vivès, t. XIII, p. 438ª.

(22) Apud. D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 375ª: *Secundum quam ineffabilibus...*

(23) l. c., p. 377ª.

(24) *Ib.* « *non* » pro « *in* ». — Ed. Parm. « *in* ».

(25) *Ib.* « *nos* » pro « *nec* ».

(26) *Ib.* « *id est* » pro « *et* ».

(27) *Ib.* additur « *nos* » — « *nos* » deest in ed. Parm.

(28) *Ib.* « *cognosci* » pro « *cognoscere* ».

(29) v. 12; Hetzenauer, p. 1120: *Videmus nunc per speculum.*

et ex doctrina Seraphicae Matris in *Via perfectionis*, cap. 34 (30), ibi: *De manera que, ya que los ojos del cuerpo no se pueden deleytar en mirar el Señor, por estar tan encubierto, se descubre a los del alma por la fee, etc.* Quamvis enim hic loquatur de communicantibus, dum habent in se sacramentales species, eadem videtur militare ratio, ut dicit auctor *Concordantiae mysticae*, lib. II, cap. 3 (31). De unitione autem qua coniungimur Deo in contemplatione, videantur quae diximus ad cap. 1 *Theologiae Mysticae*. Vide resolut. 73.

DOCUMENTUM XL.

Non est audendum dicere aliquid, nec etiam cogitare de supersubstantiali occulta Deitate praeter ea, quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa. Nam supersubstantialem scientiam ignorantiae supersubstantialitatis, quae est supra rationem et intellectum, et substantiam ipsam, ipsi attribuere convenit (32).

Expositio D. Thomae (33): *Virtus huius rationis est, quia quod ab aliquo solo scitur, nullus potest cogitare vel loqui, nisi quantum ab alio manifestatur; soli autem Deo convenit perfecte cognoscere seipsum secundum id quod est; nullus* (34) *ergo potest dicere aut cogitare de Deo praeter ea, quae in Scripturis sunt revelata: et hoc est quod dicit « convenire ipsi Deo attribuere supersubstantialem scientiam ignorantiae supersubstantialitatis », id est, supersubstantialitatis divinae ignorantiae* (35); *quae quidem supersubstantialitas non ignorata est propter aliquem suum defectum, sed propter suum excessum, quia scilicet « est super rationem et intellectum » creatum, et super « ipsam substantiam » creatam, quae est obiectum commensuratum intellectui creato, sicut essentia increata est proportionata scientiae increatae. Et ideo sicut essentia divina est supersubstantialis, ita* (36) *eius scientiam supersubstantialem dixit: semper enim oportet obiectum cognitivae virtutis vrituti sognoscenti proportionatum esse.* Haec D. Thomas.

De hac scientifica ignoratione plura dicta sunt in *Mystica Theologia* et ideo a prolixiori expositione supersedeo. Si tamen contra illud propter quae ista sunt dicta (nempe non esse nobis dicendum de Deo, nisi quod est in Scripturis), obiicias: theologi ponunt in Deo rationes seu proprietates in abstracto, et tamen de notionibus non fit mentio in Scriptura; similiter, quod Spiritus Sanctus a Filio procedat et quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint unius essentiae. Respondet D. Thomas I[a] part., quaest. 32, art. 2 (37): *Quod licet de notionibus in abstracto non fiat mentio, fit tamen de Personis, in quibus notiones intelliguntur, sicut abstractum in concreto.* Et ad illud de processionibus respondet quaest. 36, art. 2, ad 1: quod licet processio Spiritus Sancti non inveniatur in Scriptura per verba, invenitur per sensum, ut *Ioan.*, XVI (38): *De meo accipiet.* Ad illud

---

(30) *Camino de perfección*, cap. 34, §. *Es como;* ed. crit., t. III, p. 163:... *en mirarle por estar tan encubierto, se descubra a los de el alma, y se le dé a conocer,...*

(31) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 3; Barcelona, 1667, pp. 99-104. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(32) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 375.

(33) l. c., p. 377[b]: *Virtus ergo suae rationis talis est: De eo quod ab aliquo solo...*

(34) *Ib.*: *Nullus igitur potest vere loqui de Deo vel cogitare, nisi quantum a Deo revelatur. Quae quidem divina revelatio in Scripturis sacris continetur; et hoc est quod dicit quod « convenit ipsi », scilicet Deo soli, « attribuere...*

(35) l. c., p. 378[a]: « *ignoratae* » pro « *ignorantiae* ». — « *ignorantiae* » in ed. Parm.

(36) *Ib.* additur « *et* ».

(37) ad 1; ed. Leon., t. IV, p. 352[b]: *Quod licet de notionibus non fiat mentio in sacra Scriptura, fit tamen mentio de Personis, in quibus intelliguntur notiones, sicut abstractum in concreto.*

(38) v. 14 et 15.

autem de unitate essentiae respondet quaest. 39, art. 2 (39): inveniri etiam per sensum quod tres Personae sint eiusdem essentiae, ut ibi (40): *Ego et Pater unum sumus.* Vide resolut. 42.

DOCUMENTUM XLI.

Tamen ad superius respicientes, quantum Thearchicorum eloquiorum radius seipsum immittit ad splendores superiores, et simus circa divina temperantia et sanctitate constricti (41).

Expositio D. Thomae (42): *Ne tamen omnino simus in Dei ignoratione constituti, subiungit: nobis* (43), *dico, convenit rationem « respicientes » per spiritualem contemplationem « ad superius », id est, ad id quod supra nos est, scilicet Deum* (44), *« quantum radius Thearchicorum eloquiorum seipsum immittit », id est, se expandit « ad superiores splendores », id est, ad veritates intelligibiles divinorum. Veritas enim sacrae Scripturae est quoddam lumen per modum radii derivatum a prima veritate: quod quidem lumen non se extendit ad hoc, quod per ipsum possimus videre Dei essentiam, aut cognoscere omnia quae Deus in seipso cognoscit, ut* (45) *Angeli aut Beati eius essentiam videntes; sed usque ad aliquem certum terminum vel mensuram intelligibilia divinorum lumine sanctae* (46) *Scripturae manifestantur. « Et » sic dum nos non plus extendimus ad cognoscendum* (47) *divina, quam lumen sanctae* (48) *Scripturae se extendit, « simus » per hoc « constricti », quasi certis limitibus coarctati « circa divina » quadam « temperantia et sanctitate ». Sanctitate quidem* (49) *S. Scripturae veritatem mundam ab omni errore conservamus: temperantia vero, dum ad eas non magis nos ingerimus, quam nobis est datum.* Haec ille.

Doctrinae isti consonat illa sanctae Matris nostrae Theresiae tum in cap. 12 *Vitae* suae (50), tum in *Via perfectionis*, cap. 25 (51) et alibi saepe; ubi admonet animas ne superius ascendant quam Deus elevet; et ne suspendantur, nisi Deus eas suspendat; et ne ad contemplationem se immittant, nisi Deus introducat, etc. Quoties enim loquitur de contemplatione, intelligit infusam et non illam quam communibus gratiae auxiliis possumus adipisci, ut bene advertit noster Iosephus a Iesu Maria in *Ascensu*, part. I, lib. I, cap. 23 (52).

Quod etiam D. Thomas videtur docere II^{a} II^{ae}, quaest. 130, art. 1 (53), reddens rationem quare praesumptio sit peccatum: quia quaelibet actio commensurari debet virtuti agentis, *et ideo vitiosum est... quod aliquis assumat ad agendum ea quae suae virtuti praeferuntur.* Et obiicienti primo illud *ad Philip.*, III (54): *Ad anteriora me extendo.* Secundo illud Philosophi I *Metaph.* (55): *Quod homo se debet habere ad divina quantum potest.* Tertio illud II *ad Cor.*, III (56): *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis,* cum tamen licite possimus bona cogi-

(39) ad 2.

(40) *Ioan.*, c. X, v. 30.

(41) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 375^{b}: *Tantum ad...*

(42) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 378^{a}.

(43) *Ib.* « *Nos* » pro « *nobis* ».

(44) *Ib.* additur « *tendere* ».

(45) *Ib.* « *aut* » pro « *ut* ».

(46) *Ib.* « *sacrae* » pro « *sanctae* ».

(47) *Ib.* « *agnoscendum* » pro « *cognoscendum* ».

(48) *Ib.* « *sacrae* » pro « *sanctae* ».

(49) *Ib.*, *dum sacrae.*

(50) *Vida*, cap. 12; ed. crít., t. I, pp. 85-89.

(51) *Camino de perfección*, cap. 25; ed. crít., t. III, pp. 117-118.

(52) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 23; ed. 1694, pp. 57^{b}-60^{a}.

(53) corp.; ed. Leon., t. X, p. 71^{b}: *... quae praeferuntur suae virtuti.*

(54) v. 13. — Sic citatur a D. Thoma, l. c., arg. 1. Sed apud Hetzenauer, p. 1144: *Ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum.*

(55) cap. 2, num. 9-10; ed. Didot, t. II, p. 471; Bekk., 982^{b}, 22 sqq. — Apud. D. Thomam, l. c., arg. 2; ed. Leon., t. X, p. 71: *Quod homo debet se trahere ad...*

(56) v. 5. — Sic citatur a D. Thoma, l. c., arg. 3. Sed apud Hetzenauer, p. 1125: *Non quod sufficientes simus cogitare...*

tare. Respondet ad primam (57), aliquid esse supra potentiam activam, quod non sit supra passivam: unde non est vitiosum, si quis tendat ad assequendum profectum in virtutem perfectam, quod Apostolus faciebat per continuum profectum ad anteriora: esset tamen vitiosum, dum quis est in statu imperfectae virtutis, attentans statum assequi eorum quae sunt virtutis perfectae. Ad secundam (58), esse quidem in homine potentiam etiam naturalem, scilicet intellectus, per quem potest coniungi Deo; unde non esset praesumptio intendere ei uniri per intellectum et voluntatem secundum id quod potest. Ad tertiam (59), quod licet bonum non possimus cogitare ex nobis, bene tamen ex auxilio divino, quod nemini negatur: nam secundum Philosophum, III *Ethic.* (60): *Quae per alios possumus, aliqualiter per nos possumus.* Aliud autem esset, si intenderemus ea quae non ex auxilio generali, sed ex specialissimo ille solus consequitur, quem Deus vult ad superiora elevare. Vide resolut. 54.

DOCUMENTUM XLII.

Secundum proportionem uniuscuiusque mentium revelantur divina (61).

D. Thomas in praesenti (62) hanc ponit pro prima ratione Dionysii respectu praecedentis sub hoc argumento: *Divina revelantur a Deo secundum proportionem eorum, quibus revelantur; sed cognoscere infinitum est supra proportionem intellectus finiti: non ergo hoc ipsum quod Deus est, ex divina revelatione a quocumque cognoscitur.* Et infra addit (63): *Non quidem, ut nullo modo cognoscatur, sed ut non comprehendatur;... nam a Beatis quidem mente attingitur..., sed non comprehenditur.* Haec ille. Qualiter autem a viatoribus et extra visionem beatificam, saepe diximus non cognosci quid sit, sed an sit. Quod etiam attingetur documento sequenti. Vide resolut. 41 et 53.

DOCUMENTUM XLIII.

Sicut incomprehensibilia et incontemplabilia sunt a sensibilibus intelligibilia... secundum eandem veritatis rationem superponitur substantiis, quae est supersubstantialis, et mentibus, quae est supra mentem veritas, etc. (64).

Expositio D. Thomae (65): *Superior gradus comprehendi non potest per inferiora, sicut intelligibilia per materialia, simplicia per composita, aut incorporea per corporea: sed Deus est super omnem ordinem existentium: ergo per nihil existentium comprehendi potest... Sic* (66) *Deus, qui est ipsa unitas quasi existens unus per suam essentiam, « quae est supersubstantialis, superponitur substantiis, et quae est supra* (67) *mentem, superponitur mentibus », id est, intellectualibus spiritibus... Et* (68)... *non dicit quod intelligibilia sint incomprehensibilia sensibus, sed sensibilibus, quia per sensibilia intelligibilia comprehendi non possunt... Et... non solum dixit, quod sint incomprehensibilia sensibilibus, sed etiam incontemplabilia, quia* (69) *quae sunt superioris*

(57) *Ib.*, ad 1.
(58) *Ib.*, ad 2.
(59) *Ib.*, ad 3.
(60) cap. 3; ed. Didot, t. II, p. 28; Bekk., cap. 5, 1112b, 27-28. — Sic citatur a D. THOMA, l. c.
(61) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 375b.
(62) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 378b.
(63) *Ib.*: ... *sed non ut comprehendatur... non autem comprehenditur.*
(64) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, pp. 375b - 376a; *Sicut enim incomprensibilia ... super mentem unitas.*
(65) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 379a: *Superior gradus entium comprehendi non potest per inferiorem ,sicut intelligibilia comprehendi non possunt perfecte per sensibilia, nec simplicia per composita, nec incorporea per corporalia; sed...*
(66) *Ib.*: *Id est Deus,...*
(67) *Ib.* « *super* » pro « *supra* ».
(68) l. c., p. 379b.
(69) *Ib.*: *quia per ea quae sunt inferioris ordinis, non solum comprehendi non possunt ea quae superioris, sed neque contemplari.*

ordinis nec comprehendi, nec contemplari possunt per ea, quae sunt inferioris. Tunc enim (70) *per aliud contemplamur, cum per unum possumus essentiam illius videre, ut sciamus de illo* (71) *quid est: comprehenditur autem, cum* (72) *ita perfecte cognoscitur, sicut cognoscibile* (73) *est... Unde* (74) *nulla creatura potest comprehendere Deum. Potest tamen intellectus creatus eius essentiam contemplari aliquo modo attingendo, non tamen per aliqua obiecta, vel species, vel alias* (75) *similitudines creatas, quia nullum horum potest manuducere in divinam essentiam, multo minus quam corpus in incorpoream essentiam... Est igitur* (76) *Deus et incomprehensibilis omni intellectui, et incontemplabilis nobis in sua essentia, quamdiu* (77) *nostra cognitio alligata* (78) *est rebus creatis, utpote nobis connaturalibus; et hoc est in statu viae.* Haec ille. Ubi, ut patet, solum excludit a viatoribus contemplationem perfectam patriae, non tamen imperfectam, quae habetur vel per affirmationem, vel per negationem.

Si obiicias primo: Beati intelligunt Deum per potentiam intellectivam, quae est aliquid creatum et similitudo quaedam Dei tanquam participatio eius: ergo Deus videtur per similitudinem creatam. — Respondetur ex D. Thoma, I part., quaest. 12, art. 2: per similitudinem ex parte potentiae visivae, concedo; ex parte rei visae, nego. Hoc enim est, quod negat Dionysius: quod scilicet per nullam similitudinem creatam tanquam medium seu obiectum uniatur intellectus cum Deo.

Si obiicias secundo ex D. Dionysio cap. 1 *De Caelesti Hierarchia*: Non potest humana mens ad contemplationem caelestium hierarchiarum excitari, nisi materiali manuductione utatur: ergo potest res superioris ordinis per inferiora cognosci. — Respondet D. Thomas I[a] part., quaest. 88, art. 2, ad 1 (79), hic intelligendum esse Dionysium de cognitione imperfecta; quod non opponitur superius dictis de cognitione perfecta, de qua loquitur hic. Vide resolut. 41.

DOCUMENTUM XLIV.

Non tamen incommunicabile est universaliter bonum ulli existentium, sed in se ipso singulariter supersubstantiale, collocans radium uniuscuiusque existentium proportionabilibus illuminationibus, benigne superapparet, et ad possibilem eius contemplationem, et communionem et assimilationem extendit sanctas mentes (80).

Expositio D. Thomae (81): *Manifestat quomodo occulte Deitatis cognitio aliis communicatur. Esset enim contra rationem bonitatis divinae, si cognitionem suam sic sibi retineret, quod nulli alteri penitus communicaret, cum de ratione boni sit, quod se aliis communicet... Nec tamen ita communicatur eius cognitio aliis, sicut ipse se ipsum cognoscit: « sed » ipse « collocans », id est, firmiter conservans « singulariter in seipso supersubstantialem radium », id est, supersubstantialem veritatis suae cognitionem soli sibi reservans: « superapparet », q. d.* (82) *sursum apparet*

(70) *Ib.* additur «*unum*». - Ed. Parm. omittit «*unum*».
(71) *Ib.* « *eo* » pro « *illo* ».
(72) *Ib.* « *cujus essentia* » pro « *cum* ».
(73) *Ib.* « *cognoscibilis* » pro « *cognoscibile* ».
(74) *Ib.*: *Unde nulla creatura potest pertingere ad perfectum modum cognitionis ipsius, quem nominavit supersubstantialem scientiam, et hoc esset eum comprehendere. Potest...*
(75) *Ib.* « *quascumque* » pro « *alias* ».
(76) l. c., p. 380[a]: *Deus et incomprehensibilis est omni.*
(77) *Ib.* additur « *nobis* ». — Ed Parm. omittit « *nobis* ».
(78) *Ib.* « *colligata* » pro « *alligata* ». — Ed. Parm. « *assignata* ».
(79) In ed. 1684, p. 561[b], erronee legitur: « *quaest. 8* ».
(80) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 376[b]: *... singulariter supersubstantialem collocans...*
(81) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 381[a].
(82) l. c., p. 381[b]: *id est, de sursum...*

« benigne » quasi non ex necessitate, sed ex gratia « proportionabilibus illuminationibus », id est, secundum proportionabiles illuminationes « uniuscuiusque existentium »; q. d. (83): *suae bonitatis ratio hoc habet, ut reservato sibi quodam cognitionis modo, qui sibi est singularis, communicet inferioribus ex sua gratia aliquem modum cognitionis secundum suas illuminationes, quae sunt secundum proportionem uniuscuiusque. Et non solum superapparet et illuminat, sed etiam hoc ipsum, quod inferiores mentes illuminatae, utentes dato lumine ad ipsum cognoscendum accedunt, ab ipso est. Et hoc est, quod subdit, quod « extendit sanctas mentes ad contemplationem ipsius possibilem » eis... Et quia qui contemplantur ipsum, quodammodo unum cum ipso efficiuntur, secundum quod intellectus in actu est quodammodo intellectum esse* (84) *in actu; et per consequens ei assimilantur, utpote ab ipso informati, subdit « et communionem et assimilationem ».*

Nota per contemplationem uniri mentem Deo et proportionabiliter illuminari. Vide resolut. 53.

DOCUMENTUM XLV.

Quae ipsi, sicut fas est, et decet Sanctos, se immittunt. Et neque ad superius, quam convenienter data Dei apparitione superbe praesumuntur, neque ad inferius ex subiectione ad peius prolabuntur: sed firme, et indeclinabiliter ad radium ipsius supersplendentem extenduntur, et commensurato amore convenientium illuminationum reverentia sancta, et caste, et sancte altius elevantur (85).

Expositio D. Thomae (86): *Consequenter ostendit conditiones sanctarum mentium, quae in Deum extenduntur. Quarum prima est, quod secundum quod est eis licitum ex concessione divina, et secundum quod decet eas ex conditione propria, se ad ipsum ingerunt. Unde subdit « quae », scilicet mentes « ipsi », id est, Deo se « immittunt, sicut fas est, et* (87) *decet Sanctos; ita scilicet, quod « nec* (88) *ad superius » aliquid « ex superbia praesumunt », scilicet, super id, quod* (89) *eis datum « convenienter » secundum Dei apparitionem sive revelationem, « neque » iterum « prolabuntur ad inferius »: id est, non deiiciunt se infra id, quod eis datum est, « ex subiectione ad peius », id est, ex quadam pusillanimitate, qua, relictis melioribus, peioribus inhaereant. Secunda conditio est..., quod « firme et indeclinabiliter extenduntur ad radium ipsius supersplendentem », id est, ad veritatem eius* (90) *desuper manifestatam, ut firmitas referatur ad certitudinem, et indeclinabilitas ad immobilitatem. Tertia conditio est, quod affectum amoris divinis manifestatis exhibeant, et hoc est, quod subdit « et commensurato amore convenientium illuminationum », ita scilicet, quod affectus eorum circa ea insistat, quae secundum eorum mensuram eis sunt data: per quae « elevantur » in divina, aliis spiritualibus, scilicet contemplationibus, aut intellectualibus, « cum reverentia sancta, et caste, et sancte ». Reverenter quidem, in quantum se abstinent ab aliis, quae supra eos sunt; caste autem, in quantum inferioribus non se detinent; sancte vero, in quantum his, quae eis data sunt, secundum Dei or-*

---

(83) *Ib.*: *quasi dicat*: *Suae...*

(84) *Ib.* « *esse* » deest.

(85) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 376b: *Quae ipsi, sicut est fas, et ut decet... praesumunt, neque...*

(86) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 381b: *Consequenter autem ostendit...*

(87) *Ib.* additur « *ut* ».

(88) *Ib.* « *neque* » pro « *nec* ».

(89) l. c., p. 382a, additur « *est* ».

(90) *Ib.* « *eis* » pro « *eius* ».

dinem firmiter inhaereant (91). Haec ille.

Hoc vocabulo « *caste* » utitur aliquoties sanctus Doctor, ut indicet puritatem a figuris et obiectis sensibilibus; quia, ut explicat D. Thomas, sicut castitas moralis purificat animum ab actibus sensualitatis, ita dicuntur oculi intellectus casti, quando liberi sunt a multiplicitate apprehensionum sensibilium ad unitatem contemplationis.

Unde inferunt auctores mystici: actum contemplationis universalem quo magis continuatum et minus interruptum ab actibus particularibus, eo magis perfectum esse, et efficacem, dispositumque ad recipiendas illuminationes divinas. Quod Seraphica Mater, cap. 30 *Vitae* (92), comparat motui navis quae placido vento sine labore magnum conficit iter; cum vero actus interrumpitur, comparat illi qui pedibus suis multum laborat cum minori progressu. Et in *Via perfectionis*, cap. 28 (93), comparat illi qui ut calefiat, separatur ab igne; conformiter ad id quod docet D. Thomas, I^{a} II^{ae}, quaest. 32, art. 2 (94), actionem continuatam alicuius agentis augere effectum: sicut quando aliquis diutius appropinquat igni, magis calefit et desiccatur, quam ille qui interrupte accedit et recedit. Quamvis in hac alternatione delectetur animus ob imperfectionem naturae mobilis.

Ex illis tribus conditionibus, quas explicat D. Thomas, inferunt etiam mystici primo: ut anima supernaturaliter elevata non plus ascendat quam influentia divina elevaverit eam; ut enim ait Seraphica Mater in *Appendice ad mansiones* (95): non omnes illas mansiones potest quis ingredi, nisi Deus introducat. Secundo: ne remisse se cadere permittat ab actu contemplationis universali et simplici ad repraesentationes sensibiles et imaginarias. Tertio: ne voluntas sit debilis et laxa, sed fervens et affectuosa. De quibus videatur quod docet Seraphica Mater cap. 17 *Vitae* suae (96), P. Ioseph a Iesu Maria in *Ascensu*, lib. I, cap. 23 et 32 (97) et *Concordantia*, lib. II, cap. 19 (98), ubi alii afferuntur auctores. Vide resolut. 54, 62, 69 et 71.

DOCUMENTUM XLVI
(Ex lectione II).

Quod omnium est causa, et principium est, et substantia, et vita, et decidentium ab ipsa, revocatioque et resurrectio. Eorum autem quae ad Deiformis corruptivum prolapsa sunt, revocatio et reformatio. Eorum autem, quae secundum quamdam commotionem immundam moventur, collocatio sancta, et stantium firmatio, et ad ipsam sursum actorum suscitativa manuductio. Et eorum, quae illuminantur, illuminatio; et eorum, quae perficiuntur, perfectionis principatus; eorum, quae deificantur, thearchia. Et eorum, quae simplificantur, simplicitas. Et eorum, quae uniuntur, unitas (99).

Expositio D. Thomae (100): *Primo ponit quaedam quae pertinent ad universalem rationem principii, cum dicit: « quod est omnium causa et principium », ut causa referatur ad finem, quae est prima causarum, et principium ad causam agentem... Conse-*

(91) l. c., p. 382^{b}, « *inhaerent* » pro « *inhaereant* ».

(92) S. Theresia, *Vida*, cap. 30, §. *Paréceme ahora;* ed. crít., t. I, p. 246.

(93) §. *Entiéndase;* ed. crít., t. III, p. 132.

(94) corp.

(95) *Moradas* (fine), §. *Verdad es;* ed. crít., t. IV, p. 209.

(96) *Vida*, cap. 17; ed. crít., t. I, pp. 123-127

(97) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 23 y 32; ed. 1694, pp. 57^{b}-60^{a} y 100^{a}-101^{b}.

(98) *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 19; Barcelona, 1667, pp. 181-190. — Circa authenticitatem huius operis vide quae supra diximus, pp. 9-10, nota (10).

(99) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 382^{a}: *... ab ipsa, revocatio et... principatus; et eorum...*

(100) l. c., cap. 1, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 384^{a}

quenter autem ponit quae pertinent ad rationem principii respectu determinatorum effectuum. Et primo quantum ad institutionem rerum, cum dicitur: « et substantia et vita », quia scilicet per hoc principium existunt omnia existentia, et vivunt omnia viventia. Deinde quantum ad meliorationem rerum in spiritualibus: quae quidem secundum tria attenditur, scilicet (101), *secundum purgationem, illuminationem et perfectionem. Haec autem tria ab Angelis* (102) *complentur secundum intellectum tantum, qui quidem purgant nescientiam removendo, illuminant intellectum auxilium praebendo ad cognoscendum veritatem, perficiunt autem dum ad cognitionem veritatis perducunt: perfectio enim rei consistit in hoc, quod pertingat ad finem... Sed ad Deum pertinet non solum intellectum, sed etiam voluntatem mutare in melius: et quantum ad hoc loquitur hic de purgatione, illuminatione et perfectione.*

Ponit autem quinque ad purgationem pertinentia. Cum enim peccatum, quo inquinatur voluntas, contingat ex hoc quod homo propter bonum temporale ab incommutabili bono avertitur: primum in purgatione voluntatis est, quod voluntas ad bonum incommutabile reducatur: et ideo (103) *dicit, quod divinitas est « revocatio et resurrectio decidentium ab ipsa »;... quia non solum attrahit nos, quod est revocare, sed etiam dat vires, ut revocati surgamus. Secundum autem est, quod ex hoc, quod placet humanae voluntati* (104) *Deus, derelinquat* (105) *commutabile bonum, propter quod a Deo recessit. Et ideo* (106) *dicit, quod Deus est « revocatio et reformatio eorum, quae sunt prolapsa ad corruptionem* (107) *Deiformis », id est, divinae similitudinis in nobis... Contingit autem, dum alicui incipit Deus placere, et* (108) *peccata displicere, quod a principio quamdam titubationem mentis patiatur, nunc huc, nunc illuc tractus; unde indiget, ut in uno collocetur; ideo* (109) *tertio dicit, quod Deus est « colloçatio sancta eorum, quae moventur secundum quamdam immediatam* (110) *commotionem ». Ulterius indiget* (111), *postquam est collocatus in uno, ut in illo firmetur, ne per tentationes facile ab illo statu removeantur; ed ideo* (112) *dicit quarto, quod est « formatio* (113) *stantium ». Ulterius* (114) *necesse est, quod* (115) *ad meliora proficiat; et ideo* (116) *quinto dicit, quod est « suscitativa manuductio sursum actorum ad ipsam* (117) *», id est, eorum qui* (118) *sursum aguntur, et* (119) *proficiunt « ad ipsam »* (120) *Deitatem. Dicitur autem suscitativa manuductio, quia non solum porrigit manum auxilii volentibus proficere, sed etiam ad proficiendum excitat.*

Post praedicta (121) *quinque, quae ad purgationem pertinent, subdit de illuminatione, dicens* (122): *« Et eorum quae illuminantur illuminatio ». Quae quidem illuminatio intelligitur quantum ad hoc, quod lumen suae gratiae tradit, sive ad perfectionem intellectus, sive ad perfectionem affectus.*

---

(101) *Ib.* « *id est* » pro « *scilicet* ».
(102) *Ib.* additur « *quidem* ».
(103) l. c., p. 384[b]: *Et quantum ad hoc dicit...*
(104) *Ib.* « *voluntati humanae* ».
(105) *Ib.* additur « *illud* ».
(106) *Ib.*: *Et quantum ad hoc dicit...*
(107) *Ib.*: « *ad aliquod corruptivum* ». — Ed. Parm. « *ad corruptionem* ».
(108) *Ib.* « *et* » deest.
(109) *Ib.*: *et quantum ad hoc tertio...*
(110) *Ib.* « *immundam* » pro « *immediatam* ».
(111) *Ib.*: *Ulterius autem indiget homo, postquam...*
(112) *Ib.*: *et quantum ad hoc dicit...*
(113) *Ib.* « *firmatio* » pro « *formatio* ».
(114) *Ib.* additur « *autem* ».
(115) *Ib.* additur « *homo* ».
(116) *Ib.*: *et quantum ad hoc quinto...*
(117) *Ib.* « *ad ipsam* » deest.
(118) *Ib.* « *quae* ».
(119) *Ib.* « *id est* » pro « *et* ».
(120) *Ib.* additur « *scilicet* ».
(121) *Ib.*: *Post haec igitur quinque,...*
(122) *Ib.* « *cum dicit* » pro « *dicens* ».

Deinde (123) *subdit de perfectione dupliciter: primo* (124), *secundum quod aliquid perfici dicitur per hoc, quod attingit finem proximum, iuxta iustitiam, vel qualemcumque virtutem; ideo* (125) *dicit*: « *Et eorum quae perficiuntur, perfectionis principatus* », *respectu primae* (126) *perfectionis, quia quaecumque est propria rei perfectio, principaliter praeexistit in Deo, sicut regimen civitatis principaliter praeexistit in principe. Quantum vero ad consequutionem ultimi finis dicit*: « *Et eorum quae deificantur Thearchia* », *id est, principalis Deitas. Dicitur enim creaturam rationalem* (127) *Deificari per hoc, quod suo modo Deo unitur, ut sic ipsa Deitas principaliter* (128) *Deo conveniat, secundario vero et participative his, qui deificantur.*

Ulterius ponit ea quae pertinent ad meliorationem communiter omnium. Duplex autem (129) *processus invenitur in rebus, scilicet resolutionis et compositionis; et secundum utrumque tendunt res in divinam similitudinem. Nam secundum viam resolutionis tendunt a compositione ad simplicitatem, quae summe est in Deo; et ideo* (130) *dicit quod est* « *eorum quae simplificantur, simplicitas* ». *Secundum autem viam compositionis tendunt res a multitudine in unitatem, dum ex multis fit unum: unitas autem primo est in Deo: et ideo* (131) *dicit*: « *Et eorum quae uniuntur, unitas* ». *Non solum autem communicatur a Deo* (132) *rebus, quod in se subsistant, et meliorentur, sed etiam, quod aliis sint principium seu causa existentiae et meliorationis, et* (133) *ideo dicit in sequentibus quod est* « *supersubstantialiter, super principale principium universi principii* », *etc.* Hucusque D. Thomas.

Ex hac propositione S. Dionysii et expositione D. Thomae (licet principaliter loquatur de purgatione a culpa, de illuminatione per gratiam et de perfectione per amorem) orta est illa celebris divisio viae perfectionis in tres partes: scilicet, viam purgativam, illuminativam et unitivam, de qua egimus in *Catena* (134) et passim occurrit in auctoribus mysticis. Coinciditque cum illa, in qua dividitur status iustorum in incipientes, proficientes et perfectos. De quibus etiam ad caput 3 *Caelestis Hierarchiae*. Et vide resolut. 13 et 22.

DOCUMENTUM XLVII.

Omnem sanctum Theologorum hymnum invenies apud bonos thearchiae processus manifestative et laudative Dei nominationes dividentem (135).

Expositio D. Thomae (136): « *Omnem sanctum hymnum* », *id est, laudem Dei* « *Theologorum invenies* », *si diligenter in Scripturis scruteris,* « *dividentem* », *id est, distinguentem nominationes Dei* « *ad bonos processus Thearchiae* », *id est, secundum processus perfectionum, quae ex divina bonitate in creaturis* (137) *proveniunt. Quod enim Deus dicatur bonus, vivus* (138), *sapiens et multis aliis nominibus nominetur, non est ex aliqua multitudine, seu diversitate in eius natura existente, quia omnia haec in eo unum sunt, sed ex diversis perfectionibus creaturarum*

(123) *Ib.*: *Et ulterius subdit de perfectione, quam quidem tangit dupliciter.*

(124) *Ib.* additur « *quidem* ».

(125) l. c., p. 385a: *et hoc, cum dicit*:...

(126) *Ib.* « *propriae* » pro « *primae* ».

(127) *Ib.* « *creatura rationalis* ».

(128) *Ib.* additur « *ipsi* ».

(129) *Ib.*: *Est autem considerandum quod duplex processus*...

(130) *Ib.*: *et quantum ad hoc dicit*...

(131) *Ib.*: *et quantum ad hoc dicit*:...

(132) *Ib.*: *autem a Deo communicatur rebus*...

(133) *Ib.*: *et quantum ad hoc subdit quod est* « *supersubstantialitas super*...

(134) *Cadena mystica Carmelitana*, colac. I, prop. 5 sqq.; Madrid, 1678, pp. 30a sqq.

(135) Apud. D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 382a: ... *invenies ad bonos*...

(136) l. c.; p. 385b.

(137) *Ib.* « *creaturas* » pro « *creaturis* »

(138) *Ib.* « *vivens* » pro « *vivus* ». « *vivus* » in ed. Parm.

accipimus diversa nomina, quae attribuimus Deo, sicut primo principio omnium horum processuum. Et hoc « manifestative et laudative »; manifestative quidem, in quantum Deus nobis per suos effectus innotescit, et in quantum per huiusmodi nomina Deo attributa nobis manifestantur huiusmodi perfectiones esse in rebus a Deo. Laudative vero, in quantum hoc totum ad Dei pertinet bonitatem, qua rebus perfectiones communicantur. Haec ille.

Si obiicias primo (139): Ex hoc sequitur quod nulla nomina dicantur de Deo substantialiter, etiam illa quae absolute et affirmative de eo dicuntur; quod est contra doctrinam D. Thomae, Ia part., quaest. 13, art. 2 (140). Probo sequelam: quia ex Divo Dionysio in praesenti nominationes Dei dividuntur ad processus manifestative et laudative; sed quod significat processum alicuius rei, non significat eius essentiam, sed effectum eius; ergo, etc. — Respondetur ex eodem D. Thoma, loco cit. (141), negando sequelam; ad probationem: aliud est dicere quod nomina Dei imponantur a processibus seu effectibus; aliud quod imponantur ad significandos processus et non Deum; primum enim est verum, secundum est falsum. Licet enim nomina imponantur a processibus divinitatis, et ita intellectus noster secundum unumquemque processum Deum nominet et cognoscat, licet imperfecte; attamen nomina ista imponuntur ad significandum ipsum Deum; v. g., cum dicitur « Deus est vivens », non est sensus quod a Deo procedat vita, sed quod in ipso tanquam in principio rerum praecedat vita eminentiori modo. Sicut nomen « lapis » dicitur a laedendo, et tamen non imponitur ad significandam laesionem, sed petram.

Si obiicias secundo (142): si nomina Dei sumantur laudative, vel esset propter Deum, vel propter nos, vel propter alios; neutrum videtur; ergo, etc. Non propter Deum, quia cum Deus sit inspector cordium, non est necesse ut verbis ei manifestemus conceptus nostros; non propter nos, quia etiam conceptus nostros cognoscimus; non propter alios, quia non possumus illos per verba laudare et significare perfectiones Dei, Deus *enim est maior laude*; ut dicitur *Eccli.*, XLIII (143), et secundum Philosophum I *Ethic.* (144): *Optimorum non est laus, sed aliquid maius et melius.* — Respondetur ex D. Thoma, IIa IIae, quaest. 91, art. 1 (145) negando minorem, debet enim Deus a nobis ore laudari, non ut manifestemus ei nostros conceptus, sicut dum homines laudamus, ut eis et aliis innotescat quam bonam opinionem de laudato habemus. Sed tum ad hoc, ut nosmetipsos excitemus in Dei amorem ex laude ipsius, et retrahamur ab iis, quae sunt contra Deum. Tum etiam, ut alios audientes ad eius reverentiam inducamus. Et ad probationem dicendum (146): quod si loquamur de Deo quantum ad eius essentiam, cum illa sit incomprehensibilis et ineffabilis, est maior omni laude, et ipsi silet laus in Sion, quamvis debeatur ei secundum suam essentiam reverentia et honor latriae. Si autem loquamur de Deo quantum ad eius effectus qui in nostram utilitatem ordinantur, debemus laudes Deo et semper laus eius in ore nostro debeat esse; unde *Isaias*, LXIII (147): *Laudem Deo super*

---

(139) Cf. Ia, quaest. 13, art. 2, arg. 2.

(140) In ed. 1684, p. 563a, erronee legitur: « *quaest. 3* ».

(141) ad 2.

(142) Cf. IIa IIae, quaest. 91, art. 1, arg. 1.

(143) v. 33; Hetzenauer, p. 661: *Maior enim est omni laude.*

(144) cap. 12, num. 4; Didot, t. II, p. 12; Bekk., 1101b, 21-23. — Sic apud D. THOMAM, IIa IIae, quaest. 91, art. 1; ed. Leon., t. IX, p. 294a: ... *sed maius aliquid et melius.*

(145) corp.

(146) Cf. l. c., ad 1

(147) v. 7; Hetzenauer, p. 721: *Laudem Domini super omnibus, quae reddidit nobis Dominus.*

omnia, quae reddidit nobis. Et hoc modo loquitur D. Dionysius, loquitur enim de nominibus Dei iuxta processus seu effectus ipsius.

Nota Deum laudari et cognosci per suos effectus. Vide resolut. 35.

DOCUMENTUM XLVIII.

Ex qua ut vivifica virtute unimur, et divisibilibus nostris alternitatibus supermundane conclusis ad Deiformem monadem congregamur, et Dei imitativam unionem: sicut Trinitatem autem propter trium personarum supersubstantialis foecunditatis manifestationem. Ex qua omnis paternitas (148).

Expositio D. Thomae (149): « *Ex qua* », *scilicet unitate divina,* « *ut vivifica* (150) *virtute* » *mirifica duo nobis proveniunt. Primum* (151) *est, quod nos* « *unimur* », *i. e., quamdam unitatem habemus, secundum quam dicitur unus homo, aut unum animal. Secundum est, quod cum unitas nostra non sit tam* (152) *perfecta, quod omnem diversitatem excludat; ipsa etiam, quae sunt diversa in nobis, ad quamdam unitionem reducuntur, secundum quam* (153) *etiam ea, quae sunt simpliciter diversa in creaturis, unum quodam ordine sunt* (154), *ut sic saltem Dei unitatem imitentur. Et* (155) *ideo dicit, quod congregamur ad quamdam* « *monadem* », *i. e., unitatem* « *Deiformem* », *i. e., Deo similem, quantum ad ea, quae iam facta sunt unum: et ad quamdam* « *unitionem Dei imitationem* (156) », *quantum ad ea, quae fiunt unum; et hoc* « *conclusis alternis* (157) », *i. e., diversitatibus* « *nostris divisibilibus* », (158) *quae ex aliqua divisione contingunt,* « *supermundane* », *i, e., supermundana virtute. Vel hoc, quod dicit* « *unimur* », *potest referri ad hoc, quod unumquodque in se est unum; quod autem sequitur:* « *et divisibilibus nostris, etc.* (159) » *potest referri ad hoc, quod multa, licet sint diversa* (160), *tamen ad aliquam unitatem reducuntur, vel perfecte, vel imperfecte, monas enim, i. e., unitas perfectiora* (161) *unitatis designat; unitio vero viam ad unitatem, in quo imperfectio unitatis ostenditur. Deinde ostendit idem in nomine Trinitatis, et dicit, quod invenimus Deum laudari* « *sicut Trinitatem ad manifestandam* (162) *supersubstantialem foecunditatem trium personarum* », *quae non distinguuntur, nisi secundum originem.* « *Ex qua* » (163) *foecunditate derivatur* « *omnis paternitas* » *seu foecunditas, quae nomine paternitatis intelligitur, ut ad Ephes.* III. Haec D. Thomas.

Idem D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 101, art. 3 (164) ex eo quod in Deo sit paternitas per excellentiam, infert cultum Dei per excellentiam dici pietatem; et quod religio sit diversa a pietate erga parentes in humanis. Et quaest. 106, art. 3 (165), ex eo quod Deus tanquam omnium causa omnia in se convertat, infert quod omnis effectus naturaliter ad suam causam convertatur; et cum benefactor ut sic sit causa beneficiati, hic debeat con-

---

(148) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 382^{a}:..., *ut unifica virtute, ... imitativam unitionem. Sicut...*

(149) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 386^{a}.

(150) *Ib.* « *unifica* » pro « *vivifica* ».

(151) *Ib.*: *Quorum primum...*

(152) *Ib.* « *ita* » pro « *tam* ».

(153) *Ib.* « *quod* » pro « *quam* ».

(154) *Ib.*: *ordine sunt unum.*

(155) *Ib.*: *Et hoc est quod dicit quod nos congregamur...*

(156) *Ib.* « *imitativam* » pro « *imitationem* ».

(157) *Ib.* « *alternitatibus* » pro « *alternis* ».

(158) *Ib.* additur: « *id est* ».

(159) *Ib.* « *alternitatibus* » pro « *etc.* ».

(160) *Ib.* additur: « *et altera* ».

(161) *Ib.* « *perfectionem* » pro « *perfectiora* ».

(162) *Ib.* « *manifestandum* » pro « *manifestandam* »

(163) *Ib.*: « *Ex qua* » *quidem fecunditate divina derivatur omnis fecunditas, quae nomine paternitatis intelligitur, ut Apostolus dicit ad Ephes., III.*

(164) ad 2.

(165) corp.

verti ad benefactorem secundum modum utriusque per gratiarum actionem.

Nota Deum ad unitatem nos advocare. Vide resolut. 73 et 77.

DOCUMENTUM XLIX

Haec ut nos docti sumus quidem iuxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum, et hierarchiarum traditionem, benignitate sensibilibus intelligibilia existentibus supersubstantialia circumvelante... Et supernaturalem simplicitatem varietate divisibilium signorum et multiplicante, et componente (166).

Expositio D. Thomae (167): « *Haec* », *scilicet, quae dicta sunt de divinis nominibus,* « *nos docti sumus nunc* » *in praesenti vita* « *iuxta proportionem nostram per sancta velamina eloquiorum* », *i. e., sacrae Scripturae, et* « *hierarcharum traditionum* ». *i. e., aliorum dogmatum, quae Apostoli, et eorum discipuli tradiderunt... (dicuntur* (168) *enim Apostoli et alii Ecclesiae praelati hierarchae, quasi sacri principes)... Qualia vero sint* (169) *ista velamina, exponit dicens* (170): *quod* « *ex bonitate* (171) *Dei intelligibilia circumvelantur per sensibilia* », *sicut cum Scripturae de Deo et Angelis sub similitudine* (172) *sensibilium loquuntur* (173), *ut Isai., VI* (174): « *Vidi Dominum sedentem, etc...* »; *et similiter velantur* « *supersubstantialia* (175) *existentibus* », *scilicet, divina, cum Deo attribuuntur non solum sensibilia, sed* (176) *intelligibiles perfectiones creaturarum ut* (177) *vita, intellectus, etc... Similiter ex eadem bonitate* (178)... *res simpliciter supernaturalis, et infigurabilis multipliciter componitur* « *per varietatem divisibilium signorum* ». Haec ille.

Si quaeras, quomodo dicatur haec fieri ex benignitate et bonitate? — Respondet D. Thomas (179): *Quia quando in Scripturis exponuntur nobis intelligibilia per sensibilia, et supernaturalia per existentia, et incorporalia* (180) *et simplicia per composita et diversa, non est propter invidiam ut subtrahatur nobis cognitio divinorum, sed propter nostram utilitatem: quia Scriptura nobis condescendens tradidit nobis, quae supra nos sunt secundum modum nostrum.* Quomodo autem hoc pertineat ad theologiam affirmantem vel ad cognitionem Dei per positionem, dictum est supra. Omnia autem ista signa et velamina tolluntur in mystica.

Nota quod Deus proponatur nobis sub sacris velaminibus oriri ex bonitate sua et imperfectione nostra. Vide resolut. 37.

DOCUMENTUM L.

Tunc autem quando incorruptibiles et immortales erimus, etc... intelligibili luminis datione ipsius, impassibili et immateriali mente participantes, et super mentem unitione ignotis et beatis immissionibus superclaro-

(166) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2, ed. Vivès, t. XXIX, p. 382b: *Haec et nos docti sumus nunc quidem... traditionum,... intelligibilia et existentibus... et supernaturalem et infigurabilem simplicitatem...*

(167) l. c.; ed. Vivès, t. XXIX, p. 387b: « *Haec* » *quae dicta sunt in expositione divinorum nominum de Deo,* « *nos sumus edocti nunc* », *id est in praesenti vita,* « *juxta...* ».

(168) *Ib.*: *Unde apostoli et alii Ecclesiae praelati hierarchiae dicuntur, quasi...*

(169) *Ib.* « *sunt* » pro « *sint* ».

(170) *Ib.* « *subdens* » pro « *dicens* ».

(171) *Ib.* « *benignitate* » pro « *bonitate* ». — « *bonitate* » in ed. Parm

(172) *Ib.* additur « *quorumdam* »

(173) In ed. 1684, p. 564b erronee legitur: « *loquitur* ».

(174) v. 1.

(175) l. c.: « *supersubstantialia* », *scilicet divina,* « *existentibus* » *sicut cum Deo...*

(176) *Ib.* additur: « *etiam* ».

(177) *Ib.*: *ut cum attribuimus Deo vitam, intellectum et hujusmodi perfectiones...*

(178) l. c., p. 388a: « *benignitate* » pro « *bonitate* ».

(179) *Ib.*: *Quod enim Scripturis exprimuntur nobis intelligibilia...*

(180) *Ib.* additur: « *per corporalia* ». — Ed. Parm. omittit: « *per corporalia* ».

rum radiorum in diviniore imitatione supercoelestium mentium (181). Hoc loquitur sanctus Doctor de visione Dei in patria, quae proinde magis ad scholasticos quam ad mysticos pertinet.

Quaeres tamen primo, cur vocet mentem beatorum impassibilem et immaterialem, quasi mens nostra etiam nunc non sit immaterialis? Secundo, quare unitio illa mentis beatae cum Deo dicatur unitio supra mentem? Tertio, cur dicatur fieri hoc per ignotas et beatas immissiones, et per notas et claras. — Respondet D. Thomas (182) ad primum, mentem nostram nunc quidem passibilem esse per accidens ex unione ad corpus, et materialem fieri per affectionem ad res materiales; et ideo nunc non est idonea ad tanti luminis participationem. Ad secundum, dici unitionem supra mentem, quia mens nostra unietur Deo ut intelligibili, qui quidem est supra mentem. Ad tertium, immissiones seu illuminationes beatificas vocari occultas nobis pro nunc, sicut etiam nunc sunt nobis inexpertae.

Nota mentem nostram dici materialem ex affectione ad res materiales. Vide resolut. 26 et synopsim in fine.

DOCUMENTUM LI.

Nunc autem sicut nobis est possibile, propriis quidem ad divina signis utimur, et ex ipsis rursus ad simplicem et unitam intelligibilium miraculorum veritatem proportionaliter extendimur. Et post omnem secundum nos Deiformium unitionem sedantes nostras intellectuales operationes ad supersubstantialem radium, secundum quod fas est, nos immittimus (183).

Expositio D. Thomae (184): *Ostendit, quod post omnem cognitionem, quam in praesenti vita de Deo habemus, id quod est Deus, remanet nobis occultum... « Nunc », id est, in praesenti vita... « utimur, sicut nobis est possible, propriis signis ad divina » cognoscenda; quae quidem signa sunt tam perfectiones, quae procedunt a Deo in creaturas, quam et metaphorae, quae a creaturis per similitudinem transferuntur in Deum. Et* (185) *dicuntur signa propria cognitioni rerum divinarum respectu nostri, quia non est possibile nobis aliter innotescere res divinas...*

Non tamen sic utimur huiusmodi signis..., quod in eis mens nostra remaneat, nihil ultra ea (186) *Deum existimans; sed « ex istis » signis « rursum extendimur » secundum nostram proportionem « ad simplicem et unitam veritatem intelligibilium miraculorum »; id est, admirabilium contemplationum, quas de rebus divinis per ista* (187) *signa accipimus. Dicit autem « ad simplicem et unitam veritatem », ut simplicitas correspondeat compositioni signorum, unitas vero eorum multitudini et diversitati.*

Et ne quis (188) *credat, quod per signa praedicta veritatem et intelligentiam divinorum perfecte comprehendere possimus, addit* (189): *quod « immittimus nos ad supersubstantialem radium », id est, ad veritatem de Deo cognoscendam, non perfecte, sed « secundum quod fas est* (190) *nobis », scilicet, « sedantes », seu* (191) *quietantes « nostras intellectuales operationes », ne ultra ferantur, quam nobis sit datum; et hoc dico « post omnem secundum nos unitionem Deiformium », quasi dicat postquam secundum Deiformitatem uniti fueri-*

---

(181) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2: ed. Vivès, t. XXIX, p. 382b:... *intelligibili autem luminis...*

(182) l. c., p. 388b.

(183) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 1, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 382b.

(184) l. c., p. 388b.

(185) *Ib.*: *Et hujusmodi quidem signa dicuntur propria cognitioni rerum divinarum ex parte nostra, quia...*

(186) l. c., p. 389a: « *hujusmodi* » pro « *ea* ».

(187) *Ib.* « *hujusmodi* » pro « *ista* ».

(188) *Ib.* « *aliquis* » pro « *quis* ».

(189) *Ib.* « *subjungit* » pro « *addit* ».

(190) *Ib.*: « *quod est fas* ».

(191) *Ib.* « *id est* » pro « *seu* ».

mus per cognitionem rebus divinis, quantumcumque nobis est possibile, adhuc remanet aliquid de rebus divinis nobis occultum, a cuius inquisitione oportet nos sedare intellectum... Quia (192) *nulla virtus finita extendit se in infinitum.* Haec ex D. Thoma.

Ex praedictis verbis inferunt mystici celebriores assertiones spirituales. Prima, quod meditatio discursiva mediis imaginibus et figuris ab imaginatione formatis debet praesupponi tanquam primus gradus scalae spiritualis ad contemplationem. Secunda, quod ex discursu imaginario statim fiat transitus ad ponderationem quietam. Tertia, quod terminetur ad actum fidei universalem et simplicem. Quarta, quod debet cessare ab operatione activa, ut passive possit moveri a Deo, iuxta verba Dionysii « *sedantes nostras intellectuales operationes* », secundum translationem Ioannis Saraceni (193); vel « *feriatis spiritualibus actionibus nostris* », secundum lectionem Ambrosii Camaldulensis (194); vel « *cum mentis nostrae actiones cohibemus* », secundum Perionium (195). Vide resolut. 20 et 64.

DOCUMENTUM LII.
(Ex lectione III).

Universaliter est incomprehensibilis, et neque sensus eius, neque phantasia, neque opinio, neque nomen, neque sermo, neque tactus, neque scientia (196).

De hac propositione dictum est satis ad cap. 4 et 5 *Theologiae Mysticae*, nec indiget ulteriori explicatione.

DOCUMENTUM LIII.

Istis Deiformes ad Angelorum imitationem, sicut est possibile unitae mentes, (quoniam secundum omnis intellectualis operationis quietem talis fit deificatarum mentium ad supremum lumen unitio) laudant ipsum proprie, maxime per ablationem a cunctis existentibus (197).

Expositio D. Thomae (198): « *Istis* », scilicet, immissionibus divinis et susceptionibus « *unitae* », i. e., coniunctae mentes Deiformes, i. e., Deo conformatae ad imitationem angelorum, « *sicut est possibile* » *in hac vita*: « *laudant Deum maxime, proprie per ablationem* » *seu* (199) *remotionem* « *a cunctis existentibus* », *et hoc ideo, quia* « *unitio sanctarum mentium* » *ad Deum, qui est super omne lumen,* « *fit* (200) *talis* », *scilicet, per remotionem ab* (201) *existentibus,* « *secundum quietem omnis intellectualis operationis* », *i. e., in ultimo in quo quiescit omnis eorum intellectualis operatio. Hoc enim est ultimum, ad quod pertingere possumus circa cognitionem divinam in hac vita, quod Deus est supra omne id quod a nobis excogitari* (202) *potest; et ideo nominatio Dei, quae est per remotionem, est maxime propria. Etenim illi, qui sic laudant Deum per remotionem,* « *per illuminationem* » *Dei* « *vere et supernaturaliter* » *sunt* « *hoc edocti ex beatissima coniunctione ad Deum* ». Haec ille.

Hanc illuminationem et communicationem propriam angelorum et communicatam in hac vita aliquibus contemplativis valde perfectis dicit

---

(192) *Ib.*: *Quod nulla...*

(193) Qua utitur D. Thomas hic. Cf. hoc documentum.

(194) *Opera Dionysii. Veteris et nove* (sic) *translationis. De divinis nominibus cum commento Ambrosii*, cap. 1; Argentinae, 1502, t. II, fol. XLVIIv: *Feriati spiritalibus actionibus nostris.*

(195) *Opera S. Dionysii Areopagitae, De divinis nominibus*, cap. 1; Lovanii, 1566, fol. 94r.

(196) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 1, lect. 3; ed. Vivès, t. XXIX, p. 390a.

(197) *Ib.*

(198) l. c.; p. 392a. — Prima pars hic est contractio quaedam.

(199) *Ib.* « *ablationem seu* » deest.

(200) *Ib.* « *sit* » pro « *fit* ».

(201) *Ib.* « *a cunctis existentibus* ».

(202) l. c., p. 392b: « *cogitari* » pro « *excogitari* ».

auctor *Concordiae mysticae*, lib. III, cap. 24 (203), esse consolationes quasdam nimium felices et supernaturales, quas D. Augustinus, *In Genes.*, cap. 12 (204), vocat rores beatitudinis, et quibus (ut inquit D. Thomas, *De verit.*, quaest. 13, art. 3, ad 9) (205) Deus martyres ad agones confortabat. Et eodem lib. III, cap. 47 (206), dicit hanc illuminationem per species intelligibiles infusas sicut angelicis mentibus fieri etiam illis praesertim animabus, quae ad statum unionis habitualis pervenerunt; de quo statu loquitur Seraphica Mater, *Mans.* VII, cap. 1 (207) et noster Venerabilis Pater, *Cant.* XXVIII (208); et huius generis, inquit ille (209), fuit revelatio illa celebris mysterii sanctissimae Trinitatis, cuius ipsa Sancta Mater ibi meminit, et aliae similes. Mihi tamen videtur posse generaliter intelligi de contemplatione infusa theologiae mysticae, ad quam disponitur mens per ablationem omnium cognitorum, ut supra diximus. De quo videatur noster Ioseph a Iesu Maria, I part. *Ascensus*, lib. I, cap. 33 (210). Hinc resolutio 57, et 61, et 64, et 85.

CAPUT II.

DE COPULATA ET DISTINCTA THEOLOGIA, ET QUAE SIT DIVINA UNIO ET DISTINCTIO?

In hoc capite inquit sanctus Doctor nomen boni et aliorum attributorum, et etiam quae de Deo sunt emanationes, de tota Trinitate praedicari et proinde copulate; discreta vero nomina esse personalia et quae pertinent ad mysteria humanitatis. Item attributa vocari uniones in Deo, nomina desumpta ab emanationibus vocari distinctiones; divinas Personas sola relatione distingui; Deumque se totum esse participabilem et non participabilem. Res divinas a nobis ex solis participationibus cognosci. Quomodo in Deo sit omnis Paternitas et Filiatio, et quod effectus sint similes causis, non causae effectibus. Modum incarnationis omnibus esse ignotum. Affert verba Hierothei, quomodo Iesu divinitas sit omnia in omnibus et super omnia, et quomodo Christus naturam nostram participaverit. Denique quomodo Deus in omnibus rebus unus sit et dicatur multiplicari, cum multas res producit.

Huius capitis meminit D. Thomas I[a] part., quaest. 32, art. 1 (1): *Si aliquis est qui totaliter eloquiis resistit, longe erit a nostra philosophia, etc.* Et quaest. 67, art. 2 (2): *Coniunguntur diversi radii et separantur.* Et quaest. 93, art. 2 (3): *Habent causata causarum suarum coniungentes imagines.* Similiter in I *Sent.*, dist. 15,

(203) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 24; Barcelona, 1667, pp. 388-394. — At num. 7, pp. 393-394, D. Augustinum et D. Thomam citat.

(204) *De Genesi ad litteram libri duodecim*, lib. XII, cap. 26, num. 54; Migne, P. L., t. 34, col. 476: *Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur,...* — Citatur quoque a D. Thoma, loco mox citando.

(205) Ed Vivès, t. XV, p. 5.

(206) Ed. 1667, pp. 510-514. — S. Theresia citatur num. 1 et 3; S. Ioannes a Cruce, num. 6.

(207) S. Theresia, *Moradas* VII, cap. 1; ed. crít., t. IV, pp. 179-184.

(208) S. Ioannes a Cruce, *Canticum spirituale*, cant. XXVIII; Coloniae Agrippinae, 1639, pp. 412[a]-414[b]. — *Cántico espiritual* (II escritura), canc. XXII; ed. crít., t. II, pp. 277-281. — *El primer Cántico espiritual*, canc. XXVII; ed. crít., t. II, pp. 576-579.

(209) Ioseph a Iesu Maria, l. c., num. 5, p. 513.

(210) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 33; ed. 1694, pp. 101[b]-108[a].

(1) corp.

(2) Ed Leon., t. V, p. 164[a]: *Coniunguntur etiam diversi...*

(3) Ed. Leon., t. V, p. 402[a]: *... suarum contingentes imagines.*

quaest. 1, art. 2 (4), et dist. 21, quaest. 1, art. 1 (5); et dist. 28, quaest. 1, art. 1 (6); et *Disp. de pot.*, quaest. 10, art. 2 (7); et *de malo*, quaest. 16, art. 9 (8).

DOCUMENTUM LIV.
(Ex lect. IV).

Omnia divina et quaecumque nobis sunt manifestata solis participationibus cognoscuntur (9).

Expositio D. Thomae (10): *Hic assignat rationem..., quia nihil cognoscitur, nisi secundum quod est in cognoscente. Sunt autem quaedam cognoscibilia quae sunt infra intellectum nostrum, quae quidem habent simplicius esse in intellectu nostro, quam in se ipsis, sicut sunt omnes res corporales. Unde ista* (11) *dicuntur cognosci a nobis per abstractionem. Divina autem simplicia* (12) *et perfectiora sunt in se ipsis, quam in intellectu nostro, vel in quibuscunque aliis rebus nobis notis. Unde divinorum cognitio dicitur fieri, non per abstractionem, sed per participationem. Haec* (13) *autem participatio est duplex: una secundum quod divina in ipso intellectu participantur, prout* (14) *intellectus noster participat intellectualem virtutem divinam* (15). *Alia vero secundum quod divina participantur a rebus, quae se intellectui nostro offerunt...; et secundum utramque istarum participationem divina cognoscimus.* Haec ille.

Nota divina a nobis cognosci duplici participatione, scilicet luminis et obiecti. Hinc resolut. 55.

DOCUMENTUM LV.

Loquens Dionysius de B. Hierotheo, a quo aliquas notitias divinorum accepit, ait: *Quae ille, sive a sanctis Theologis accepit; sive et experta eloquiorum perscrutatione perspexit, ex multa circa ipsa luctatione et contritione; sive etiam ex quadam doctus est diviniore inspiratione, non solum discens, sed et patiens divina; et ex compassione ad ipsam, si ita oportet dicere, ad indicibilem, et mysticam ipsorum perfectus est unitionem et fidem* (16).

Expositio D. Thomae (17): *Ponit*, inquit, *tres modos, quibus ea Hierotheus acquirere potuit: unus est, addiscendo a sanctis Theologis, id est, ab Apostolis. Alius ex proprio studio et subtili discursione sanctarum Scripturarum; quae discussio in duobus consistit, nempe « ex multa luctatione circa ipsa », in quo assiduitas studii designatur;... « et contritione », in quo designatur diligens Scripturae expositio... Tertius... « ex quadam inspiratione diviniore », quae* (18) *communiter fit multis, « non solum discens, sed et patiens divina », id est, non solum divinorum scientiam* (19) *intellectu accipiens, sed etiam diligendo, quod* (20) *eis unitur* (21) *per affectum. Passio enim magis ad appe-*

(4) arg. 3; ed. Vivès, t. VII, p. 177b. — In ed. 1684, p. 566a erronee legitur: « *quaest.* 2 ».

(5) arg. 1; t. cit., p. 270a.

(6) corp.; t. cit., p. 350a.

(7) 3 *Sed contra;* ed. Vivès, t. XIII, p. 298a. — In ed. 1684, p. 566a erronee legitur: « *art.* 1 ».

(8) art. 6; ed. Vivès, t. XIII, p. 609b. — In ed. 1684, p. 566a erronee legitur: « *art.* 7 ».

(9) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 2, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 409a: *Omnia enim divina...*

(10) l. c.; p. 410a: *Assignat...*

(11) *Ib.* « *hujusmodi res* » pro « *ista* ».

(12) *Ib.* « *simpliciora* » pro « *simplicia* ».

(13) *Ib.*: *Sed haec participatio est duplex. Una quidem secundum quod...*

(14) *Ib.* additur « *scilicet* ».

(15) *Ib.*: *virtutem per divinae sapientiae lumen.*

(16) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 2, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 409b: ..., *sive ex perita eloquiorum... ex compassione ad ipsa,...*

(17) l. c.; p. 412b: *Ponit consequenter tres modos quibus ea quae sequuntur, Hierotheus acquirere potuit. Unus modus est quod « accepit » ea addiscendo « a sanctis theologis », id est ab apostolis. Alius modus est quod ipse proprio studio inspexit ea ex sapienti et subtili discussione sanctarum Scripturarum. Quae quidem subtilis discussio in duobus consistit, quorum primum subdit, dicens: « Et multa...*

(18) *Ib.*: « *quam* » pro « *quae* ».

(19) l. c., p. 413a additur « *in* ».

(20) *Ib.* « *quod* » deest.

(21) *Ib.* « *unitus* » pro « *unitur* ».

titum, quam ad cognitionem pertinere videtur: quia cognita sunt in cognoscente secundum modum cognoscentis et non secundum modum rerum cognitarum: sed appetitus movet vires (22) *secundum modum quo* (23) *in se ipsis sunt, et sic ad ipsas res quodammodo afficitur* (24). *Sicut autem aliquis* (25) *ex habitu virtutis, quam habet, in affectu perficitur ad directe iudicandum de his, quae ad virtutem illam pertinent; ita qui afficitur ad divina, accipit divinitus rectum iudicium de rebus divinis. Et ideo subdit, quod « ex compassione* (26) *divina », id est, ex hoc quod diligendo divina coniunctus est eis (si tamen dilectionis unio compassio dici debet, i. e., simul passio), « perfectus est ». Hierotheus, i. e., institutus « ad unitionem et fidem ipsorum », i. e., ut eis, quae dixit, uniretur per fidei unitionem; dico « indocibilem », i. e., quae humano magisterio doceri non potest, « et mysticam », i. e., occultam, quae excedit naturalem cognitionem.* Haec ille.

Ex hoc quod dicitur de Hierotheo, scilicet divina pati, inferunt mystici recte appellari operationes passivas animae illas ad quas movetur illuminatione ac influentia divina; sicut enim ab Aristotele, III *De anima*, text. 12 (27), vocantur passivae illae potentiae quae ab aliis moventur, ita similis motio dicenda est passio. Hinc resolutio 56.

CAPUT III.

QUAE SIT VIS ORATIONIS, ET DE BEATO HIEROTHEO, ET DE RELIGIONE, ET CONSCRIPTIONE THEOLOGICA.

Docet orationem sublevare ad Deum et in illa non tam Deum nobis appropinquare quam nos Deo; illumque praesentem esse omnibus, non autem illi omnia. Laudat D. Hierotheum magistrum suum post Paulum, et reddit rationem cur post ipsum scripserit, nimirum, quia ille compendio usus est. Refert etiam quid ipse et Hierotheus cum Petro et Iacobo egerint ad Deiparae sepulchrum.

Huius capitis meminit D. Thomas I[a] part., quaest. 5, art. 2 (1), bonum primo poni quam ens. Et quaest. 13, art. 11 (2), quod *boni nominatio excellenter sit manifestativa omnium Dei processionum.* Et quaest. 19, art. 9 (3) esse *malum ad omnis, i. e. universi, perfectionem conferens.* Et II[a] II[ae], quaest. 83, art. 1 (4), *ante omnia ab oratione incipere esse utile, sicut Deo nos ipsos unientes.* Et quaest. 101, art. 3 (5) *ea quae sunt creaturarum, per quandam superexcellentiam et causalitatem transferri in Deum.* Similiter in I *Sent.*, dist. 37, quaest. 1, art. 2 (6).

DOCUMENTUM LVI.

Oportet nos orationibus primum ad ipsam sicut boni principem produci, et magis ipsi propinquantes in hoc

---

(22) *Ib.* « *movet ad res* » pro « *movet vires* ».

(23) *Ib.* « *quod* » pro « *quo* ».

(24) *Ib.*: *et sic per amorem ad ipsas res quodammodo immutatur.*

(25) *Ib.* additur « *virtuosus* ».

(26) *Ib.* additur « *ad* ».

(27) *De anima*, lib. III, cap. 2, num. 5 et 6; cap. 4, num. 9 sqq.; cap. 5; Didot, t. III, p. 463 et 468; Bekk., 426[a], 2 sqq.; 429[b], 22 sqq. — 430[a].

(1) arg. 1.

(2) arg. 2; ed. Leon., t. IV, p. 162[a]: *Boni nominatio est manifestativa...*

(3) arg. 2; ed. Leon., t. IV, p. 247[a]: *Erit malum...* — Hic textus venit non ex capite 3, sed ex capite 4, lect. 15; ed. Vivès, t. XXIX, p. 467[b].

(4) arg. 2; ed. Leon., t. IX, p. 192[a]: ... *est utile, sicut Deo nosipsos tradentes et unientes.*

(5) ad 2; ed. Leon., t. IX, p. 370[b]: ... *causalitatem transferuntur in Deum.*

(6) arg. 1; ed. Vivès, t. VII, p. 445[b].

doceri optima bona circa ipsam collocata (7).

Expositio D. Thomae (8): *Dicit ergo, quod « oportet nos produci », i. e., extendi, per orationes ad ipsam Trinitatem, sicut ad principium omnis boni processionis, quia per hoc, quod nos oramus, ei appropinquamus; et quanto magis appropinquamus ei, tanto magis possumus addiscere dona bonitatis eius, quae circa ipsam collocantur, quasi ab ea per similitudinem bonitatis derivata. Quanto enim aliquis magis appropinquat alicui rei, magis cognoscit, quae circa ipsam sunt.*

De hac propositione vide resolut. 34 et 55.

DOCUMENTUM LVII.

Etenim ipsa quidem universis adest, non autem omnia ipsi adsunt (9).

Expositio D. Thomae (10): « *Ipsa quidem* » *sancta Trinitas* « *omnibus adest* », *in quantum omnibus sua dona communicat;* « *sed non omnia ipsi adsunt* », *in quantum deficiunt a participatione eius. Sed quando nos* « *invocamus ipsam, tunc adsumus ei* » *appropinquantes ad ipsam.* Haec D. Thomas.

De praesentia Dei in rebus videatur resolut. 34.

DOCUMENTUM LVIII.

Cum autem ipsam invocamus castissimis quidem orationibus, et revelata mente, et ad divinam unitionem aptitudine, tunc et nos ipsi adsumus (11). — D. Thomas (12): *Quod oratio nos faciat Deo propinquos, tria requiruntur: primo, quod sensualitas sit munda ab omnibus carnalibus et mundanis affectionibus, quibus illecti retrahimur inferius; ideo* (13) *dicit* « *castissimis orationibus* ». *Secundo, ut intellectus noster non obumbretur caligine phantasmatum; quod accidit illis, qui spiritualia non supra corporalia capere volunt; ut qui posuerunt Deum effiguratum figura humani corporis; propter quod etiam impediuntur* (14) *ab ascensu in Deum; et* (15) *ideo dicit* « *et revelata mente* ». *Tertio, ut voluntas nostra per charitatem et devotionem sit ordinata in Deum; et* (16) *ideo dicit* « *et aptitudine ad divinam unitionem* ». Haec D. Thomas.

CAPUT IV.

DE BONO, MALO, PULCHRO, AMORE, EXTASI, ZELO; ET QUOD MALUM NEQUE ENS SIT, NEQUE EX ENTIBUS, NEQUE IN ENTIBUS.

Huius capitis compendium potest colligi ex variis propositionibus eius, quas citat D. Thomas. Ut: *Bonum et optimum concupiscere, esse, vivere, et intelligere.* I^{a} part., quaest. 64, art. 2 (1).

Bonum esse communicativum sui. I^{a} II^{ae}, quaest. 1, art. 4 (2) et quaest. 112, art. 3 (3).

Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. I^{a} II^{ae}, quaest. 18, art. 11 (4); I^{a} II^{ae}, quaest. 19, art. 6 (5);

---

(7) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 3, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 418^{a}: *Oportet enim nos...* — In ed. 1684, p. 566^{b}, legitur: « *ad ipsum sicut...* ».

(8) l. c.; p. 420^{a}.

(9) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 3, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 418^{a}.

(10) l. c., p. 420^{a}.

(11) Apud D. THOMAM, l. c., p. 418^{a}.

(12) l. c., p. 420^{a}: *Sed ad hoc quod oratio...*

(13) l. c., p. 420^{b}: « *et hoc tangit cum* » pro « *ideo* ».

(14) *Ib.* « *impedimur* » pro « *impediuntur* ».

(15) *Ib.*: *et quantum ad hoc dicitur:* « *revelata...*

(16) *Ib.*: *et hoc est quod subdit:* « *Et apti ad...*

(1) arg. 5; ed. Leon., t. V, p. 141^{a}: *... concupiscunt, esse,...*

(2) arg. 1; ed. Leon., t. VI, p. 11^{a}: *Bonum enim, secundum suam rationem, est diffusivum sui.*

(3) arg. 3; ed. Leon., t. VII, p. 325^{a}: *Bonum est communicativum sui.*

(4) arg. 3; ed. Leon., t. VI, p. 139^{a}: *Malum causatur ex singularibus defectibus.*

(5) ad 1; ed. Leon., t. VI, p. 147^{a}: *Bonum causatur ex..., malum autem ex singularibus..*

et IIª IIᵃᵉ, quaest. 92, art. 2 (6); et quaest. 110, art. 3 (7).

Bonum contingit uno modo, malum omnifariam. Iª IIᵃᵉ, quaest. 70, art. 4 (8); et IIIª part., quaest. 50, art. 1, in supplem. (9).

Bonum vel malum hominis est secundum rationem esse, vel praeter rationem. Iª IIᵃᵉ, quaest. 24, art. 1 (10); et quaest. 55, art. 4 (11); et quaest. 71, art. 2 (12); et IIª IIᵃᵉ, quaest. 123, art. 1 (13) et 12 (14); et quaest. 141, art. 1 (15); et quaest. 167, art. 1 (16).

Bonum est fortius quam malum. Iª IIᵃᵉ, quaest. 35, art. 6 (17); et quaest. 63, art. 2 (18).

Bonum diversos gradus habet. Iª IIᵃᵉ, quaest. 98, art. 1 (19).

Bonum omnibus est diligibile. IIª IIᵃᵉ, quaest. 24, art. 2 (20); et quaest. 25, art. 7 (21).

Bona divina participantur a creaturis secundum earum proportionem et modum. IIª IIᵃᵉ, quaest. 8, art. 1 (22).

Malum non est in natura, neque existens. Iª part., quaest. 48, art. 1 (23); et art. 2, ad 1 (24); IIIᵃᵉ partis *Supplem.*, quaest. 49, art. 5 (25).

Malum non est in bono. Iª, quaest. 48, art. 3, ad 1 (26).

Malum non habet causam. Iª part., quaest. 49, art. 1 (27).

Malum est praeter voluntatem. Iª part., quaest. 82, art. 2 (28); et Iª IIᵃᵉ, quaest. 19, art. 1 (29); et quaest. 29, art. 4 (30); et quaest. 72, art. 1 (31).

Malum non agit nisi virtute boni. Iª IIᵃᵉ, quaest. 29, art. 3 (32); et quaest. 60, art. 5 (33).

Malum multipliciter contingit. Iª IIᵃᵉ, quaest. 35, art. 8 (34).

Est ex singularibus defectibus. Iª IIᵃᵉ, quaest. 72, art. 9 (35). — Vide *bonum.*

Malum hominis est sine ratione esse. IIª IIᵃᵉ, quaest. 158, art. 1 (36); et art. 8 (37); et quaest. 162, art. 1 (38).

Puniri non est malum, sed fieri poena dignum. Iª part., quaest. 48, art. 6 (39); et Iª IIᵃᵉ, quaest. 87, art. 1. (40).

---

(6) ad 1; et ed. Leon., t. IX, p. 299ᵇ: *Bonum contingit ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus.* — In ed. 1684, p. 567, erronee legitur: « art. 1 ».

(7) corp.; ed. Leon., t. IX, p. 425ᵃ: *Bonum enim est ex integra causa, malum autem est ex singularibus defectibus.*

(8) ad 2; ed. Leon., t. VI, p. 464ᵇ: ..., *malum vero omnifariam.*

(9) 1 *Sed contra;* ed. Leon., t. XII, p. 96ᵇ: *Sed infinitis modis est defectus boni.*

(10) arg. 2; ed. Leon., t. VI, p. 179ᵃ: ..., *vel praeter rationem esse.*

(11) ad 2; t. cit., p. 353ᵇ: *Bonum animae est secundum rationem esse.*

(12) corp.; ed. Leon., t. VII, p. 5ᵃ: *Bonum autem hominis est secundum rationem esse, et malum hominis est praeter rationem esse.*

(13) corp.; ed. Leon., t. X, p. 4ᵃ: *Bonum autem hominis est secundum rationem esse.*

(14) corp.; p. 25ᵃ: *Bonum autem rationis est hominis bonum.*

(15) corp.; p. 122ᵃ: *Bonum autem hominis est secundum rationem esse.*

(16) arg. 1; p. 345ᵃ: *Bonum animae humanae est secundum rationem esse.*

(17) *Sed contra.*

(18) *Sed contra;* ed. Leon., t. VI, p. 408ᵃ: *Bonum est virtuosius quam malum.*

(19) corp.

(20) arg. 1; ed. Leon., t. VIII, p. 175ᵃ: *Omnibus diligibile et amabile est bonum divinum.*

(21) arg. 3; ed. Leon., t. VIII, p. 203ᵃ: *Omnibus est diligibile bonum.*

(22) arg. 2; ed. Leon., t. VIII, p. 66ᵃ: *Dona divina...*

(23) *Sed contra;* ed. Leon., t. IV, p. 490ᵇ: *Malum non est existens neque bonum.*

(24) Quoad sensum.

(25) arg. 1; quoad sensum.

(26) Quoad sensum.

(27) arg. 4.

(28) arg. 1.

(29) arg. 1.

(30) corp. — In ed. 1684, p. 567ᵃ, erronee legitur: « *quaest.* 24 ».

(31) corp.; ed. Leon., t. VII, p. 12ᵇ: *Nullus enim intendens ad malum operatur.*

(32) *Sed contra.* — In ed. 1684, p. 567ᵃ, erronee legitur: « *quaest.* 24 ». — Cf. etiam Iª IIᵃᵉ, quaest. 18, art. 1, arg. 3.

(33) ad 4.

(34) ad 1; ed. Leon., t. VI, p. 248ᵃ: *multifariam contingit.*

(35) arg. 1; ed. Leon., t. VII, p. 22ᵃ: *Malum contingit ex singularibus defectibus.*

(36) arg. 2; ed. Leon., t. X, p. 272ᵃ: *Malum animae est...*

(37) arg. 3; p. 284ᵃ: ... *est praeter rationem esse.*

(38) corp.; p. 310ᵇ: *Malum animae est praeter rationem esse.*

(39) corp.

(40) ad 2. — In ed. 1684, p. 567ᵇ erronee legitur: « *quaest.* 85 ».

Passiones repugnant contra rationem. IIª IIᵃᵉ, quaest. 129, art. 2 (41).

Amor etiam est naturalis. Iª IIᵃᵉ, quaest. 26, art. 1 (42).

Amor est virtus quaedam. Iª IIᵃᵉ, quaest. 26, art. 2 (43).

Amor et dilectio se habent sicut quatuor et bis duo, rectilineum et rectas habens lineas; divinius tamen est nomen amoris quam dilectionis. Iª IIᵃᵉ, quaest. 26, art. 3 (44).

Amor in omnibus rebus invenitur. Iª IIᵃᵉ, quaest. 27, art. 2 (45).

Amor est virtus unitiva. Iª IIᵃᵉ, quaest. 28, art. 1 (46); et IIª IIᵃᵉ, quaest. 25, art. 4 (47); et quaest. 27, art. 5 (48); et quaest. 29, art. 3 (49).

Amant singula se ipsa contentive. Iª IIᵃᵉ, quaest. 28, art. 5 (50).

Propter amorem boni omnia agunt. Iª IIᵃᵉ, quaest. 28, art. 6 (51).

Amor movet coordinata ad mutuam habitudinem et inferiora convertit in superiora. IIª IIᵃᵉ, quaest. 31, art. 1 (52).

Amor extasim facit. Iª IIᵃᵉ, quaest. 28, art. 3 (53); et IIª IIᵃᵉ, quaest. 82, art. 2 (54).

Paulus extasim passus dicebat: Vivo ego, etc. IIª IIᵃᵉ, quaest. 175, art. 2 (55).

Pulchritudo consistit in claritate et debita proportione. IIª IIᵃᵉ, quaest. 141, art. 2 (56); et quaest. 145, art. 2 (57).

Lumen est in nominibus intelligibilibus Dei. Iª part., quaest. 67, art. 1 (58).

Lumen solis ad generationem sensibilium confert, et ad vitam, ipsaque movet, nutrit, auget et perficit. Iª part., quaest. 115, art. 3 (59).

Sol est causa omnium quae generantur in inferioribus. Iª IIᵃᵉ, quaest. 46, art. 1 (60).

Deus appellatur zelotes propter multum amorem ad existentia. Iª IIᵃᵉ, quaest. 28, art. 4 (61).

Deus convertit omnia ad amorem sui ipsius. Iª IIᵃᵉ, quaest. 109, art. 3 (62).

Deum cognoscimus per alia ut causam per effectum, vel per modum eminentiae, vel per modum negationis. IIª IIᵃᵉ, quaest. 27, art. 4 (63).

Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Iª IIᵃᵉ, quaest. 10, art. 4 (64); et quaest. 51, art. 4 (65); et IIª IIᵃᵉ, quaest. 165, art. 1 (66); et IIIª part., quaest. 44, art. 2 (67).

---

(41) corp.; ed. Leon., t. X, p. 59ª: *Passiones pugnant...*

(42) arg. 3; ed. Leon., t. VI, p. 188ª: Dionysius, in IV cap. *de Div. Nom.*, ponit quendam amorem *naturalem.*

(43) arg. 1.

(44) arg. 1; ed. Leon., t. VI, p. 189ª: Hoc modo se habent amor et dilectio, *sicut quatuor, et bis duo, rectilineum et habens rectas lineas.* — Ib., *Sed contra*, p. 189ᵇ: *Quibusdam Sanctorum visum est divinius esse nomen amoris quam nomen dilectionis.*

(45) arg. 3.

(46) *Sed contra.*

(47) corp.

(48) arg. 2; ed. Leon., t. VIII, p. 228ª: *Amor est unio quaedam.*

(49) ad 3; p. 238ᵇ: *Est enim amor vis unitiva.*

(50) *Sed contra;* ed. Leon., t. VI, p. 201ª: *Singula seipsa amant contentive.*

(51) *Sed contra.*

(52) ad 1; ed. Leon., t. VIII, p. 245ᵇ: *Amor movet ordinata...*

(53) *Sed contra;* ed. Leon., t. VI, p. 199ª: *Divinus amor...*

(54) arg. 1; ed. Leon., t. IX, p. 188ª: *Divinus amor...* — Cf. etiam IIª IIᵃᵉ, quaest. 175, art. 2, arg. 1 et corp.

(55) ad 2; ed. Vivès, t. X, p. 404ª: *Paulus ex virtute divini amoris extasim faciente, dixit: Vivo ego,...*

(56) ad 3; quoad sensum.

(57) corp.; quoad sensum.

(58) arg. 2; quoad sensum.

(59) *Sed contra;* ed. Leon., t. V, p. 542ª: *... sensibilium corporum confert, et ad vitam ipsa movet, et nutrit et auget et perficit.*

(60) corp.; ed. Leon., t. VI, p. 292ª: *Sol est causa generalis, omnium quae generantur in his inferioribus.*

(61) *Sed contra;* ed. Leon., t. VI, p. 200: *... amorem quem habet ad existentia.*

(62) corp.

(63) corp.; ed. Leon., t. VIII, p. 227ᵇ: *Per alia Deum cognoscimus, sicut causam per effectus, vel per modum eminentiae aut negationis.*

(64) corp.

(65) arg. 2; ed. Leon., t. VI, p. 329ª: *Divinae providentiae est naturam salvare.*

(66) corp.; ed. Leon., t. X, p. 339ª: *Providentiae non est naturam corrumpere, sed salvare.*

(67) arg. 1; ed. Leon., t. XI, p. 423ª: *Divinae providentiae non est naturam corrumpere, sed salvare.*

Angeli subsistunt propter radios divinae bonitatis. Ia part., quaest. 50, art. 3 (68).

Angeli seu primae creaturae sunt incorporales. Ia part., quaest. 50, art. 2 (69); et quaest. 51, art. 1 (70).

Angeli vitam habent indeficientem. Ia part., quaest. 50, art. 5 (71).

Angeli intelligere est eius motus. Ia part., quaest. 54, art. 2 (72).

Angeli cognoscunt omnia terrena secundum proprium virtutem mentis. Ia part., quaest. 55, art. 1 (73).

Angeli sunt Deo propinquiores et similiores. Ia part.,quaest. 57, art.1 (74).

Angeli existentium illuminantur rationibus. Ia part.,quaest.106, art.1 (75).

Daemonibus est phantasia proterva. Ia part., quaest. 58, art. 5 (76).

Daemones non sunt natura mali. Ia part., quaest. 63, art. 4 (77).

Daemonibus data sunt aliqua dona quae non sunt mutata. Ia part., quaest. 64, art. 1 (78); et Ia IIae, quaest. 63, art. 1 (79); et *Supplem.* IIIae partis, quaest. 89, art. 4 (80).

Daemonum multitudo causa est omnium malorum sibi et aliis. Ia IIae, quaest. 80, art. 4 (81).

Animae motus circularis, rectus et obliquus. IIa IIae, quaest. 180, art. 6 (82).

Inferiora sunt in superioribus eminentiori modo quam in seipsis. Ia part., quaest. 94, art. 1 (83).

Similes propositiones citantur etiam a Divo Thoma in I *Sent.*, dist. 1, quaest. 4 (84); dist. 2, quaest. 1, art. 1 (85) et 4 (86); dist. 17, quaest. 2, text. 1 et art. 1 (87); dist. 34, quaest. 2 (88); dist. 37, quaest. 4, art. 1 (89); dist. 42, quaest. 1, art. 2 (90); dist. 44, quaest. 1, art. 1 (91); dist. 46, quaest. 1, art. 3 (92); dist. 46, in expos. text. (93).

In II *Sent.*, dist. 7, quaest. 1, art. 2 (94); dist. 11, quaest. 2, art. 2 (95); dist. 13, quaest. 1, art. 4 (96); dist. 14, quaest. 1, art. 2 (97).

In *Disp. de pot.*, quaest. 1, art. 6 (98); quaest. 2, art. 3 (99); quaest. 3, art. 6 (100) et 15 (101); quaest. 4, art.

---

(68) arg. 4; ed. Leon., t. V, p. 8a: *Propter radios divinae bonitatis subsistunt intelligibiles et intellectuales omnes substantiae.*

(69) *Sed contra;* ed. Leon., t. V, p. 5a: *Primae creaturae sicut incorporales et immateriales intelliguntur.*

(70) *Sed contra;* t. cit., p. 14a: *Angeli sicut incorporales intelliguntur.*

(71) *Sed contra;* t. cit., p. 11b: *Intellectuales substantiae vitam habent indeficientem...* — In ed. 1684, p. 567b, erronee legitur: « *quaest.* 5 ».

(72) *Sed contra;* t. cit., p. 45a: *Intelligere angeli est motus eius.*

(73) arg. 1; t. cit., p. 54a: *Angeli sciunt ea quae sunt in terra, secundum propriam naturam mentis.*

(74) corp.; t. cit., p. 69a: *Angeli autem inter ceteras creaturas sunt Deo propinquiores et similiores.*

(75) ad 1.

(76) arg. 1.

(77) *Sed contra.*

(78) *Sed contra;* t. cit., p. 139b: *Data daemonibus angelica dona nequaquam mutata esse dicimus, sed sunt integra et splendidissima.*

(79) *Sed contra;* ed. Leon., t. VI p. 406a: *In daemonibus bona naturalia manent.*

(80) ad 2; ed. Leon., t. XII, p. 209a: *Bona enim naturalia in eis integra manent.*

(81) arg. 1; ed. Leon., t VII, p. 85a: *Multitudo daemonum causa... et sibi...*

(82) arg. 1; quoad sensum.

(83) Indicatio erronea. — In Ia, quaest. 57, art. 1, corp.; ed. Leon., t. V, p. 69a, legitur: *Quod in inferioribus continetur deficienter et partialiter et multipliciter, in superioribus continetur eminenter et per quandam totalitatem et simplicitatem.*

(84) Indicatio erronea.

(85) ad 2; ed. Vivès, t. VII, p. 34a. — In ed. 1684, p. 568a, erronee legitur: « *quaest.* 2 ».

(86) corp.; ed. Vivès, t. VII, p. 40b.

(87) Indicatio erronea.

(88) arg. 4; ed. Vivès, t. VII, p. 411b.

(89) corp. et ad 1; t. cit., p. 456a et 457a.

(90) arg. 4; t. cit., p. 509b.

(91) arg. 1; t. cit., p. 525b; et art. 2, arg. 3, p 526b. — In ed. 1684, p. 568a erronee legitur: « *art.* 3 ».

(92) arg. 1; t. cit., p. 545b. — Cf. etiam *ib.*, art. 2, arg. 2 et ad 2; t. cit., p. 544a et 545a.

(93) t. cit., p. 548a et 549a.

(94) arg. 2, corp. et ad 3; ed. Vivès, t. VIII, pp. 95b, 96b et 97a.

(95) ad 4; t. cit., p. 149a. — In ed. 1684, p. 568a, erronee legitur: « *quaest.* 1 ».

(96) corp. et ad 2; t. cit., p. 176b et 177a.

(97) *Sed contra;* t. cit., p. 182b. — In ed. 1684, p. 568a, erronee legitur: « *dist.* 18 ».

(98) ad 2; ed. Vivès, t. XIII, p. 18a.

(99) arg. 10; t. cit., p. 27a.

(100) arg. 1 et 9, 2 *sed contra* et corp.; t. cit., pp. 50b, 51a, 52b et 54a.

(101) arg. 1; t. cit., p. 91a.

2 (102); *De malo*, quaest. 1, art. 1 (103), 2 (104), 3 (105), 5 (106); quaest. 2, art. 1 (107), 2 (108), 4 (109), 7 (110), 9 (111), 11 (112), 12 (113); et quaest. 3, art. 1 (114), 2 (115), 9 (116), 12 (117), 14 (118); et quaest. 4, art. 1 (119), 2 (120), 6 (121); et quaest. 16, art. 1 (122), 2 (123), 3 (124), 4 (125), 5 (126), 6 (127).

De virtut., quaest. 1, art. 1, 17, 18, 19 (128).

De verit., quaest. 8, art. 15 (129) et quaest. 28, art. 3 (130).

Ex quibus tamen sub formalibus verbis sancti Dionysii aliqua eruuntur documenta mystica.

DOCUMENTUM MYSTICUM LIX.
(Ex lectione IV).

Intelligibile lumen (scilicet Deus) *tradit prius quidem mensuratam claritatem, postea illis sicut gustantibus lumen, et magis desiderantibus magis se ipsum immittit, et abundanter superfulget, quoniam dilexerunt multum, et semper extendit ipsas ad anteriora secundum ipsarum ad respectum proportionem* (131).

Expositio D. Thomae (132): *Ostendit modum et ordinem quomodo traditur sanctis animabus lumen spirituale. Primo* (133) *traditur unicuique secundum propriam mensuram iuxta illud ad Ephes.*, IV (134): « *Unicuique data est gratia, etc.* ». *Et quia spiritualia gustata desiderium excitant, quae prius ignorata contemnebantur, post primam receptionem luminis, gustata iam cognitione luminis veritatis, magis desideratur, et magis desiderantibus magis immittitur: effectus enim divinae gratiae multiplicantur secundum multiplicationem desiderii et delectationis* (135) *iuxta Luc.*, VII (136): « *Dimissa sunt ei, etc.* ». *Sic enim quaedam circulatio attenditur, dum ex lumine crescit luminis desiderium* (137), *ex desiderio autem crescit lumen, etc.*

Nota lumen divinum dari iuxta propriam mensuram, ex lumine tamen

(102) In parte addita a Fr. Vincentio a Castro Novo seu Vincentio Bandella, corp., ad 3, 6 et 8; t. cit., p. 131a, 132b, 143b et 144b.

(103) arg. 5, 8, 10, 16; ed. Vivès, t. XIII, pp. 320b-321b.

(104) arg. 1, ad 3, pp. 325b et 327b.

(105) arg. 5, 2 *Sed contra* et ad 14; pp. 329a, 330b et 333b.

(106) arg. 10 et corp.; pp. 338a et 339a.

(107) corp. et ad 3; pp. 344b et 345a.

(108) Indicatio erronea.

(109) corp. et ad 2; pp. 353b et 354b.

(110) arg. 3; p. 364a.

(111) arg. 12; p. 367a.

(112) arg. 1 et 9; pp. 371b et 372a.

(113) arg. 7; p. 375b.

(114) arg. 7, ad 8 et ad 10; ed. Vivès, t. XIII, pp. 378a et 380a.

(115) arg. 1; p. 381a. — Cfr. etiam art. 5, arg. 2, p. 388b et art. 6, arg. 4, p. 389b.

(116) arg. 4; p. 395b.

(117) arg. 1 et 10; pp. 401a et 402a.

(118) arg. 7; p. 406b.

(119) arg. 11 et ad 13; pp. 412a et 415a.

(120) 5 *Sed contra* et ad 3; pp. 416a et 419a.

(121) arg. 19; p. 427a.

(122) arg. 3, 2 *Sed contra* et ad 14; pp. 565b, 567b et 570b.

(123) arg. 7, 12, 1 *Sed contra*, corp. (ter), ad 1 et ad 4; pp. 572b, 573, 574b et 575.

(124) arg. 1; p. 577b.

(125) ad 15; p. 586b.

(126) arg. 1, 16 et 18, pp. 587b, 588b et 589a.

(127) arg. 3, 13, 15, corp. et ad 11; pp. 592b, 593b, 594a, 595a et 596b.

(128) Indicatio erronea. — Cfr. *De anima quaestio unica*, art. 17, ad 7; art. 18, arg. 1; art. 19, arg. 8; ed. Vivès, t. XIV, pp. 140b, 141a et 147a. — Cfr. *De virtutibus in communi*, quaest. 1, art. 8, 1 *Sed contra;* art. 9, 1 *Sed contra;* ed. Vivès, t. XIV, pp. 200a et 204b.

(129) arg. 3 et ad 3; ed. Vivès, t. XIV, pp. 518a et 520a.

(130) arg. 10 et ad 15; ed Vivès, t. XV, pp. 317b et 322a. — In ed. 1684, p. 568a, erronee legitur: « *art.* 2 ».

(131) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 4, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 436b.

(132) l. c., p. 438a.

(133) *Ib.*: *Et dicit primo quod quidem traditur unicuique lumen intelligibile secundum determinatam mensuram, secundum illud Ephes., IV: Unicuique data...*

(134): v. 7; Hetzenauer, p. 1139: *Unicuique autem nostrum data est gratia...*

(135) l. c., p. 438b: *Desiderii et dilectionis, secundum illud Luc...*

(136) v. 47; Hetzenauer, p. 1016: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

(137) *Ib.*: *et ex desiderio aucto crescit...*

gustato crescere desiderium, et pro maiori desiderio maius lumen. Vide resolut. 77, et 87, et 88.

DOCUMENTUM LX
(Ex lectione VII).

Animae autem motus circularis quidem ad se ipsam introitus ab exterioribus, et intellectualium ipsius virtutum uniformis convolutio, sicut in quodam circulo, non errate ipsi largiens; et a multis exterioribus ipsam convertens, et congregans, primum ad se ipsam, deinde uniformem factam uniens unitive unitis virtutibus, et ita ad pulchrum et bonum manuducens, quod est super omnia existentia, et unum, et idem, et sine principio, et interminabile (138).

Oblique autem anima movet, in quantum secundum proprietatem suam divinis illuminatur cognitionibus, non intellectualiter et singulariter, sed rationabiliter et diffuse, et sicut commixtis et transitivis operationibus (139).

In directum autem, quando non ad se ipsam ingressa et singulari intellectualitate mota, hoc enim est, sicut dixi, secundum circulum, sed ad ea quae sunt circa se ipsam progreditur, et ab exterioribus, sicut a quibusdam signis variatis et multiplicatis, ad simplices et unitas sursum agitur contemplationes (140).

Expositio D. Thomae (141): *Animae connaturale est quod intelligat accipiendo a rebus exterioribus, quae sunt multiformes et divisae. Unde in hac receptione potest attendi circularis motus eius, sed magis in hoc quod a rebus exterioribus revocatur. Primo quidem, in se ipsam conversa. Secundo, elevata in considerationem Angelicarum virtutum. Tertio autem, usque ad ipsum Deum. Hoc est ergo quod dicit, quod motus circularis animae* (142) *secundum quod ab exterioribus intrat ad se ipsam, et ibi uniformiter convolvitur, sicut in quodam circulo, secundum suas intellectuales virtutes, quae quidem convolutio* (143) *animae dirigitur ut non erret. Manifestum est enim, quod anima discurrendo de uno in aliud, sicut de effectu in causam, vel de uno simili ad aliud, vel de contrario in contrarium ratiocinatur multipliciter. Sed omnis ista ratiocinatio diiudicatur per resolutionem in prima principia, in quibus non contingit errare, ex quibus anima contra errorem defenditur,* (144) *ipsa prima principia simplici intellectu absque discursu cognoscuntur: et ideo eorum consideratio propter sui uniformitatem circularis convolutio nominatur.*

Per hanc ergo convolutionem primo congregatur « ad seipsam » (145) *considerans id, quod in natura sua habet ut cognoscat. Deinde sic* (146) *uniformis facta unitur per huiusmodi convolutionem « unitis virtutibus », scilicet Angelicis, in quantum per similitudinem huius uniformis apprehensionis uniformitatem Angelorum aliquo modo considerat; et ulterius per istam convolutionem manuducitur « ad puchrum et bonum », id est, Deum, « quod est super omnia existentia », et maxime « unum et idem », et est « sine principio et interminabile »: quae pertinent ad rationem circuli, ut dictum est. Et ideo circularitas motus animae completur in hoc quod ad Deum manuducit* (147).

Deinde cum dicit « oblique autem, etc. », describit motum obli-

(138) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 4, lect. 7; ed. Vivès, t. XXIX, p. 445:... *quidem est ad seipsam... deinae sicut uniformem...*

(139) *Ib.*: ... *anima movetur,...*

(140) *Ib.*

(141) l. c., p. 446a: *Animae autem connaturale...*

(142) *Ib.* additur « *est* ».

(143) *Ib.*: *convolutio dirigit virtutem animae ut non erret.*

(144) l. c., p. 446b additur: « *quia* ».

(145) In ed. 1684, p. 568b legitur: « *sapientiam* ».

(146) l. c., p. 446b « *sicut* » pro « *sic* ».

(147) *Ib.* « *manuducitur* » pro « *manuducit* ».

quum animarum... Motus (148) *ergo obliquus ex uniformitate et difformitate compositus, in anima attenditur, secundum quod uniformes Dei illuminationes recipit, non uniformiter, sed differenter secundum suum modum. Hoc est ergo quod dicit, quod anima movetur oblique, in quantum illuminatur divinis cognitionibus secundum suam proprietatem, « non » quidem « intellectualiter, et singulariter », id est, simpliciter sicut Angeli, « sed rationabiliter et diffuse », id est, discurrendo et diffundendo se per diversa. Et hoc exponit subdens : « sicut operationibus commixtis », quodam enim modo se commiscet rebus, in quantum se ad diversa cognoscenda diffundit : « et transitivis », quod refertur ad* (149) *« rationabiliter » : est enim proprium rationis transire sive discurrere ab uno in aliud.*

Deinde cum dicit « in directum autem, etc. », exponit rectum motum animae, qui de sui ratione habet difformitatem. Quae (150) *in anima attenditur secundum apprehensionem variam et multiformem diversorum, ex quibus cognitiones simplicium et uniformium capit. Dicit ergo, quod « in directum » movetur anima, quando non ingreditur ad se ipsam, ita quod quadam « singulari », id est, simplici « intellectualitate » operetur, quia hoc pertinet ad circularem motum ipsius, ut dictum est : sed quando progreditur ad res exteriores, quae sunt circa ipsam, a quibus, sicut a quibusdam signis variis et multiplicibus elevatur ad contemplandum res simplices et unitas.*

Patet autem haec sufficientia et distinctio horum motuum animae : quia anima vel a sui uniformitate progreditur in superiora magis uniformia, et hic (151) *est motus circularis* (152), *totus uniformis : vel ex influentia uniformis illuminationis accipit cognitionem variam et multiformem, et sic est motus obliquus* (153) : *vel e converso ex multiformibus et variis in simplicem cognitionem proficit, et sic est motus eius rectus.* Hucusque D. Thomas conformiter ad ea quae dixit IIª IIᵃᵉ, quaest. 180, art. 6.

De hac autem divisione cognitionis seu contemplationis in rectam, obliquam et circularem vide resolut. 15.

DOCUMENTUM LXI
(Ex lectione IX).

Omnibus est pulchrum et bonum desiderabile, et amabile, et diligibile, et propter ipsum, et ipsius gratia, et minora meliora convertendo se ad ea amant, et communicative ordinata, coordinata et meliora minora provisive, et ipsa singula se ipsa contentive; et omnia pulchrum et bonum desiderantia faciunt, et volunt omnia quaecunque faciunt et volunt (154).

Expositio D. Thomae (155) : *Amor ad appetitum pertinet, et est prima et communis radix omnium appetitivarum operationum : ... nihil enim desideratur, nisi quod est amatum, etc... Et ideo oportet quod ratio amoris sumatur* (156) *ex eo quod est commune obiectum appetitus, nempe* (157) *« bonum »... Ipsa igitur habitudo vel coaptatio appetitus ad aliquid velut ad suum bonum, amor vocatur. Quod* (158) *autem ordinatur ad aliquid sicut*

---

(148) *Ib.* : *Sic ergo motus obliquus ex uniformitate et difformitate compositionis, in anima...*

(149) l. c., p. 447ª : *ad hoc quod dixit « rationabiliter »;...*

(150) *Ib.* : *Difformitas autem in operatione angeli attendebatur secundum provisionem inferiorum, sed in anima secundum...*

(151) l. c., p. 447ᵇ : « *sic* » pro « *hic* ».

(152) *Ib.* additur : « *ipsius* ».

(153) *Ib.* additur : « *ejus* ».

(154) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 4, lect. 9; ed Vivès, t. XXIX, p. 450ª : *Omnibus igitur est...*

(155) l. c., p. 451ª : *Amor ad appetitum pertinet Est autem amor prima...*

(156) *Ib.* : « *accipitur* » pro « *sumatur* ».

(157) *Ib.* « *Hoc autem ex* » (sic) pro « *nempe* »

(158) *Ib.* : *Omne autem quod ordinatur...*

ad suum bonum, habet quodammodo illud sibi praesens et unitum secundum quandam similitudinem, saltem proportionis, sicut forma quodammodo est in materia, in quantum habet aptitudinem et ordinem ad ipsam...

Sic igitur patet in quo differt (159) *« desiderabile et amabile »: nam desiderium est quidam affectus amoris* (quando bonum amatum est totaliter absens amanti): *diligibile autem* (160) *determinat quemdam modum amoris, etc... Supremus enim* (161) *appetitus est qui est cum cognitione et libera electione: hic enim appetitus quodammodo movet se ipsum, unde et amor ad hunc pertinens est perfectissimus, et vocatur « dilectio », in quantum libera electione discernitur quod* (162) *sit amandum.*

Dionysius (163) *hic quatuor modos amoris ponit. Primo* (164) *secundum quod inferius amat suum superius: et* (165) *ideo dicit quod propter bonum et pulchrum « et ipsius gratia » « minora », id est, inferiora amant « meliora », id est, superiora, « convertendo se ad ea », quia in eis habent suam perfectionem. (Quod enim est superius in entibus, comparatur ad inferius sicut totum ad partem, in quantum superius perfecte et totaliter habet, quod ab inferiori imperfecte et particulariter habetur, et in quantum supremum continet in se inferiora multa; pars autem non est perfecta nisi in toto.) Secundo ponit modum quo aequalia amant aequalia, et dicit quod* (166) *ea quae sunt unius ordinis coordinata, id est, aequalia « communicative », id est, in quantum communicant cum eis* (167) *in specie vel in quocunque ordine. Tertio ponit modum quo superiora amant inferiora, et dicit quod « meliora », id est, superiora amant « minora », id est inferiora « provisive », id est, in quantum provident eis, ut sub se contentis. Quarto* (168), *per modum quo aliqua amant se ipsa* (169) *« contentive », id est, in quantum unumquodque in se ipso continetur. Deinde cum dicit « et omnia pulchrum, etc... » ostendit quid facit amor in amante: quia enim amor est communis radix appetitus, oportet quod omnis operatio appetitus ex amore causetur, ut dictum est.* Haec D. Thomas.

Nota amorem esse radicem appetitivarum operationum.

Item quatuor modos habere amorem, scilicet: inferioris ad superius, aequalis ad aequale, superioris ad inferiora, eiusdem ad se ipsum.

Vide resolut. 75 et 80.

DOCUMENTUM LXII

(Ex eadem lectione).

Quando nostra anima intellectualibus operationibus ad intelligibilia movetur, superflui quidem sunt sensibilium sensus: sicut et intellectuales virtutes, quando anima deiformis facta per unitionem ignoti inaccessibilis lucis lumini se immittit, non oculorum immissionibus. Quando autem mens per sensibilia moveri studet ad contemplativos intellectus, pretiosiores omnino sunt manifestiores sensuum partitiones, sicut planiores orationes, planiora visibilium, sicut quando non plana sunt opposita sensibus, neque ipsi praesentare menti sensibilibus bene poterunt (170).

---

(159) l. c., p. 451b additur: « *quod dicit* ».

(160) *Ib.*: *Quod autem dicit « diligibile » determinat.*

(161) *Ib.* « *autem* » pro « *enim* ».

(162) *Ib.* « *quid* » pro « *quod* ».

(163) l. c., p. 452a.

(164) *Ib.*: *Et primus est secundum...*

(165) *Ib.*: *et hoc est quod dicit, quia propter bonum...*

(166) *Ib.*: *quod coordinata, id est ea quae sunt unius ordinis amant « coordinata », id est...*

(167) l. c., p. 452b, additur « *vel* ».

(168) *Ib.*: *Quarto ponit modum...*

(169) *Ib.*: *Et dicit « quod ipsa singula » amant « seipsa contentive », id est...*

(170) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 4, lect. 9 ed. Vivès, t. XXIX, p. 450.

Expositio D. Thomae (171): *Quia sensibilia sunt praeambula ad intelligibilia, quando autem pervenimus ad terminum, recedimus a via... et ponit exemplum de hoc quod intelligibiles virtutes nostrae naturalis rationis etiam superfluunt, quando anima nostra Deo conformata immittit se rebus divinis, non immissione oculorum corporalium, sed immissione fidei, id est* (172), *per hoc quod divinum lumen ignotum et inaccessibile se ipsum nobis unit et communicat. Dum enim consideramus ea, quae fidei sunt, non diiudicamus ea per rationem naturalem...*

« *Quando autem mens, etc.* »... *Dicit* (173) *quod quando mens nostra studet moveri ad contemplationem intellectivam per sensibilia, tunc « sunt pretiosiores », id est, utiliores et* (174) *sensibiles species* (175) *manifestius portant vel deferunt intellectuales operationes* (176), *ut planiores orationes manifestiora visibilia. Sed quando ea, quae non sunt manifesta in sensibus, repraesentantur sensibus, tunc nec ipsi sensus possunt bene repraesentare sensibilia menti, ita scilicet quod ex ipsis sensibilibus intelligibilia capiantur, etc.*

Ex hoc documento inferunt mystici, quomodo vera contemplatio sit per actum fidei et non sine intellectus operatione, ut *Concordantia*, lib. III, cap. 16, num. 6 (177). De qua contemplatione vide resolut. 72.

(171) l. c., p. 453b.

(172) *Ib.*: « *scilicet* » pro « *id est* ».

(173) l. c., p. 454a.

(174) *Ib.*: « *illae* » pro « *et* ». — « *et* » in ed. Parm

(175) *Ib.* additur « *quae* ».

(176) *Ib.*: « *intentiones* » pro « *operationes* ».

(177) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 16, num. 6; Barcelona, 1667 pp. 350-351.

(178) Apud. D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 4, lect. 10; ed. Vivès, t. XXIX, p. 456a.

(179) *Ib.*: *Circa primum considerandum est...*

(180) *Ib.* « *cognoscitivae* » pro « *cognitivae* ».

(181) *Ib.* « *cognita* » pro « *cognitum* ».

DOCUMENTUM LXIII
(Ex lectione X).

Est autem faciens et extasim divinus amor, non dimittens sui ipsorum esse amatores, sed amatorum. Et monstrant quidem superiora providentiae facta minus habentium, et coordinata sui invicem continentiae, et subiecta divinioris conversionis ad prima (178).

Expositio D. Thomae (179): *Circa hoc considerandum, quod haec est differentia inter vim cognitivam et appetitivam: quia actus virtutis cognitivae* (180) *est secundum quod cognitum* (181) *est in cognoscente, actus autem virtutis appetitivae est secundum inclinationem, quam habet appetens ad rem quae appetitur. Prima* (182) *operatio appetitus est amor... Unde amor importat primam inclinationem appetitus in rem secundum quod habet rationem boni, quod est obiectum appetitus...*

Tendit (183) *ergo amor in aliquid dupliciter: uno modo ut in bonum substantiale...* (nempe quod habet bonitatem, sicut homo dicitur bonus), *dum sic amamus aliquid ut ei velimus bonum, sicut amamus hominem volentes bonum eius. Alio modo, ...sicut in bonum accidentale* (quod scilicet inest alicui faciens ipsum bonum), *quomodo* (184) *amamus virtutem non ea ratione quod volumus eam esse bonum, sed ut per eam simus boni. Primum* (185) *modum appellant aliqui amorem amicitiae; secundum, concupiscentiae; quomodo* (186) *etiam*

(182) *Ib.* addit « *autem* ».

(183) *Ib.*:*Tendit ergo amor dupliciter in aliquid*

(184) l. c., p. 456b: *sicut amamus virtutem, non quidem ea ratione quod volumus eam esse bonum, sed ratione ut per eam simus boni.*

(185) *Ib.*: *Primum autem amoris modum quidam nominant amorem amicitiae, secundum autem amorem concupiscentiae.*

186) *Ib.*: *Contingit autem quandoque quod etiam aliqua bona subsistentia amamus hoc secundo modo amoris, quia non amamus ipsa... sicut amamus vinum, volentes potiri dulcedine eius, et similiter cum homo propter delectationem vel utilitatem amatur, non ipse secundum se amatur, sed per accidens.*

possumus amare bona subsistentia, quando non amamus ipsa secundum se, sed secundum aliquod eorum accidens, sicut amamus vinum propter dulcedinem, qua volumus potiri: et etiam hominem propter delectationem et utilitatem, et non secundum se.

In (187) *utroque modo amoris amor trahitur ad rem amatam, sed diversimode: nam in secundo modo licet trahatur ad rem amatam per actum voluntatis, per intentionem affectus recurrit in se ipsum... Unde talis amor non ponit amantem extra se, quantum ad finem intentionis; bene* (188) *tamen, cum aliquid amatur primo modo; quia vult bonum ipsi rei amatae et non ex ea intentione, quia ei exinde aliquid accidat. Unde* (189) *talis amor extasim facit, quia ponit amantem extra se ipsum.*

Hoc (190) *autem fit tripliciter, etc... Cum* (191) *enim affectus amantis fertur in amatum superius, cuius proinde* (192) *aliquid est ipse amans, ipsum suum bonum amans ordinat in amatum: sicut si manus amaret hominem, hoc ipsum quod ipsa est, in totum ordinaret; unde totaliter extra se poneretur, quia nullo modo aliquid sui sibi relinqueret, sed* (193) *in amatum ordinaret. Non autem ita est, cum* (194) *amat sibi aequale vel inferius* (195): *non enim una manus si aliam amaret, totam se in aliam ordinaret; neque homo amans manum suam* (196), *totum bonum suum in bonum manus ordinat. Sic ergo aliquis debet Deum amare, quod nihil sui sibi relinquat, quin in Deum ordinetur. Dum* (197) *autem aequalia vel inferiora amat, sufficit quod sit extra se exiens in illa, ita duntaxat quod non sibi soli intendat, sed aliis, nec oportet quod totaliter se in illa ordinet.*

Sic igitur amor divinus dupliciter potest hic accipi. Uno modo amor quo Deus amatur: et sic exponenda est haec littera: quod « amor divinus facit extasim », id est, ponit amantem extra se, id est, ordinat ipsum in Deum, ita quod non permittat (198) *ipsos amatores esse sui ipsorum, sed rerum divinarum* (199), *quia nihil sui sibi relinquant* (200), *quin in Deum ordinent.*

Alio modo potest intelligi amor divinus, qui est a Deo derivatus, non solum in Deum, sed etiam in alia, scilicet aequalia vel inferiora. Et sic intelligendum est « non dimittens amatores esse sui ipsorum » tantum, sed (201) *eorum quae amantur, quia amor facit, quod non solum sibi intendant, sed etiam aliis... Unde* (202) *dicit, quod praedictum effectum amoris « demonstrant superiora » per providentiam quam faciunt de inferioribus. In hoc enim quodammodo extra se ponuntur, quod aliis intendunt: et similiter « monstrant coordinata », id est, aequalia per continentiam, qua se invicem continent, prout scilicet unum ab altero iuvatur et fovetur: et monstrant etiam inferiora per hoc, quod divinius convertuntur in sua superiora, ut in quibus bonum eorum* (203) *existit; in omnibus enim*

---

(187) *Ib.*: *In utroque igitur modo amoris, affectus amantis per quamdam inclinationem trahitur ad rem amatam, sed diversimode. Nam in secundo modo amoris, affectus amantis trahitur ad rem amatam per actum voluntatis, sed per intentionem affectus recurrit in seipsum;...*

(188) *Ib.*: *Sed cum aliquid amatur primo modo amoris, sic affectus fertur in rem amatam quod non recurrit in seipsum, quia ipsi rei amatae vult bonum, non ea ratione quia...*

(189) l. c., p. 457[a]: *Sic igitur talis...*

(190) *Ib.*: *Sed hoc contingit tripliciter.*

(191) *Ib.*: *Sic igitur cum affectus...*

(192) *Ib.* deest « *proinde* ».

(193) *Ib.* additur « *totum* ».

(194) *Ib.* additur « *aliquid* ».

(195) *Ib.*: *vel id quod infra se est.*

(196) *Ib.*: « *suam manum* ».

(197) *Ib.*: « *cum* » pro « *dum* ».

(198) *Ib.* « *permittit* » pro « *permittat* ».

(199) *Ib.* additur: « *quae amantur* ».

(200) *Ib.* « *relinquunt* » pro « *relinquant* ».

(201) *Ib.* « *sed amatorum* », *id est eorum...*

(202) l. c., p. 457[b]: *Dicit ergo primo quod...*

(203) *Ib.* « *eorum bonum* ».

his apparet, quod aliquid extra se exit, dum ad alterum convertitur. Utitur autem hic genitivis pro ablativis, quia graeci ablativis carent, etc.

Quid sit extasis et in quo a raptu discernatur, vide supra quaest. 10 prooem. et infra resolut. 89.

Quomodo sub hoc nomine extasis intelligatur etiam unio habitualis, explicant mystici, ut ex nostris Iosephus a Iesu Maria, II part., lib. III, cap. 2 (204); *Concordantia mystica*, lib. III, cap. 46, num. 5 (205). De qua unione vide supra quaest. 17.

CAPUT V.

DE ENTE SEU EXISTENTE ET EXEMPLARIBUS.

In hoc capite dicit §. 1 Deum non posse explicari ut in se est. Et nomen boni latius patere quam entis, siquidem extenditur ad ea quae sunt et quae non sunt. §. 2 Praedicat Deum secundum providentias. §. 3 Quae Deum magis participant esse ei propinquiora et spiritualia. §. 4 Deum esse eminenter omnia in omnibus. §. 5 Ex Deo esse aevum, et tempus, et omnia; ipsumque ens esse antiquissimum donum Dei. §§. 6 et 7 Omnia in Deo esse unite, licet sint contraria. §. 8 Spiritus et animas et omnes res a Deo obtinere gradum suum essendi Deumque esse omnia exempte, solute et abstracte. Exemplaria esse rationes substantificas rerum in Deo praeexistentes, quae vocantur praedefinitiones et divinae voluntates. §. 9 Deum cuncta complecti simplici sua perfectione. §. 10 Deum esse omnium principium et finem.

Citatur a D. Thoma I[a] part., quaest. 4, art. 2 (1): *Quod Deus in una existentia omnia praehabeat.* Et quaest. 15, art. 3 (2): *Quod exemplaria sint divinae voluntates determinativae et effectivae rerum.* Et quaest. 44, art. 3 (3): *Quod ipsum secundum se esse, prius sit eo quod est per se vitam esse, et eo quod est per se sapientiam esse.* Et quaest. 57, art. 1 (4): *Angeli inter caeteras creaturas sunt Deo propinquiores et similiores.* Et quaest. 91, art. 1 (5): *Deus simpliciter perfectus est, ex hoc quod omnia in se praehabeat, non per modum compositionis, sed simpliciter et unite.*

Et in I[a] II[ae], quaest. 2, art. 5 (6): *Quod esse est melius quam vivere, et vivere melius quam alia quae sequuntur.* Et quaest. 79, art. 2 (7): *Quod omne ens derivetur a primo ente.*

Et in III[a] part., quaest. 13, art. 1 (8): *Quod natura divina sit ipsum esse Dei incircumscriptum.*

Similiter in I *Sent.*, dist. 8, quaest. 2, art. 3 (9); et dist. 17, quaest. 2, art. 2 (10); et dist. 24, quaest. 1, art. 1 (11); et dist. 35, quaest. 1, art. 1 (12); et dist. 36, quaest. 2, art. 3 (13); et dist. 46, quaest. 1, art. 2 (14). Item disp. *De potentia*, quaest. 7, art. 2 (15).

---

(204) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. III, cap. 2, §. *Desta union habitual;* ed. 1694, p. 431[a]

(205) *Concordancia mistica*, lib. III, cap. 46, num. 5; Barcelona, 1667, pp. 506-507.

(1) *Sed contra;* ed. Leon., t. IV, p. 51[b]: ... *in uno... praehabet.*

(2) arg. 2. — In ed. 1684, p. 571[a], erronee legitur: « *art.* 2 ».

(3) arg. 4.

(4) corp.; ed. Leon., t. V, p. 69[a]: *Angeli autem inter...*

(5) corp.; t. cit., p. 390[a]: *Ipse autem simpliciter... praehabet;...*

(6) arg. 2; ed. Leon., t. VI, p. 21[a]: ... *quae consequuntur.*

(7) corp.; ed. Leon., t. VII, p. 77[a]: *Omne enim ens... oportet quod derivetur a primo ente.*

(8) corp.; ed. Leon., t. XI, p. 171[b]: *Quia enim natura divina est ipsum...*

(9) corp.; ed. Vivès, t. VII, p. 109[a].

(10) 2 *Sed contra;* p. 217[a].

(11) Indicatio erronea.

(12) ad 2; p. 420[b].

(13) corp.; p. 438[a].

(14) Indicatio erronea; nam est caput IV quod ibi, arg. 2 et ad 2, pp. 544[a] et 545[a], citatur.

(15) ad 9; ed. Vivès, t. XIII, p. 219[b].

Item *De malo*, quaest. 16, art. 9 (16). Item *De virtut.*, quaest. 1, art. 8 (17). Item *De verit.*, quaest. 8, art. 8 (18); et quaest. 20, art. 5 (19).

DOCUMENTUM LXIV
(Ex lectione I).

Nullum est inconveniens ex obscuris imaginibus ad omnium causam ascendentes, supermundanis oculis contemplari omnia in omnium causa, et sibi invicem contraria uniformiter et unite. Principium enim est existentium (20).

Expositio D. Thomae (21): *Ex aliquibus exemplis quae antea posuit, concludit quod possumus ex praemissis sicut ex quibusdam « similitudinibus obscuris », id est, deficientibus a divina repraesentatione, ascendere ad universalem causam omnium per similitudinem causarum particularium, ut sic oculis mentis transcendendo omnia mundana, contemplemur omnia simpliciter esse in Deo, ut* (22) *est omnium causa, et quod ea quae sibi invicem contraria prout sunt in suis naturis, in Deo praeexistunt simpliciter et unite... Deinde cum dicit « Principium enim est, etc. » probat idem per rationem: ... omnia enim multa quae sunt ex uno principio, praeexistunt unite in principio primo.*

Nota quae in inferioribus dispersa, in Deo esse et cognosci unita et simplicia. Hinc resolutio 66.

CAPUT VI.

DE VITA.

Dicit §§. 1 et 2 Deum esse vitam, ex qua omnis vita et quae cuilibet viventi congruam vitam impertitur. § 3 A divina vita vivificari universa.

Citatur a D. Thoma I[a] part., quaest. 18, art. 1 (1): *Quod plantae secundum ultimam resonantiam vitae habent vivere.* Et disp. *De malo*, quaest. 16, art. 1 (2).

Ex hoc capite nullum mysticum documentum eruimus; vel enim iam dictis nihil mystice addit, vel scholasticos concernit.

CAPUT VII.

DE SAPIENTIA, MENTE, RATIONE, VERITATE ET FIDE.

Docet §. 1 sapientiam Dei esse creatricem omnis sapientiae et esse supra illam; resque divinas metiendas non esse secundum nostram intelligentiam. §. 2 Ex sapientia Dei angelos esse intellectuales, et animas rationales, et sensus esse quasi sibilum eius. Deum omnia nosse sine actu spirituali. Amentiam, insensibilitatem et alia quae sunt negationes, non tribui Deo per defectum, sed per excessum; Deumque omnia cognoscendo anticipare, qui novit omnia, priusquam fierent et in seipso omnia nosse. Angelos etiam intellectualiter cognoscere sensibilia. §. 3 Deum ut est in se esse nobis incognitum cognoscique per cognitionem et per ignorationem; es-

(16) ad 5; ed. Vivès, t. XIII, p. 609[b].

(17) Indicatio erronea; nam est caput IV quod ibi, 1 *sed contra*, ed. Vivès, t. XIV, p. 200[a], citatur.

(18) arg. 1; ed. Vivès, t. XIV, p. 499[a].

(19) corp.; ed. Vivès, t. XV, p. 122[b].

(20) Apud. D. Thomam, *op. cit.*, cap. 5, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 495[b]: *Nihil igitur est inconveniens...*

(21) l. c., p. 503[a]: *Ex his igitur exemplis concludit ulterius, quod nos possumus...*

(22) *Ib.* « *qui* » pro « *ut* ».

(1) *Sed contra.*

(2) arg. 4; ed. Vivès, t. XIII, p. 565[b]. — In ed. 1684, p. 571[a], erronee legitur: « *art.* 4 »; nam est cap. VII quod in art. 4, arg. 14 et corp., t. cit., p. 582[b] et 584[b], citatur.

seque de eo cognitionem, rationem, scientiam, tactum, sensum, opinionem, et cogitationem, et nomen, et alia omnia; et neque intelligi, neque dici, neque nominari, nec esse aliquid eorum quae sunt; et in omnibus omnia esse, et nihil in ullo; et ex omnibus ab omnibus cognosci, et a nullo ex ulla re. §. 4 Quod Deus dicatur ratio non solum quia rationis largitor est, sed quia causas omnium in seipso uniformiter anticipavit. Et quod Ratio seu Verbum Dei sit simplex veritas et fidei fundamentum.

Citatur a D. Thoma Iª part., quaest. 14, art, 10 (1): *Quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine.* Et quaest. 55, art. 2 (2): *Quod Angeli non congregant divinam cognitionem a rebus divisibilibus et sensibilibus;* quod etiam sibi obiicit quaest. 56, art. 3 (3) et pro se sumit quaest. 58, art. 3 (4). Et art. 4 (5): *Quod virtus intellectualis Angelorum resplendet perspicaci divinorum intellectuum simplicitate.* Similiter quaest. 75, art. 7 (6). Item Iª IIᵃᵉ, quaest. 112, art. 1 (7): *Quod Angeli ad Angelum purgatio, illuminatio et perfectio nihil aliud sit quam divinae scientiae assumptio.* Item IIª IIᵃᵉ, quaest. 1. art. 1 (8): *Quod fides sit circa simplicem et semper existentem veritatem.* Et quaest. 8, art. 1 (9): *Quod modus humanae naturae est ut discursive veritatem cognoscat.* Et quaest. 180, art. 3 (10) *in hoc differre hominem ab Angelo, qui simplici apprehensione veritatem intuetur.* Et quaest. 188, art. 6 (11): *Fines primorum coniunguntur principiis secundorum.*

Videatur etiam in I *Sent.*, dist. 2, quaest. 1, art. 2 (12); et dist. 4, quaest. 2, art. 1 (13); et dist. 8, quaest. 2, art. 1 (14); et quaest. 4, art. 3 (15), et dist. 19, quaest. 2, art. 1 (16), et dist. 38, quaest. 1, art. 2 (17); et in disp. *De potentia*, quaest. 6, art. 6 (18); *De malo*, quaest. 16, art. 4 (19); *De verit.*, quaest. 1, art. 5 (20); *De verit.*, quaest. 8, art. 8 (21) et 15 (22).

DOCUMENTUM LXV
(Ex lectione I).

Oportet autem videre mentem nostram habere quidem virtutem ad intelligendum, per quam intelligibilia inspicit, unitionem autem excedentem mentis naturam, per quam coniungitur ad ea, quae sunt super ipsam. Secundum hanc igitur oportet divina intelligere, non secundum nos, sed nos ipsos extra nos ipsos statutos et totos deificatos. Melior enim est esse

---

(1) corp.

(2) *Sed contra;* ed. Leon., t. V, p. 56ª: ... *divisibilibus, aut a sensibilibus.*

(3) arg. 3; p. 66ᵇ: *Quia non accipiunt divinam cognitionem a rebus sensibilibus.*

(4) *Sed contra;* p. 83ª: *Quod angeli non congregant divinam cognitionem a sermonibus diffusis, neque ab aliquo communi ad ista specialia simul aguntur.*

(5) *Sed contra;* p. 85ª: ... *resplendet conspicaci divinorum...*

(6) *Sed contra;* p. 206ª: *Mentes angelicae simplices et beatos intellectus habent, non de visibilibus congregantes divinam cognitionem.* — In ed. 1684, p. 571ᵇ, erronee legitur: « *quaest.* 76 ».

(7) Ad 3; ed. Leon., t. VII, p. 323ᵇ: *Quod huiusmodi purgatio,... nihil est aliud quam...*

(8) *Sed contra.*

(9) arg. 2; ed. Leon., t. VIII, p. 66ª: *Sed modus humanae naturae est ut non simpliciter veritatem cognoscat,...., sed discursive.*

(10) corp.; ed. Leon., t. X, p. 426ᵇ: *Haec est autem differentia inter hominem et angelum..., quod angelus simplici apprehensione veritatem intuetur.*

(11) corp. — In ed. 1684, p. 571ᵇ, erronee legitur: « *art.* 7 ».

(12) corp.; ed. Vivès, t. VII, p. 34ᵇ.

(13) ad. 2; p. 75ª.

(14) ad 1; p. 107ª.

(15) corp.; p. 118ᵇ.

(16) arg. 3; p. 243ª.

(17) arg. 4; p. 467ª: — In ed. 1684, p. 571ᵇ, erronee legitur: « *art.* 3 ».

(18) arg. 12 et 2 *sed contra;* ed Vivès, t. XIII, pp. 196ᵇ et 197ª.

(19) arg. 14 et corp.; ed. Vivès, t. XIII, pp. 582ᵇ et 584ᵇ. — In ed. 1684, p. 571ᵇ, erronee legitur: « *art.* 1 ».

(20) corp.; ed. Vivès, t. XIV, p. 327ª. — In ed. 1684, p. 571ᵇ, erronee legitur: « *art.* 2 ».

(21) arg. 7 et 8; p. 499ᵇ.

(22) 1 *Sed contra;* p. 518ᵇ.

Dei, et non nostri ipsorum. Ita enim erunt divina data cum Deo futuris (23).

Expositio D. Thomae (24): *Dicit, quod oportet considerare, quod mens nostra duo habet ad intelligibilia cognoscenda. Primo,... naturalem virtutem, id est, intelligentiam, per quam inspicere potest intelligibilia sibi proportionata. Secundo,... quandam unitionem ad res divinas per gratiam, quae excedit naturam mentis nostrae, per quam unitionem coniunguntur homines per fidem ad* (25) *quamcumque cognitionem ad ea, quae sunt super naturalem mentis virtutem. Oportet ergo, ut intelligamus divina secundum hanc unitionem* (26): *ergo, quia non trahendo divina ad ea, quae sunt secundum nos, sed magis totos nos statuentes supra* (27) *nos in Deum, ita* (28) *per praedictam unitionem totaliter deificemur. Et quia posset aliquis dicere, quod hoc nobis esset nocivum, si nos ipsos deificaremus* (29), *ideo hoc* (30) *excludit ibi « melius enim, etc. » et dicit, quod cum Deus sit melior nobis, melius est nobis quod simus Dei per unitionem* (31), *et quod non simus nostri ipsorum... Sic enim nobis « factis cum Deo » et* (32) *cum Deo unitis, divina nobis dona aderunt, quae percipere non possumus, si Dei unitionem negligentes, nobis ipsis inhaereamus.*

De unione cum Deo per fidem vide resolut. 73.

DOCUMENTUM LXVI
(Ex lectione II).

Multorum autem ad unum convolutione et intellectibus aequalibus Angelis, in quantum animabus est proprium, et possibile dignae habitae (33), *scilicet animae.*

Expositio D. Thomae (34): *Deficiunt ab Angelis animae, in quantum per divisionem et multitudinem variarum rerum diffunduntur ad veritatis cognitionem. Sed tamen in hoc ipso quod multa in unum convolvere possunt, sicut cum ex multis effectibus et proprietatibus proveniunt ad cognoscendam rei essentiam, et* (35) *in tantum dignae habentur animae, ut homines habeant intellectus quodammodo Angelis aequales, scilicet secundum proprietatem et possibilitatem animarum. Inquisitio enim rationis ad simplicem intelligentiam veritatis terminatur, sicut incipit a simplici intelligentia veritatis, quae consideratur in primis principiis. Et ideo in processu rationis est quaedam convolutio ut circulus, dum ratio ab uno incipiens, per multa procedens, ad unum terminatur.*

Nota inquisitionem rationis ad simplicem intelligentiam terminatam nos assimilare angelis. Vide resolut. 67.

DOCUMENTUM LXVII
(Ex lectione IV).

Nunquid verum est dicere, quoniam Deum cognoscimus non ex natura ipsius? Ignotum enim est hoc, et omnem intellectum, et rationem, et mentem excedens; sed ex omnium totorum ordinatione sicut ex ipso proposita, et imagines quasdam et assimilationes divinorum ipsius exemplarium habente, ad illud quod est super omnia via, et ordine secundum virtutem ascendimus in omnium ablatione,

---

(23) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 7, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 514b: *... nosipsos totos extra nosipsos... cum Deo factis.*

(24) l. c., p. 516a.

(25) *Ib.* « *aut* » pro « *ad* ». — « *ad* » in ed. Parm.

(26) *Ib.*: *unitionem gratiae, quasi non trahendo...*

(27) *Ib.* « *extra* » pro « *supra* ». — « *extra* » in ed. Parm.

(28) l. c., p. 516b additur « *ut* ». — « *ut* » deest in ed. Parm.

(29) *Ib.* « *deseramus* » pro « *deificaremus* ». — « *deificaremus* » in ed. Parm.

(30) *Ib.* additur « *tertio* ».

(31) *Ib.*: *unitionem gratiae quam quod simus...*

(32) *Ib.*: *... Deo », id est cum Deo uniti fuerimus, divina nobis dona adhaerent nobis, quae percipere...*

(33) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 7, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 516b.

(34) l. c., p. 518b: *Deficiunt ab eis animae...*

(35) *Ib.* « *et* » deest.

et excessu, in omnium causa: propter quod et in omnibus Deus cognoscitur, et sine omnibus; et per cognitionem Deus cognoscitur, et per ignorantiam; et est ipsius intellectus et sermo, et scientia, et tactus, et sensus, et opinio, et phantasia, et nomen, et alia omnia, et neque intelligitur, neque dicitur, neque nominatur, et non est aliquid existentium, neque in aliquo existentium cognoscitur, et in omnibus omnia est, et in nullo nihil, et in omnibus cunctis cognoscitur, et ex nullo nulli (36).

Expositio D. Thomae (37): *Solutionem sub interrogatione infert; est ergo haec solutio, quod nos cognoscimus Deum, non per naturam ipsius quasi ipsam essentiam eius videntes: eius enim essentia est ignota creaturae, et excedit non solum sensum, sed etiam omnem rationem humanam et etiam omnem mentem Angelicam quantum ad naturalem virtutem rationis et mentis, unde non potest aliter convenire alicui nisi ex dono gratiae. Non ergo cognoscimus Deum videntes eius essentiam, sed cognoscimus ipsum ex ordine totius universi. Ipsa enim universitas creaturarum est nobis a Deo proposita, ut per eam Deum cognoscamus, in quantum universum ordinatum habet quasdam imagines et assimilationes imperfectas divinorum, quae comparantur ad ipsa sicut principalia exemplaria vel imagines. Sic ergo ex ordine universi sicut quadam « via et ordine ascendimus » per intellectum secundum nostram virtutem ad Deum, qui est super omnia.*

Et hoc tribus modis. Primo quidem et principaliter « in omnium ablatione », in quantum scilicet nihil horum, quae in creaturarum ordine inspicimus Deum aestimamus, aut Deo conveniens. Secundo (38) *vero per excessum, non enim creaturarum perfectiones, ut vitam, sapientiam et huiusmodi Deo auferimus propter aliquem defectum Dei, sed propter hoc, quod omnem perfectionem creaturae excedit, propterea removemus a Deo* (39) *sapientiam, quia omnem sapientiam excedit. Tertio, secundum causalitatem omnium, dum consideramus, quod quidquid est in creaturis, a Deo procedit sicut a causa. Sic ergo nostra cognitio contrario modo se habet cognitione Dei: nam Deus creaturas* (40) *per suam naturam cognoscit, nos autem Deum per creaturas.*

Deinde cum dicit « propter quod et in omnibus, etc », infert conclusionem ex dictis... Dicit ergo primo, quod quia a creaturis in Deum ascendimus, et in omnium ablatione, et excessu, « et in omnium causa », propterea Deus « cognoscitur in omnibus » sicut in effectibus « et sine omnibus » sicut ab omnibus remotus, et omnia excedens; et propter hoc etiam cognoscitur Deus per cognitionem nostram, quia quidquid in nostra cognitione cadit, accepimus (41) *ut ab ea adductum, et iterum cognoscitur per ignorantiam nostram, in quantum scilicet hoc ipsum est Deum cognoscere, quod nos scimus nos ignorare de Deo quid sit. Et quod dixerat in generali cognitione, explicat per partes subdens: quod ipsius* (42) *est « intellectus et sermo, etc... » et alia omnia quaecumque pertinent ad cognitionem vel significationem. Et e contrario « neque intelligitur », neque sentitur, « nec dicitur aut nominatur »... sicut est, etc.*

Deum cognoscimus ex creaturis tripliciter: vel per ablationem, vel per excessum, vel per causalitatem.

Scire nos ignorare quid Deus sit, est quodammodo Deum scire. Vide resolut. 35 et 43.

---

(36) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 7, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 521a: *Numquid igitur verum... vita et ordine... excessu et in omnium causa:... ipsius et intellectus, et...*

(37) l. c., p. 522a.

(38) *Ib.* « *Secundario* » pro « *secundo* ».

(39) *Ib.* « *ab eo* » pro « *a Deo* ».

(40) *Ib.* additur « *quidem* ».

(41) l. c., p. 522b: *accipimus ut ab eo adductum; et...*

(42) *Ib.* additur « *Dei* ».

DOCUMENTUM LXVIII.

Etenim et hoc recte de Deo dicimus, et ex existentibus universis laudatur secundum proportionem omnium quorum est causa. Et est rursus divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita secundum unitionem supra mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens, postea et seipsam dimittens, unita est supersplendentibus radiis. Inde et ibi non scrutabili profundo sapientiae illuminata (43).

Expositio D. Thomae (44): *Ostendit quomodo conclusio inducta* (scilicet in documento antecedenti) *sequatur* (45) *ex praemissis. Et dicit, quod hoc recte de Deo dicimus secundum quod cognoscitur et non cognoscitur: ex omnibus enim entibus cognoscitur et laudatur secundum quod habent proportionem ad ipsum, ut quorum est causa.*

Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitio, per remotionem scilicet, quod (46) *cognoscimus Deum per ignorantiam per quandam unitionem ad divina supra naturam mentis, « quando » scilicet « mens » nostra « recedens ab omnibus aliis, et postea etiam dimittens se ipsam unitur supersplendentibus radiis » Deitatis, in quantum scilicet cognoscit Deum esse non solum super omnia quae sunt infra ipsam, sed etiam supra ipsam, et supra omnia quae ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum in tali statu cognitionis illuminatur ab ipsa profunditate divinae sapientiae, quam perscrutari non possumus; quod etiam intelligamus Deum esse supra omnia, non solum quae sunt, sed etiam quae apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinae sapientiae provenit nobis, etc.*

Ex hoc documento sumitur illa celebris descriptio theologiae mysticae, quae tam acquisitae quam infusae potest applicari, ut potest videri in prima parte a quaestione 3, etc., et infra, resolut. 63 .

DOCUMENTUM LXIX
(Ex lectione V).

Bene novit qui veritati unitus est, quam bene habet, quamvis multi corripiant ipsum sicut extasim passum. Latet quidem, sicut est conveniens, ipsos ex errore, per veram fidem extasim passus veritatis. Ipse enim novit se ipsum, non secundum quod dicunt illi, furentem, etc. (47).

Expositio D. Thomae (48): *Ille qui veritati per fidem unitus est, bene cognoscit quam bene sit ei: sic enim* (49) *veritati fidei inhaerendo* (50), *« quamvis multi reprehendant ipsum sicut extasim passum », id est, sicut fatuum, et a se alienatum, etenim* (51) *latet ipsos repraehendentes ex eorum errore, quod ipse sine dubio per veram fidem est passus extasim veritatis, quasi extra omnem sensum positus, et veritati supernaturali coniunctus, quia ipse credens novit de seipso, quod non est furens, ut ipsi dicunt, sed est liberatus per veritatem simplicem, et semper eodem modo se habentem* (52), *nec circumferatur per instabiles ventos diversorum errorum.*

Nota quod per fidem extasim patimur veritatis. Vide resolut. 66.

---

(43) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 7, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 521b: *... super mentem...*

(44) l. c., p. 523a.

(45) *Ib. « sequitur »* prò *« sequatur ».*

(46) *Ib. « qua »* pro *« quod ».*

(47) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 7, lect. 5; ed. Vivès, t. XXIX, p. 523b: *Bene enim novit... veritati unitus. Ipse...*

(48) l. c., p. 524b: *Ille enim qui...*

(49) *Ib. « enim »* deest.

(50) *Ib. « adhaerendo »* pro *« inhaerendo ».*

(51) In ed. 1684, p. 573a, legitur: *«et non»* pro *«etenim».*

(52) l. c., p. 525a: *ne circumferatur per instabiles et variabiles ventos...*

CAPUT VIII.

DE VIRTUTE, IUSTITIA, SALVATIONE, LIBERATIONE, IN QUO ET DE INAEQUALITATE.

Dicit §§. 1 et 2 Deum dici potentiam tamquam eius Auctorem; et omnipotentem supra omnem potentiam existendo. §§. 3, 4, 5 Omnia quae sunt, aliquam potentiam habere; et ex ipsa potentia Dei esse omnes potentias angelorum, hominum et animalium.

§ 6 Ad obiectionem Elymae Magi II *Timoth.*, II, v. 13, respondet non posse se negare, non posse non esse, non posse mentiri ,etc. non esse argumentum impotentiae, sed potentiae infinitae. §. 7 Deum dici iustitiam, quod omnibus tribuat ut dignum est. §. 8 Interrogans quomodo ergo Deus permittat viros sanctos a peccatoribus affligi? Respondet non fuisse sanctos, si a temporalibus commoverentur; immo tunc magis ad angelicas virtutes accedere, cum viriliter exercentur periculis, quae honesti causa subeunt: et hoc congruere divinae iustitiae, ut non patiatur robur bonorum materialium largitionibus enervari.

§. 9 Deum dici salutem, quod iuste cuiusque naturae rationes servet, et causa sit propriae cuiusque operationis; item quod omnia a deterioribus eripiat. Quam etiam salutem theologi appellant redemptionem, in quantum non sinit ea quae vere sunt, in nihilum redigi; et si quid peccatum sit, iacturam illam resarciat ac paterne remissionem donet. Itaque Deum dici iustitiam, quatenus omnem aequalitatem mensurat et inaequalitatem exterminat, inaequalitatem scilicet, quae est privatio aequalitatis; non enim loquitur de inaequalitate qua sensibilia et mutabilia ad invicem sunt diversa.

D. Thomas I[a] part., quaest. 21, art. 1 (1), citat Dionysium hic dicentem: *Oportet videre in hoc veram Dei esse iustitiam, quod omnibus tribuit propria, secundum uniuscuiusque existentium dignitatem, et uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine et virtute.* Et II[a] II[ae], quaest. 175, art. 1 (2). Videatur etiam in disp. *De verit.*, quaest. 13, art. 1 (3).

DOCUMENTUM LXX

(Ex lectione IV) (3-bis).

Si dicat aliquis non esse iustitiae homines sanctos dimittere non adiutos a pravis cruciatos. Dicendum quod si illi quos dicis sanctos, diligunt quidem ea, quae sunt super terram, ab inhaerentibus materiae zelata, a divino omnino ceciderunt amore, et non novi quomodo sancti vocentur, iniuriam facientes vere amabilibus, et divinis propter inzelabilia et inamabilia ab eisdem non religiose reprobatis. Si autem vere existentia amant, laetari convenit quaedam desiderantes, quando desiderabilia consequuntur. Aut nunquid tunc magis appropinquant Angelicis virtutibus, quando sicut est possibile desiderio divinorum recedunt a materialium possibili affectione: luctantes ad hoc valde viriliter in adversitatibus pro bono.

Quare verum est dicere, quod hoc divinae iustitiae magis est propositum, non mollire et destruere optimorum animositatem materialium donationibus. Neque si aliquis conetur hoc facere, dimittere non adiutos, sed collocare ipsos in pulchra et inflexibili statione, et attribuere ipsis talibus existentibus secundum dignitatem (4).

(1) corp.

(2) arg. 2; ed. Leon., t. X, p. 402[a]: *Iustitia Dei in hoc attenditur, quod omnibus rebus distribuit secundum suum modum et dignitatem.*

(3) arg. 4; ed. Vivès, t. XIV, p. 635[a]. — In ed. 1684, p. 573[b], erronee legitur: « *quaest.* 8, *art.* 9 ».

(3bis) « *ex lect. IV* » deest in ed. 1684.

(4) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 8, lect 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 531[b]..... *Non est justitiae,..... desideranter, quando... collocare ipsas in...*

Expositio D. Thomae (5): *Solvit praedictam obiectionem dicens, quod si isti qui dicuntur sancti, « amant ea quae sunt super terram », pro quibus zelant homines rebus materialibus inhaerentes, « omnino ceciderunt a divino amore ». Quod intelligendum est, si ita ea ament, quod in eis finem constituant, et quod propterea spiritualia bona contemnant. Et* (6) *ideo subdit, quod ipse nescit quomodo dici debeant sancti illi, qui faciunt iniuriam rebus divinis, quae sunt vere amabiles* (7), *ut reprobent ea contra religionis debitum propter bona temporalia, quae non sunt amanda principaliter, nec pro eis est zelandum.*

Sed si ipsi amant bona spiritualia, quae vere sunt existentia, quia sunt sempiterna, debent laetari, si ea desiderant, quando ea desiderata consequi possunt. Consequuntur autem ea, cum afflictiones (8) *in rebus temporalibus patientes, quodam fervore amoris spiritualibus magis inhaerent. Tunc enim magis per similitudinem appropinquant Angelicis virtutibus, in quibus nulla est materialium rerum affectio, quando homines secundum suam possibilitatem ex desiderio rerum divinarum recedunt ab affectione materialium* (9). *Et hoc* (10) *faciunt, quando « pro bono », id est, amore Dei, et pro iustitia et virtute luctantur viriliter in adversitatibus existentes.*

Et sic si vere Sancti saeculi istius in adversitatibus consequuntur quod desiderant, scilicet contemnendo temporalia, (11), *adhaerere spiritualibus, non male cum eis agitur, sed bene. Unde vere dici potest, quod proprium est divinae iustitiae, quod animo suam* (12) *virtutem non destruat aut emolliat per collationem prosperitatis: sed si aliquis conatur hoc facere, ut scilicet pugnet pro veritate, quod ipse non dimittat tales sine adiutorio, sed firmet eos in pulchra et firma statione spiritualium bonorum, per quae in adversis consolantur, et ulterius quod talibus retribuat in futuro secundum proprii meriti dignitatem.*

Nota sanctos non esse, qui inordinate (13) amant sensibilia. Et afflictionibus bene toleratis magis inhaereri divinis. Item prosperitatibus animos emolliri.

Vide resolut. 50.

CAPUT IX.

DE MAGNO, PARVO, EODEM, ALIO, SIMILI, DISSIMILI, STATU, MOTU, AEQUALITATE.

Docet §§. 1 et 2 Deum dici magnum secundum propriam magnitudinem, quae magnis omnibus de se communicat, locum omnem complectens, omnem numerum excedens, etc.

§. 3 Dici etiam parvum sive subtilem, quod omnem molem et distantiam fugiat, et absque impedimento omnia pervadat: hoc autem parvum esse sine quantitate, sine qualitate, infinitum et incircumscriptum.

§. 4 Dici etiam eundem, cum sit inconvertibilis, in semetipso manens semper et eodem modo.

§. 5 Dici etiam alterum seu aliud, quia cunctis providentia sua adest. Quod D. Thomas hic (1) dupliciter explicat. Item habere latitudinem,

---

(5) l. c., p. 533a: *Solvit praedictam objectionem, et dicit quod...*

(6) *Ib.*: *Et hoc est quod subdit....*

(7) *Ib.* « *amabilia* » pro « *amabiles* ».

(8) l. c., p. 533b: « *afflictione* » pro « *afflictiones* ».

(9) *Ib.* additur: « *rerum* ».

(10) *Ib.* additur: « *quidem* ».

(11) *Ib.* additur: « *bona* ».

(12) *Ib.* « *animosam* » pro « *animo suam* ».

(13) In ed. 1684 legitur: « *inordinata* » pro « *inordinate* ».

(1) Op. cit., cap. 9, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 542a.

longitudinem et profundidatem scilicet virtualem. De quo D. Thomas I[a] part., quaest. 3, art. 1 (2).

§. 6 Dici etiam similem sibi ipsi, quatenus mutationis expers est. Nullius tamen similem esse, sed creaturam aliquo modo esse Dei similem, nimirum secundum quandam analogiam, ut explicat D. Thomas I[a] part., quaest. 4, art. 3.

§. 7 Dici etiam dissimilem, quia licet creaturae Deo sint similes secundum quod participant de Deo, semper tamen infinite distant ab eo.

§. 8 Quomodo Deus dicatur stare et sedere, nimirum per immobilitatem.

§. 9 Dici etiam moveri, non aliquo genere motus proprii, sed quasi extrinsece producendo creaturas. Et quomodo in eo metaphorice intelligatur motus rectus, obliquus et circularis.

§. 10 Dici etiam aequalem tamquam omnis aequalitatis Auctorem.

De quibus videatur D. Thomas in expositione huius capitis (3) et praeter loca citata in I[a] part., quaest. 42, art. 1 (4); et in I *Sent.*, dist. 3, quaest. 2, art. 2 (5); et dist. 19, quaest. 1, art. 2 (6); et disp. *De potentia*, quaest. 7, art. 7 (7); et *De malo*, quaest. 3, art. 1 (8).

Nec est quid peculiariter ad mysticos spectans eruendum.

CAPUT X.

DE OMNIPOTENTE, ANTIQUO DIERUM; ITEM DE AEVO SEU AETERNITATE ET TEMPORE.

Docet §. 1 Deum dici omnipotentem, quia omnia continet et complectitur. §. 2 Dici antiquum dierum, quia est ante dies, ante tempus et aevum. §. 3 Quid sit tempus, aevum et aeternitas; et quomodo aliquando aevum dicatur temporale et tempus aeternum. De quibus D. Thomas hic (1); et I[a] part., quaest. 9, art. 2 (2); et in 1 *Sent.*, dist. 19, quaest. 2, art. 1 (3). Nec est quid specialiter ad mysticos spectans.

CAPUT XI.

DE PACE, ET QUID SIT PER SE ESSE, ET PER VITAM ESSE, ETC.

Docet §§. 1 et 2 quid sit pax divina, et quomodo Deus cuncta pacifice coordinat, et quod pax sit omnium unitiva et consensus operativa. De quo D. Thomas hic (1) et II[a] II[ae], quaest. 29, art. 1 (2) et 2 (3).

§. 3 Omnia pacem appetere cum semetipsis atque esse coniuncta.

§§. 4 et 5 esse etiam pacem in iis, quae semper moventur; nihilque sine pace consistere.

§. 6 Deum quandoque dici per se vitam et alia huiusmodi, quandoque vero ea creasse quae ex participatione sunt et vivunt. De quo etiam D. Thomas, quaest. 84, art. 5 (4).

---

(2) ad 1.

(3) *Op. cit.*, cap. 9; ed. Vivès, t. XXIX, pp. 536[a] sqq.

(4) ad 3. — In ed. 1634, p. 574[b], erronee legitur: « *quaest.* 56, *art.* 3 ».

(5) arg. 3; ed. Vivès, t. XXIX, p. 55[a].

(6) arg. 1; p. 242[a].

(7) ad 3; ed. Vivès, t. XIII, p. 234[b].

(8) corp.; ed. Vivès, t. XIII, p. 379[a].

(1) *Op. cit.*, cap. 10; ed. Vivès, t. XXIX, pp. 548[a] sqq.

(2) Indicatio erronea.

(3) arg. 3; ed. Vivès, t. VII, p. 243[a].

(1) *Op. cit.*, cap. 11, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 554[a] sqq.

(2) arg. 2; ed. Leon., t. VIII, p. 236[a]: *Pax est omnium unitiva et consensu operativa.*

(3) arg. 1, *sed contra* et ad 1.

(4) I[a] part., quaest. 84, art. 5, corp.

DOCUMENTUM LXXI
(Ex lectione II).

Propter quam divinae mentes unitae intellectibus suis uniuntur, et unitis, et rursum ad ignotam ascendunt super mentem collocatorum coniunctionem. Propter quam animae largissimas ipsorum rationes unientes, et ad vitam intellectualem congregantes puritatem proveniunt iuxta proprietatem suam via, et ordine per immaterialem et simplicem intellectum ad eam, quae est super intellectum unitionem (5).

Expositio D. Thomae (6): *Dicit ergo primo quod propter primam et simplicem causam pacifice unientem « divinae mentes », id est, Angeli, tripliciter uniuntur. Primo* (7), *unusquisque secundum proprium intellectum. Secundo, prout quidam uniuntur ordine quodam aliis Angelis unitis. Tertio, secundum quod ulterius ascendunt ad hoc quod coniungantur rebus divinis, quae sunt collocata* (8) *super omnem mentem, et haec coniunctio est nobis ignorata* (9).

Deinde cum dicit « propter quam animae, etc. », ostendit effectum divinae pacis in anima rationali, prout scilicet ad unitatem reducitur. In qua quidem reductione triplex gradus consideratur. Primo enim dicitur anima (10) *habere largissimam rationem, in quantum ratio se ad diversa diffundit ex multis actibus et effectibus naturam rei investigando. Secundo, largitas rationis reducitur ad unitatem intellectualis puritatis seu simplicitatis. Nullum enim effectum haberet investigatio rationis, nisi ad intelligibilem veritatem perduceret. Tertio, quodam ordine per huiusmodi immaterialem et intellectualem veritatem pervenit anima secundum proprietatem suae virtutis, ut uniatur Deo, qui est supra intellectum, cui non ita perfecte anima in hac vita uniri potest, sicut Angeli boni, etc.*

Triplex est gradus reductionis ad unitatem.

Vide resolut. 77.

DOCUMENTUM LXXII
(Ex lectione III).

Si autem istos dicit paci et pacis bonis inimicari, qui litibus, et furoribus, et variationibus, et instabilitatibus gaudent, et isti obscuris imaginibus pacifici desiderii tenentur, a passionibus multum moventibus impugnati, et istas sedare stulte desiderantes, et arbitrantes adimpletione semper fluentium pacem habere seipsos, non consecutionem delectationum se detinentium perturbatos (11).

Expositio D. Thomae (12): Dixerat Dionysius, quod omnia desiderant pacem. Quaerit ergo quomodo omnia desiderant pacem, cum multa sint quae alteritate et discretione gaudent? *Solvit autem dubitationem secundum tres intellectus, et modo secundum tertium intellectum, quod scilicet multa alteritate gaudent, non referatur ad appetitum naturalem, ut in praemissis, sed ad voluntarium. Et dicit, quod si hic qui movet dubitationem, dicat illos homines inimicari paci* (13), *qui gaudent in exterioribus litibus, et interioribus commotionibus,... et instabilitatibus quae videntur paci contrariari... Dicendum* (14) *quod ipsi etiam homines detinentur*

(5) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 11, lect. 2; ed. Vivès, t. XXIX, p. 557:... *ipsarum rationes unientes, et ad unam intellectualem... simplicem intellectum unitionem.*

(6) l. c., p. 559a.

(7) *Ib.* additur: « *quidem* ».

(8) *Ib.* « *collocatae* » pro « *collocata* ».

(9) *Ib.* « *ignota* » pro « *ignorata* ».

(10) l. c., p. 559b: *anima dicitur habere...*

(11) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 11, lect. 3, ed. Vivès, t. XXIX, p. 561b:... *non consecutione delectationum...*

(12) l. c.; p. 563b: *Solvit dubitationem secundum tertium intellectum, prout id quod dictum est, quod « multa sunt quae alteritate et discretione gaudent », non referatur ad appetitum naturalem, ut in praemissis, sed ad appetitum voluntarium, et dicit quod, si ille qui movet...*

(13) *Ib.* additur: « *et bonis ejus* ».

(14) *Ib.*: *Dicendum est quod tales etiam homines...*

a desiderio pacis, secundum quamdam obscuram similitudinem... Tales enim homines multum impugnantur a passionibus quibus commoventur et sic... eorum pax interior perturbatur. Huiusmodi ergo impugnationem passionum ex desideriis pacis sedare volunt, non sapienter, sed stulte. Putant enim quod possunt habere interiorem pacem implendo superflua et inordinata sua desideria, quae incitantur secundum varias passiones; sed per hoc magis perturbantur, dum non possunt consequi delectationes, a quibus detinentur. Impossibile est enim, quod homo superfluis et inordinatis desideriis subiacens, omnia desiderata consequi possit; et ideo tales quaerentes pacem lites commovent, ut sua desideria impleant; et quia variis desideriis subiacent, variationibus gaudent. Sapienter autem hanc impugnationem passionum sedarent, si multa desideria reprimentes, ad unum desiderium verae pacis converterentur.

Nota pacem quaerere omnes, etiam illi qui paci inimicari videntur; passiones non pacificantur indulgentia, sed abstinentia.

Vide resolut. 27, et 48, et 91.

DOCUMENTUM LXXIII.

Quid dicat quidem aliquis de benignitate pacem effundente secundum Christum: secundum quam non iam didicimus bellum facere, neque nobis ipsis, neque aliis, neque Angelis, sed et cum ipsis divina secundum virtutem operabimur, secundum providentiam Iesu, omnia in omnibus cooperantis, sed et facientis pacem ineffabilem, et ex saeculo praediffinitam, et reconcilianti nos sibi ipsi in spiritu, et per ipsum, et in ipso Patri (15).

Expositio D. Thomae (16): *Determinat de pace facta per Christi Incarnationem, dicens, quod sufficiens aliquid dicere* (17) *potest de pietate Dei, quae effundit pacem in mundum per Christum: « secundum quam » pacem iam liberati* (18) *a peccato, « didicimus » doctrina et exemplo Christi et interiori Spiritus sancti inspiratione « non facere bellum » peccando, nec* (19) *contra nosmetipsos, nec* (20) *discordando a sanctis Angelis, sed per hanc pacem secundum nostram virtutem operamur ea quae Dei sunt simul cum sanctis Angelis, et hoc « secundum providentiam » et gratiam « Iesu », qui operatur omnia in omnibus, et qui facit illam « ineffabilem pacem », quae est ab aeterno praeordinata; per quam* (21) *reconciliamur ipsi Christo in Spiritu sancto, qui est Spiritus dilectionis et pacis, « per ipsum » Christum, et « in ipso » Christo simul reconciliamur Deo Patri.*

Pax vera per Christum.

Vide resolut. 48 et 91.

CAPUT XII.

DE SANCTO SANCTORUM, REGE REGUM, DOMINO DOMINORUM, DEO DEORUM.

Docet Sanctus Dionysius sanctitatem esse ab omni scelere liberam, et omnino perfectam, et omni ex parte immaculatam puritatem. Quod citat D. Thomas III[a] part. quaest. 27, art. 2 (1).

(15) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 11, lect. 3; ed. Vivès, t. XXIX, p. 561[b]:... *dicimus bellum... praedefinitam, et reconciliantis nos...*

(16) l. c.; p. 563[b].

(17) l. c.; p. 564[a]: *dici non potest...*

(18) *Ib.* « *liberari* » pro « *liberati* ».

(19) *Ib.* « *neque* » pro « *nec* ».

(20) *Ib.* « *neque* » pro « *nec* ».

(21) l. c.; p. 564[b], additur: « *pacem* ».

(1) corp.; ed. Leon.; t. XI, p. 290[a]: *Sanctitas enim est perfecta munditia.*

Docet etiam quid sit regnum, quid dominatio et quid deitas, quam dicit esse quae omnia videt providentia et bonitate perfecta. Quod citat D. Thomas, Ia part., quaest. 13, art. 8 (2).

Item quod ista de Deo praedicentur addendo supereminenter, v. g., supereminens sanctitas et dominatio. Quod citat D. Thomas Ia part., quaest. 108, art. 5 (3).

Denique quod dicatur Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominorum et Deus Deorum per excellentiam super omnes. Sanctos vero, et reges, et dominos et deos appellat Scriptura principaliores ordines, quorum opera Dei munera participantur ab inferioribus.

Quae omnia late explicat D. Thomas hic (4), praeter loca citata, in quibus meminit huius capitis; et in quaest. disp. *De potentia*, quaest. 9, art. 7 (5).

DOCUMENTUM LXXIV.

Sanctitas secundum nos est ab omni immunditia libera, et perfecta, et omnino immaculata munditia (6).

Expositio D. Thomae (7): *Sanctitas secundum nostram acceptionem est « munditia libera ab omni immunditia, et perfecta, et omnino immaculata ». In quibus verbis tres gradus munditiae designantur, qui ad sanctitatem requiruntur. Primo* (8) *est libertas ab omni immunditia: libertas autem servituti opponitur: servus autem immunditiae existit, qui totaliter ab immunditia vincitur et ei subiicitur: primus ergo munditiae gradus* (9) *est, ut aliquis ab aliqua* (10) *servitute immunditiae liberetur.*

Secundus (11) *est, ut sit munditia perfecta: perfectum enim est, cui nihil deest. Contingit autem quandoque, quod aliquis immunditiae quidem non subiacet; deest tamen sibi aliquid ad munditiam, in quantum passionibus immunditiae inquietatur, quae cum tolluntur, fit perfecta munditia.*

Tertius gradus munditiae est, ut sit omnino immaculata. Maculari enim dicitur, quod non ab intrinseco, sed ab extrinseco inquinatur. Erit ergo omnino immaculata munditia, cum non solum in se ipso aliquis puritatem habet, sed etiam nihil est exterius, quod eum ad immunditiam trahere possit. Et in his tribus gradibus munditiae (12) *ratio sanctitatis perfecte consistit.*

Vide resolut. 3.

CAPUT XIII.

DE PERFECTO ET UNO.

Docet Sanctus Doctor quomodo Deus dicatur perfectus et unus: et unitatem in omnibus rebus reperiri. Unde infert D. Thomas, Ia part. quaest. 11, art. 1 (1), unum nihil addere supra ens contrahens illud.

Item docet, unitate sublata, omnia perire; et ex Deo uno esse omnia, Trinitatemque unitatem esse eminentissimam et incognoscibilem.

Tandem concludit praedicta esse divina nomina, quae ratione intelli-

(2) corp.; ed. Leon., t. IV, p. 157b: *Deitas est quae omnia videt providentia et bonitate perfecta.*

(3) ad 2; ed. Leon., t. V, p. 499b: *Dominatio laudatur in Deo singulariter per quendam excessum.....*

(4) *Op. cit.*, cap. 12; ed. Vivès, t. XXIX, pp. 567a sqq.

(5) Indicatio erronea. — Cf. I *Sent.*, dist. 10, quaest. 1, art. 4, ad 4; ed. Vivès, t. VII, p. 141b.

(6) Apud D. Thomam, *op. cit.*, cap. 12, lect. 1; ed. Vivès, t. XXIX, p. 567a: *Igitur sanctitas quidem est, ut secundum nos dicatur, ab omni...*

(7) l. c.; p. 568a: *Dicit quod secundum nostram acceptionem per sanctitatem intelligitur « munditia », quae est « libera ab... »*

(8) *Ib.*: *Quorum primus est...*

(9) *Ib.*: *gradus munditiae...*

(10) *Ib.* « *hujusmodi* » pro « *aliqua* » — « *aliqua* » in ed. Parm.

(11) *Ib.*: *Secundus autem gradus est...*

(12) l. c.; p. 568b: *munditiae gradibus....*

(1) *Sed contra* et ad 2.

guntur; et inde promittit ad symbolicam theologiam transire.

Quae D. Thomas explicat hic (2) et citat loco adducto ex I[a] parte et in I *Sent.*, dist. 2, quaest. 1, art. 1 (3); et 3 (4); et quaest. disp. *De potentia*, quaest. 7, art. 5 (5); et quaest. 9, art. 7 (6).

DOCUMENTUM LXXV
(ex lectione III).

Oportet et nos a multis ad unum virtute divinae unitatis conversos unitive laudare totam et unam Deitatem (7).

Expositio D. Thomae (8): *Dicit ergo, quod oportet nos laudare totam et unam Trinitatis Deitatem « unitive », id est, secundum rationem unius; ita quod convertamur a multis creaturis, quae participant unam* (9) *ad id quod vere unum est, scilicet Deum; et haec conversio fit in nobis virtute divinae unitatis. Dum enim consideramus, quod divina unitas est virtuosior omni unitate, omnia relinquentes in ipsam convertimur.* Haec ille.

Totam et unam deitatem contemplemur, quod quidem perfectius est quam per distinctas perfectiones vel etiam mysterium Trinitatis distincte contemplari.

Vide resolut. 70.

DOCUMENTUM LXXVI.

Propter quod et ipsi per negationes ascensum praehonoraverunt, sicut exsuscitantem animam ab his, quae sunt ipsi connaturalia, et per omnes divinos intellectus pergentem, a quibus segregatum est, quod est super omne nomen, et omnem rationem, et omnem cognitionem. In ultimis autem totorum ipsi coniungentes, in quantum nobis illi coniungi est possibile (10).

Expositio D. Thomae (11): *Quia theologi, id est, Apostoli et Prophetae considerantur, quod omne nomen a nobis impositum deficit a Deo, ideo ipsi inter omnes modos, quibus in Deum possumus ascendere per intellectum, praeordinaverunt eum qui est per negationes, per quas quodam ordine in Deum ascendimus. Primo enim anima nostra quasi suscitatur* (12) *et consurgit a rebus materialibus, quae sunt illi* (13) *connaturalia, puta cum intelligimus Deum non esse aliquid sensibile et* (14) *materiale, aut corporeum; et sic anima nostra negando pergit « per omnes divinos intellectus », id est, per omnes ordines Angelorum* (15) *quibus est segregatus Deus, qui est super* (16) *omne nomen, et rationem, et cognitionem* (17). *Ad ultimum autem, anima nostra Deo coniungitur ascendendo per negationes « in ultimis totorum », id est, in supremis finibus universaliorum et excellentiarum creaturarum. Et quidem coniunctio animae ad Deum fit, inquantum nobis possibile est nunc Deo coniungi. Non enim coniungitur in praesenti intellectus noster Deo, ut eius essentiam videat, sed ut cognoscat de Deo quid non est. Unde haec coniunctio nostri ad Deum, quae nobis est in hac vita possibilis, perficitur, quando devenimus ad hoc, quod cognoscamus eum esse supra excellentissimas creaturas.*

---

(2) *Op. cit.*, cap. 13; ed. Vivès, t. XXIX, pp. 571[a] sqq.
(3) corp.; ed. Vivès, t. VII, p. 33[b].
(4) 1 *Sed contra* et corp.; pp. 35[b] et 38[a].
(5) corp.; ed. Vivès, t. XIII, p. 226[b].
(6) 1 *Sed contra;* p. 276[b].
(7) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 13, lect. 3; ed Vivès, t. XXIX, p. 575[b]: *Et oportet et nos...*
(8) l. c.; p. 577[a]: *Dicit ergo primo quod...*
(9) *Ib.* « *unum* » pro « *unam* ».
(10) Apud D. THOMAM, *op. cit.*, cap. 13, lect. 3; ed. Vivès, t. XIII, p. 576[b]:... *assensum praehonoraverunt sicut exsuscitantes animam.... et omnem cogitationem.....*
(11) l. c.; p. 578[b]: *Et quia theologi consideraverunt..*
(12) *Ib.* « *exsuscitatur* » pro « *suscitatur* ».
(13) *Ib.* « *animae nostrae* » pro « *illi* ».
(14) *Ib.* « *aut* » pro « *et* ».
(15) *Ib.* additur: « *a* ».
(16) *Ib.* « *supra* » pro « *super* ».
(17) *Ib* « *cogitationem* » pro « *cognitionem* ».

Concludit D. Thomas expositionem huius libri *De divinis Nominibus* humiliter dicens (18): *Et nos post expositionem dictorum Beati Dionysii longe ab eius intellectu deficientes, corrigi de non recte dictis postulamus. Si quae autem bene dicta sunt, referendae sunt gratiae bonorum omnium largitori qui est Trinus et Unus Deus, vivens et regnans per omnia saecula saeculorum. Amen.*

Nota coniunctionem cum Deo in hac vita non esse, ut eius essentiam videamus, sed ut cognoscamus de Deo quid non sit. Vide resolut. 43.

(18) *Op. cit.*, cap. 13, lect. 4; ed. Vivès, t. XXIX, p. 580b.

EPISTOLAE S. DIONYSII AREOPAGITAE EPISC. ET MART. (1)

QUAS ETIAM PRO DOCUMENTIS MISTICIS POSSUMUS ACCIPERE

EPISTOLA I

QUAE POTEST ESSE DOCUM. LXXVII.

Caio Monacho.

In hac epistola dicit Sanctus Doctor ignorationem Dei, quam tradiderat in *Mystica Theologia*, non esse sicut tenebras, quae abolentur lumine, aut sicut ignorantiam, quae cognitione tollitur; sed quanto quis maiorem habet rerum notitiam ac lucem seu veritatis cognitionem, tanto magis ignota cernet esse illa quae de Deo loquuntur; non enim lumine vel cognitione manifestantur, sed potius latent. Quia ergo tota ista epistola documentum mysticum est, dividetur in sequentes propositiones.

1° Haec superlate et non privanter accipienda sunt.

2° Si quis, viso Deo, cognovit id quod vidit, nequaquam ipsum vidit, sed aliquid e rebus eius quae existunt et cognoscuntur.

3° Deus autem supra mentem et substantiam manens, per hanc ipsam negationem cognitionis et essentiae, et supra substantiam existit, et supra mentem cognoscitur.

4° Illa perfectissima in bonam partem ignoratio notitia est eius, qui est supra omnia quae in cognitione cadunt.

Circa primam vide quae diximus ad caput I *Theologiae Mysticae*, quaest.1.

Circa secundam, dubitabis quomodo videns Deum non cognoscat quod videt, cum sit idem videre et cognoscere? — Respondetur cum D. Thoma, III[a] part., quaest. 92, art. 1, ad. 3 et 4 (2): Dionysium non loqui de visione Dei in patria, sed de cognitione Dei in via; in via autem vel videmus per affirmationem concipiendo ipsum ad modum rerum creatarum seu per formas earum, vel videmus Deum per negationem et ablationem, ut dictum est in libro *De Theologia Mystica* fere per totum. Videre ergo Deum per affirmationem et positionem est cognoscere aliquid positivum et positive; quod autem sic cognoscitur est aliquid creatum, ad cuius similitudinem videmus Deum; unde nec illum videmus in se, nec cognoscimus sicuti est. Videre autem eum per negationem potius est non videre nec cognoscere, sed potius coniungimur eo ut ignoto; et hic est perfectior modus videndi et cognoscendi Deum in hac vita, quia saltem cognoscimus ipsum excedere omnia cognoscibilia. De quibus vide superius dicta ad caput I (3), maxime quaest. 7, 9, 10, 14, 20, etc.

Circa tertiam, quomodo Deus sit supra mentem et supra substantiam, diximus *Mystica Theologia*, quaest. 1, 37, 39, etc.

Circa quartam, quomodo ignoratio sit cognitio? patet ex dictis de cognitione per negationem; ignorando enim quid sit Deus, cognoscimus saltem esse aliquid excedens omnia cognita.

De hoc documento vide resolut. 41, 42, 43.

---

(1) Migne, P. G., t. 3, col. 1065 — 1120.

(2) Id est: *Supplement.*, quaest. 92, art. 1, ad 3 et 4.

(3) Id est: part. I, ad caput I libri *De Mystica Theologia.*

EPISTOLA II

ET DOCUMENTUM LXXVIII.

Eidem Caio Monacho.

In hac epistola quaerenti Caio quomodo Deus sit supra principium divinitatis et bonitatis (quod Sanctus Doctor dixerat et etiam explicuerat in libro *De divinis nominibus*, maxime cap. 11), respondet se non loqui de divinitate et bonitate quae sunt essentia Dei, sed de dono eius (nempe gratia) per quod deificamur et bonificamur.

Si quaeras quare non sufficiat ei dicere principium gratiae seu divinitatis participatae, sed supra principium; patet responsio ex dictis de *Theologia Mystica*, quaest. 2 : est enim principium, sed est supra principium ut a nobis cognoscitur.

Si autem quaeras quomodo gratia sit divinitas participata ut nos deificet; hoc pertinet ad scholasticos et de hac materia agunt cum D. Thoma I^{a} II^{ae}, quaest. 110, art. 3 et 4; et quaest. 112, art. 1; et quaest. 113, art. 9; et quaest. 114, art. 3; et II^{a} II^{ae}, quaest. 19, art. 7, et aliis pluribus locis. Vide resolutionem 42.

EPISTOLA III

ET DOCUMENTUM LXXIX.

Eidem Caio.

Quaerenti Caio quam vim habeat hoc adverbium « *repente* », quando dicitur de opere Incarnationis, forte *Malach.*, cap. III (4), respondet Sanctus Doctor : « *repente* » idem esse atque praeter spem et etiam quando quod hucusque erat obscurum, profertur in lucem.

Si quaeras quomodo Deus manifestetur per Incarnationem et quomodo etiam Incarnatio post istam manifestationem maneat mysterium occultum? Hoc ad alios pertinet. Explicat tamen hic Sanctus Dionysius et late theologi in III part., quaest. 1, agentes de cognoscibilitate huius Mysterii. Vide resolut. 19.

EPISTOLA IV

ET DOCUMENTUM LXXX.

Eidem Caio.

Explicat quomodo Christus, cum sit Deus, sit etiam homo. De quo etiam scholastici citati. Vide resolut. 19.

EPISTOLA V

ET DOCUMENTUM LXXXI.

Dorotheo ministro seu diacono.

Explicat quid sit caligo divina per sequentes sententias mysticas.

1° Divina caligo lux est inaccessa, quam inhabitare Deus perhibetur (4bis).

2° Et cum quidem sit inexspectabilis propter exuberantem supernaturalis luminis effusionem, ad hanc pertingit quisquis Deum nosse et videre meruit.

3° Eoque ipso quo neque videt, neque cognoscit, in illo vere qui visionem et cognitionem superat, existit.

Circa primam vide *Mysticam Theologiam*, quaest. 1.

Circa secundam, quomodo pertingat ad istam lucem inaccessibilem, qui Deum videre meruit, supra diximus intelligi de vidente seu cognoscente Deum in hac vita; qui melius eum videt, quando non videt aliquid in Deo, sed cognoscit esse prorsus invisibilis et incognoscibilis pro hoc statu quoad quid est.

Circa tertiam, quare dicat existere in Deo vere, quando quis neque videt, neque cognoscit, Perionius (5) pro

(4) v. 1.

(4bis) In ed. 1634 « *prohihetur* » pro « *perhibetur* ».

(5) *Opera S. Dionysii Areopagitae, Epistola V;* Lovanii 1566, fol. 169r: *Hoc ipso quod non cernit, neque cognoscit, vere in eo quod aspectum et cognitionem superat, versans, atque...*

« *existit* » legit « *versat* », id est, vere in Deo cognoscendo occupatur et exercetur; nam qui aliquid videt, potius existit, versat et occupatur in creaturis, quarum imaginem videt et ad cuius similitudinem Deum nititur cognoscere.

Vide resolutionem 42.

EPISTOLA VI

ET DOCUMENTUM LXXXII.

Sosipatro sacerdoti.

Monet illum, ut potius in veritate suadenda quam in falsis opinionibus oppugnandis laboret. Quia non eo ipso quod falsitas appareat, veritas innotescit; sicut non necessario cognoscitur esse hominem, qui cognoscitur non esse equum.

Ubi advertit D. Maximus (6) non improbari a Dionysio studia Patrum in haereticis refutandis, *sed non in hoc praecipuum studium ponendum esse ut contra alios dicatur, sed ut erudite et exacte veritatis ratio exponatur*, qua bene cognita, errores evanescent. Exemplum affert Nestorii, qui dum Arii et Apollinarii placita convellit, in alias aeque absurdas haereses declinavit. Una est enim via veritatis, at errorum plurimae; et qui ab uno errore declinat, in alium potest incidere; qui tamen veritatem sequitur, omnes errores devitat.

Vide resolut. 66.

EPISTOLA VII

PRO DOCUMENTO LXXXIII.

Polycarpo Antistiti.

Ne contentiose agat cum infidelibus, sed veritatem stabiliat, qua falsitates eorum corruant et ne etiam convitia eorum curet. Ubi etiam specialiter contra Apollophanem sophistam argumentum insinuat Polycarpo desumptum ex eclipsi miraculosa, quam ipse Apollophanes simul cum Dionysio, dum essent in Aegypto iuxta Heliopolim, tempore Passionis fuerat demiratus et fateretur divinarum rerum vicissitudines fuisse.

De hac mirabili eclipsi memineruntur (7) evangelistae Marcus, cap. XV (8) et Lucas, cap. XXIII (9) dicens: *Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque ad horam nonam, et obscuratus est sol.* De quo miraculo plura dicenda nobis erant, nisi hoc esset extra chorum saltare; breviter tamen liceat advertere plura mirabilia in hoc miraculo contineri. Primum, deficere solem per eclipsim seu per coniunctionem lunae cum ipso in eodem puncto eclipticae, cum tamen eo tempore luna distaret ab illo per dimidium caeli in plenilunio, scilicet quando Pascha a Iudaeis celebratur. Unde necesse fuit in ea hora totum cursum peragere, qui quindecim diebus peragendus erat. Secundum, eclipsim obumbrare totam terram, quod naturaliter non potest contingere; cum enim luna sit minor sole, non potest totum solare corpus operire; et cum sit in caelo seu in situ multo inferiori, solum potest facere umbram illis qui sub illa existunt in aliqua parte terrae directe situi lunae correspondente. Unde necesse fuit quod ab angelis impedirentur in orbe solari radii illi qui a luna comprehendi non poterant, vel quod ita compressi a sole exire cogerentur, ut omnes in corpus lunae inciderent, quod aliis magis placet; et denique quod non solum a luna impedirentur radii directe in ipsam tendentes, sed quod miraculose impediretur lux quae ex diversis partibus terrae posset percipi ob distantiam caeli vel situs solis sicut lunae. Tertium, durasse tenebras ab ho-

(6) *Scholia in epistolam VI S. Dionysii Areopagitae;* Migne, P. G., t. 4, col. 535.

(7) In ed. 1684, p. 578b, legitur: « *meminisse Evangelistae...* ».

(8) v. 33.

(9) v. 44-45; Hetzenauer, p. 1037:... *usque in horam....*

ra sexta usque ad horam nonam, nimirum per tres horas; quod naturaliter numquam accidit in eclipsibus, propter continuum motum horum duorum planetarum. Unde necesse erat quod luna saltem detineretur, ne suo breviori motu solem pertransiret. Quartum, quod Dionysius notavit his verbis (10): *Quomodo viderimus illum lunae occursum ab Oriente coepisse et usque ad solis extremitatem pervenisse, ac tum demum resiliisse, et rursum, non ex eadem parte occursum illum et recessum extitisse, sed ex adverso diametri, etc.* Res enim est insolita quod luna ab Oriente solem subeat; et mirabile est quod cum ab Oriente venerit, ad Orientem iterum recessisset. Quae summatim attigisse sufficiat.

EPISTOLA VIII

PRO DOCUMENTO LXXXIV.

Demophilo Monacho.

De propria operatione et clementia.

Exemplis monet mansuetudinem et clementiam, ipsumque Demophilum repraehendit quod acriter se gessisset adversus quemdam paenitentem et irreverenter respectu sacerdotis. Affertque visionem quandam Episcopi Carpi, qui, cum alias esset mitissimus et visionibus divinis adeo assuetus ut nunquam *sacros mysteriorum ritus auspicaretur, nisi prius ipsi inter praeparatorias orationes sacra quaedam et propitia visio apparuisset* (11), adeo tamen indignatus fuit quod infidelis quidam hominem alium iam fidelem ad errorem suum seduxisset, ut precaretur *Deum ut simul* (12) *amborum vitam fulgetro immisericorditer abrumperet* (13). Tunc vidit caelum apertum et Iesum ad ianuam stantem, infernumque etiam subtus terram apparentem, et ad voraginis ora homines illos trementes stare, et iamiam collapsuros plures serpentes et alii etiam homines praecipites dare moliebantur; quod scilicet Carpus gratanter videbat et postulabat fieri. Tunc Iesus extendens manum illos detinuit et Angelorum ministerio a periculo liberavit Carpoque dixit: *Manu iam extensa percute me, siquidem adhuc paratus sum denuo pro hominibus salvandis pati, illudque libentissime, ne demum alii homines peccent. Caeterum considera, num tibi expediat hanc istiusmodi hiatus et cum serpentibus mansionem Dei ac bonorum clementissimorumque Angelorum consortio praeferre* (14).

Additque Sanctus Dionysius (15). *Haec sunt, quae ego cum audiverim vera esse credo.*

Circa quam visionem quaeres unde collegerit Sanctus Doctor veram esse. Ratio dubitandi est primo, quia species huius visionis est subiecta fallaciis daemonum; non enim est visio intellectualis, cum tot figuris et imaginibus constet; visiones autem imaginariae deceptionibus sunt obnoxiae et multo magis corporales et externae, qualis ista videtur; enim non fuerit in raptu, immo dum Carpus orationi vacaret. Secundo, quia non bonus effectus secutus est Carpo ex illa, cum gauderet de periculo illorum hominum et eorum casum exoptasset. Tertio, quia excitabat Carpum ut percuteret Christum; quod Christus non debebat persuadere. Quarto, quia Christus dicebat se libenter iterum pati sustinere ne homines peccarent; cum sine peccato iterum illum crucifigentium non posset hoc fieri.

Dicendum tamen est pluribus rationibus potuisse sibi persuadere Dionysium revelationem istam fuisse veram. Prima est qualitas subiecti seu ipsiusmet Carpi, quem Sanctus Doctor dicit insigni puritate praeditum et

(10) §. 2; Migne, P. G., t. 4, col. 1082.

(11) §. 6; Migne, P. G., t. 4, col. 1098.

(12) « *semel* » in ed. 1684, p. 579a.

(13) §. 6; Migne, P. G., t. 4, col. 1099:.... *fulgetro quopiam immisericorditer...*

(14) *Ib.*

(15) *Ib.*: ... *audierim vera...*

ad contemplationem aptissimum. Secunda, fuisse valde assuetum similibus theophaniis et apparitionibus, quod multum interest ad melius discernendas bonas a malis. Tertia, visionem non esse alias oppositam Scripturae sacrae aut bonis moribus, immo ordinatam ad exercitium clementiae et caritatis. Quarta, non esse de re vana et otiosa, immo valde utili tum ad instructionem fidelium, tum ad removendos a Carpo illos affectus indignationis, etc.

Unde ad primam rationem dubitandi fatemur non esse revelationem intellectualem, sed vel imaginariam, vel externam, et proinde subiectam deceptionibus; sed non inde sequitur deceptionem inveniri in ea, cum a potentia ad actum non valeat argumentatio. Ad secundam, illas affectiones malas non fuisse effectus illius revelationis, sed ortas ex zelo indiscreto quem iam antea mente conceperat. Ad tertiam, verba illa Christi « *percute me* » non erant ad suadendam percutionem, sed ad ostendendum paratum magis esse Christum ad similia patiendum quam ad homines illos ita crudeliter statim condemnandos. Ad quartam dicit Pachymaera (16): *Illud « ne alii homines peccent » supplendum crucifixores, ac si diceret: paratus sum iterum pati, tantum non per homines, ut ne rursus peccent homines;* et videtur congruere littera Perionii (17): *Mihi hoc pergratum est, dum alii homines non peccent.* Sed non est cur veniamus ad has legendi angustias; quod enim Christus libenter iterum paratus sit pati ne homines peccent, non est velle peccatum crucifixorum; sicut nec cum primo et semel mortuus est, hoc peccatum voluit, sed permisit. Maxime quia si vellet, posset iterum pati sine peccato crucifigentium, qui poterunt ex ignorantia omnino invincibili hoc facere. Hanc dubitationem hinc excitavi, ut ex illa et alibi dictis inferatur quid circa alias similes visiones dicendum sit, ceteris paribus, Vide resolution. 57.

EPISTOLA IX

PRO DOCUMENTO LXXXV.

Tito Episcopo roganti quae sit domus sapientiae, quis crater, et quisnam cibus eius et potus?

Respondet explicans diversa symbola quae in scripturis reperiuntur; et advertit (18) *duplicem esse traditionem theologorum: unam quidem arcanam et mysticam, alteram vero apertam et manifestiorem; illam quidem symbolicam et ad mysteria pertinentem, hanc vero philosophicam et demonstrantem esseque arcanum cum aperto connexum.* Deinde veniens ad interrogatum, iuxta illud (19): *Sapientia aedificavit sibi domum, etc.*, duplicem escam dicit proponi a divina sapientia (20): *unam solidam atque durabilem, aliam vero liquidam et fusilem*, quam propinat in cratere, quem propter rotunditatem interpretatur de divina ac generali providentia. Quod vero attinet ad mysticam doctrinam,

Primum est (21), *solidum cibum intellectilis ac perseverantis perfectionis et identitatis signum praeseferre, quo spiritales isti sensus secundum constantem ac potissimam et singularem illam individuam scientiam divina participant; quos divinissimus quoque Paulus solidi vere cibi a sapientia accepti participes facit.*

(16) *Paraphrasis in epistolam VIII S. Dionysii Areopagitae*, fine; Migne, P. G., t. 4, col. 481-482: *Illud item*, Dum non alii homines peccent: *supplendum est, crucifigant, ac si diceret: Paratus sum pati iterum, tantum non per homines, ut ne rursus peccent homines.*

(17) *Opera S. Dionysii Areopagitae, Epistola VIII;* Lovanii, 1566, fol. 180r: *Mihique hoc...*

(18) § 1; Migne, P. G., t. 4, col. 1106:... *estque arcanum...*

(19) *Proverb.*, c. IX, v. 1.

(20) § 3; Migne, P. G., t. 4, col. 1110.

(21) § 4; Migne, P. G., t. 4, col. 1111: *Solidum illum cibum...*

Secundum (22), *liquidum cibum significare doctrinam illam profusam, quae dum per omnia vagatur, simul etiam per varia illa multipliciaque signa ad simplicem et constantem Dei cognitionem, eos quos nutrit, per accommodatam cuiusque captui bonitatem manuducit.*

Notandum in primis est mysticam theologiam seu mysticam traditionem theologorum, quam opponit apertae et manifestae, non esse mysticam theologiam quam in libro peculiari, de quo supra tractavimus, tradiderat (23); sed symbolicam, quam ideo appellat mysticam, quia sub cortice aperto abscondit arcana mysteria; quod etiam alibi tetigimus. Quid autem sit symbolica theologia explicuimus ad caput III *Mysticae Theologiae*, quaest. 35.

Quaeres ergo *primo*, quomodo haec divisio cibi solidi et liquidi applicetur a mysticis ad contemplationem? — Respondeo: per cibum liquidum, qui est veluti lac puerorum, intelligunt meditationem, per quam ex creaturis ad Creatorem ascendimus; quem ideo dicit liquidum, quia per omnia divagatur. Cum autem iam animam iste cibus liquidus taedet, signum est iam vocari ad cibum solidum gustandum, nempe ad contemplationem mysticae theologiae, ubi constanter permanet in illa obscura cognitione Dei. Quam applicationem late prosequitur noster Iosephus a Iesu Maria in *Ascensu*, part. I, lib. I., cap. 7 (24); et aliam ex verbis Sancti Dionysii in hac epistola prosequitur et accommodat *ibidem*, cap. 10 (25); et iterum cap. 30 (26); et lib. II, cap. 4 (27); et lib. III, cap. 22 (28); in quibus locis principaliter loquitur de contemplatione per actum fidei universalem et simplicem, quam appellavimus in prooemio *Mysticae Theologiae* (29) theologiam mysticam acquisitam.

Quaeres *secundo*, quomodo haec cohaereant cum iis quae idemmet auctor dicit in II part., lib. I, cap. 2 et 5 (30), ubi loquendo de recollectionibus infusis sensibilibus et de suavitatibus illarum, praedictas suavitates modo appellat cibum solidum, modo liquidum ex hac doctrina Sancti Dionysii, quem citat? — Respondeo: in I^a parte directe applicari istas differentias cibi ad contemplationem et ad meditationem sensibilem, de quibus clarius agit Sanctus Dionysius; et in II^a parte applicari nomina ista affectibus earum, nempe ad suavitatem spiritualem quae provenit a contemplatione intellectuali; quam ideo appellat cibum solidum, quia provenit a cibo solido, qualis est praedicta contemplatio; et ad suavitatem sensibilem, quam vocat cibum liquidum, quia licet proveniat a dono sapientiae, diffunditur ad sensus corporis, quibus proprie convenit cibus liquidus. Non enim est inconveniens eadem nomina applicare vel causae, vel effectibus, vel alicui simili.

Vide resolutiones 61 et 65.

EPISTOLA X

ET DOCUMENTUM LXXXVI.

Ioanni Theologo, Apostolo et Evangelistae in Patmo exsulanti.

Prophetice illi praedicit celeriter liberandum esse ab exsilio et in Asiam rediturum. Aliqua etiam obiter dicit ad mysticos pertinentia.

---

(22) *Ib.*: *Liquidum vero cibum...*

(23) Scilicet in libro *De Mystica Theologia.*

(24) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 7; ed. 1694, pp. 13^b-14^b.

(25) pp. 23^a-27^a.

(26) pp. 87^b-89^a.

(27) pp. 118^b-121^b.

(28) pp. 205^b-210^b.

(29) quaest. 6.

(30) Ioseph a Iesu Maria, C. D., *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. I, cap. 2 y 5; ed. 1694, pp. 215^b-217^a; 224^b.

1° *Revera quae videntur manifestae sunt imagines eorum quae non videntur* (31).

2° *Non ita demens sum, ut arbitrer vos quidquam pati; immo vero passiones corporis hac ex parte tantum sentire credo, ut easdem sensu tenus percipiatis* (32).

3° *Utique sum fide dignus, quando praecognita tibi a Deo et disco, et refero, te nimirum ex Patmi ergastulo liberatum iri et in Asiam reversurum* (33).

Circa primum notandum est: creaturas visibiles esse imagines rerum spiritualium et invisibilium; non tamen eas vocare Sanctum Dionysium imagines *manifestas*, quasi manifestent res cuius sunt imagines, sed quia ipsae in se sunt nobis manifestae et visibiles. Possumus etiam dicere eas clare et manifestative significare quasi arguitive et *quoad an est;* v. gr. sol clare manifestat esse aliquem Creatorem, non tamen quid ipse Creator sit. De quo vide quaest. 6 ad caput I *Theologiae Mysticae.*

Circa secundum, dum dicit quod non patiatur nisi secundum sensum, non sequitur quod in parte spirituali possit passio proprie inveniri, qualiter dicuntur passiones actus appetitus sensitivi qui fiunt cum immutatione corporis; sed magis ample pro quibuscumque afflictionibus et anxietatibus etiam spiritus. Licet enim viri spirituales et perfecti, qualis erat Ioannes, percipiant dolores et labores corporales, *ne maneant incoronati* (ut ait Pachymera) (34), non ideo anima patitur tristitiam et afflictionem, sed in gaudio patiendi pro conformitate Christi et exsecutione voluntatis divinae pacifice laetatur, iuxta illud (35): *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Circa tertium dices: si Ioannem in Patmo Deus dignatus est Apocalypsi tot visionum et revelationum, etiam credendum est prophetice cognovisse quando ab exsilio fuisset revocandus, ut ipsemet Dionysius supponit. Non ergo debuit illi suam revelationem detegere, quae sine iusta causa publicandae non sunt. — Respondeo: quamvis Ioannes plures habuerit revelationes, non necessario habuisse istam de sua liberatione; non enim Deus omnia omnibus revelat; immo sicut immediate illuminat prophetas de illis quae ad alios spectant, ita solet ipsos illuminare per alios de rebus quae ad ipsosmet pertinent. Unde non otiose illi communicatur revelatio ista, vel quia potuit non cognoscere, vel quia poterat cognoscere cum minori evidentia et cum aliqua dubitatione et formidine, a qua tolleretur per conformitatem revelationum, vel denique quia potuit Dionysius imperari seu impelli a Deo ut id Ioanni communicaret, etc.

Vide resolut. 36, et 60, et 91.

---

(31) Migne, P. G., t. 4, col. 1118.

(32) *Ib.*: *Equidem haud ita demens...*

(33) col. 1119.

(34) *Paraphrasis in epistolam X S. Dionysii Areopagitae;* Migne, P. G., t. 4, col. 507: *Ne maneas incoronatus.*

(35) *Act. Apost.*, c. V, v. 41; Hetzenauer, p. 1071: *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni...*

APPENDIX

DUBITATIONUM ET RESOLUTIONUM MYSTICARUM

CIRCA UNIVERSAM DOCTRINAM I ET II PARTIS HUIUS LIBRI

Quia documenta mystica ex diversis Sancti Dionysii libris hinc inde collecta non poterant ibi disponi eo methodo et ordine quem materia postulat, operae pretium visum fuit dubitationes et resolutiones quae vel ex illis, vel etiam ex quaestionibus in prima parte disputatis exorirentur, in fine totius operis reservare, ut non solum luculentius innotescant quae ad doctrinam mysticam et totius vitae spiritualis seriem spectare videntur, sed eo etiam ordine proponantur quo ut in plurimum et ab expertis solent exerceri et ab auctoribus pertractari. Ne autem, dum eas resolverimus, actum agamus, illae quae indigebunt expositione, hic breviter elucidabuntur; quae vero iam superius remanent explicata, suis locis videnda remittentur.

DUBITATIO I

QUISNAM SIT FINIS ET SCOPUS VITAE CHISTIANAE ET QUIS RELIGIOSAE, PRAESERTIM CARMELITANAE, QUIBUSQUE INDIGEAT ASSECUTIO EIUS?

RESOLUTIO I.

Vitae christianae finis ultimus beatitudo aeterna est, ad quam per gratiam et caritatem pervenitur.

Haec resolutio colligitur ex documento XXIV, ubi Sanctus Doctor dicit salutem nos consequi per deificationem; quam quidem fieri per gratiam et caritatem constat ex ibi dictis atque etiam ex documento LXXVIII. Cum autem dicit caritatem esse finem omnis hierarchiae, loquitur de fine non ultimo, sed de illo qui ad ultimum est medium. In quo etiam sensu D Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 27, art. 6, ad 3, appellat actum caritatis finem ultimum, nimirum respectu huius vitae et non aeternae, ut explicant nostri Salmanticenses, *In I^{am} II^{ae}*, tract. IX, disp. 1, num. 89 (1).

RESOLUTIO II.

Religiosae vitae licet sit idem finis ultimus ac vitae christianae, finis tamen non ultimus seu qui est medium ad illum, non caritas utcumque, sed perfectio caritatis est seu tendentia ad illam.

Haec colligitur ex documento XXXVII, ubi Sanctus Dionysius monachos etiam non sacerdotes sacerdotibus dicit propinquari et perfectiores esse aliis christianis, eo quod omnibus mundi bonis renuntient; in hoc enim conveniunt omnes religiosi per tria essentialia vota: nam per votum paupertatis bonis utilibus et externis se abdicant, per votum castitatis bonis delectabilibus et internis corporis, per votum obedientiae bonis animae in-

(1) Tract. IX, disp. 1, dub. 4, num. 89, § *Locus vero;* ed. Palmé, t. V. pp. 252^{b}-253^{a}.

trinsecis, nimirum voluntate et libertate. Cum ergo sint in statu perfectionis, licet non obligentur ad habendam perfectionem caritatis, sicut obligantur episcopi, tenentur tamen illam procurare et ad illam tendere per generalem votorum et per specialem regulae propriae observationem. Legendus noster Alphonsus a Iesu Maria in praeclaro illo opere Matriti edito anno 1613, cui titulus *Doctrina religiosorum*, etc., part. II, cap. 8 (2).

RESOLUTIO III.

Perfectio caritatis, quae est finis omnium religiosorum, coincidit cum sanctitate perfecta, ad quam requiruntur tres gradus munditiei: scilicet, liberae, perfectae et immaculatae.

Hoc colligitur ex documento LXXIV, ut ibi explicatur a D. Thoma. Ratio potest esse: quia cum sanctitas seu gratia et caritas possit augeri in intensione usque in infinitum syncategorematice, non potest ex parte intensionis sumi perfectio totalis eius in hac vita, sed magis ex parte munditiae a (2^{bis}) vitiis et culpis, a quibus liberat omnino dum est in statu perfecto modo explicato a D. Thoma ad idem documentum et in I *Sent.*, dist. 10, quaest. 1, art. 4 (3); et in III *Sent.*, dist. 3, quaest. 1, art. 1 (4) quod etiam tangit II^a II^{ae}, quaest. 81, art. 8 (5), ubi dicit sanctitatem ex nomine graeco *agios* idem esse ac sine terra seu inquinamento.

Potest tamen status caritatis perfectae aliter explicari iuxta eundem D. Thomam, II^a II^{ae}, quaest. 24, art. 9 et quaest. 183 ,art. 4 et 184, art 2, de quo redibit sermo dubitatione II, loquendo de caritate incipientium, proficientium et perfectorum.

Obiicitur *primo*: Tertius gradus munditiae requisitus ad perfectam sanctitatem est ut nihil sit extrinsecus quod animam possit maculare, ut explicatur in eodem documento. Sed non posse maculari non pertinet ad statum huius vitae. Ergo non possumus in vita obtinere illam perfectam sanctitatem. — Respondetur distinguendo minorem: si illud « *non posse* » sumatur in toto rigore impossibilitatis, concedo; si magis late pro summa difficultate, nego; haec enim est quaedam impossibilitas moralis, in quo sensu dicitur *ad Hebr.*, VI (6): *Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, etc.;* ac si dicat: difficile est valde; quippe qui perfecti sunt in caritate, iam non moventur amplius sicuti antea ab obiectis, v. g., libidinosis, nec facile possunt moveri.

Obiicitur *secundo*: Si finis proximus omnium religionum est perfectio caritatis, non poterit quis consequi ultimum finem beatitudinis, nisi qui fuerit perfectus; quod non est admittendum. Probatur sequela: quia finem ultimum non quis consequitur, nisi consequatur finem non ultimum, qui est medium ad illum. — Respondetur negando sequelam. Ad probationem distinguo: quando finis intermedius, ut adeptus, est medium omnino necessarium, concedo; quando tale non est, nego. Iam ergo licet perfectio caritatis sit medium utilissimum ad gloriam consequendam, non tamen est medium omnino necessarium; sed necessaria omnino est caritas tam laicis quam religiosis; ac praeterea religiosis necessaria est tendentia in perfectionem caritatis, licet de facto illam non assequantur.

---

(2) *Doctrina de religiosos, en que se trata de la perfeccion*, part. II, cap. 8; Madrid, 1613, pp. 160-171.

(2bis) « *a* » deest in ed. 1684.

(3) Ed. Vivès, t. VII, pp. 140b-141b. — Cf. praesertim *ib.*, ad 4, p. 141b. — In ed. 1684, p. 582a, erronee legitur: « *quaest.* 4 ».

(4) Ed Vivès, t. IX, pp. 49a-52a. — Cf. praesertim *ib.*, qla 1, corp., p. 50b.

(5) corp.

(6) v. 4; Hetzenauer, p. 1167: *Impossibile est enim eos,...*

RESOLUTIO IV.

Religiosis Carmelitis finis proximus et primarius quo tamquam medio necessario debent perfectionem procurare, est vita contemplativa; finis vero minus principalis et secundarius, vita activa per exercitia subveniendi proximis spiritualiter.

Haec resolutio quoad primam partem colligitur ex documento XXXVII, ubi Sanctus Doctor loquendo de monachis (qui tunc temporis non erant alii nisi Carmelitae) dicit quod cum uno coniungi debeant et cum sacra monade colligi; in quo videtur significare vitam contemplativam, quae nos colligit a multitudine et coniungit Deo. Et etiam colligitur ex eo quod ibi dicit monachum abrenuntiare non solum vitiis et rebus mundanis, sed etiam visionibus seu cogitationibus illarum, utpote qui cogitationes mentis in caelestibus debeat solum occupare, iuxta illud quod in Regula Carmelitarum (7) praecipitur: *Maneant singuli in cellulis suis, vel iuxta eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes.*

Ille igitur finis proximus competit Carmelitis quatenus monachi proprie sunt; quatenus vero mendicantes, quod postea fuerunt, habent etiam pro fine minus principali et secundario exercitia vitae activae iuxta praescriptum obedientiae. Quod licet non colligatur directe ex illo documento Dionysii, colligitur tamen indirecte; si enim ex illa parte qua sunt proprie monachi, debent incumbere vitae contemplativae; ex alia parte in qua deficiunt a ratione propria monachorum, debent participare in exercitiis aliorum religiosorum qui vitam activam profitentur.

Si autem quaeras quaenam actiones sint propriae vitae contemplativae, quaenam activae et quaenam etiam mixtae. — Respondeo breviter: actionem propriissimam vitae contemplativae esse contemplationem divinae veritatis; deinde contemplationem operum Dei; deinde opera mentalia quae ad hoc conducunt: ut lectio, meditatio, gratiarum actio, petitio, etc.; denique illa etiam opera vitae activae quae aliquomodo possunt mentales istas operationes adiuvare, ut exercitia virtutum moralium, mortificationes, ieiunia, asperitates, etc.

Operationes vitae activae vel sunt quae pertinent ad emendationem propriam: ut mortificatio, vitae asperitas, exercitia etiam virtutum moralium, non ut respiciunt contemplationem, sed extirpationem vitiorum et passionum moderamen; vel sunt quae pertinent ad proximorum utilitatem spiritualem vel etiam corporalem: ut praedicare, docere, visitare infirmos et cetera misercordiae opera.

Operationes vitae mixtae ex contemplativa et activa utrasque complectuntur, magis vel minus principaliter istas aut illas secundum quod principalius utramque ex illis amplectitur. De quibus videantur e nostris Ioannes a Iesu Maria in *Schola orationis* sub initium (8) et Alphonsus a Iesu Maria, cap. 5 et 6 libri supra citati, part. III (9); Alvarez de Paz, tomo I *De vita spirit.*, lib. II (10) et communiter auctores cum D. Thoma IIª IIᵃᵉ, quaest. 179; et quaest. 180, art. 2; et 181, art. 1; et multis aliis locis.

RESOLUTIO V.

Ad vitam spiritualem sectandam solent homines movere et excitare vitae brevitas ac mortis incertitudo

---

(7) MONSIGNANUS (ELISEUS—), O. Carm., *Bullarium Carmelitanum*, Romae, 1715, t. I, p. 9ᵇ.

(8) *Schola in qua de oratione, contemplatione,... praecepta traduntur; Tract. de Religionis nostrae instituto, deque huius fine,...*, notabile V; ed. 1650, t. II, p. 542; ed. 1771-1774, t. II, p. 506.

(9) *Doctrina de religiosos, en que se trata de la perfeccion*, part. III, cap. 5 y 6; Madrid, 1613, pp. 257-288.

(10) *De perfectione vitae spiritualis*, lib. II; *Opera*, ed. Vivès, 1875-1876, t. I, pp. 194a-442b.

et certitudo, diversitasque illius in bonis et malis, atque pro certo habere exercitia spiritualia quae nunc in vita displicent ob sui difficultatem, in morte tandem valde placitura.

Haec resolutio habetur in documento XXXVIII, ubi poterit videri; nec est cur in hac doctrina adeo certa et comperta omnibus amplius explicanda immoremur.

RESOLUTIO VI.

Vitam aggrediens spiritualem certus debet esse se non posse simul Deo et mundo servire, et proinde non has vel illas solum mundi affectiones relinquendas, sed penitus omnes.

Hoc colligitur ex documento XXVII. Cuius ratio est: quia licet cum caritate bene stare possint affectiones aliquae rerum temporalium, dummodo quis non ponat in illis suum ultimum finem, impediunt tamen fervorem caritatis et nec minima illarum potest compati cum caritate perfecta, ut enim dicit Augustinus citatus a D. Thoma II^{a} II^{ae}, quaest. 184, art. 2 (11): *Venenum charitatis est cupiditas, perfectio nulla cupiditas.* Hae autem affectiones licet quoad actum facilius possint impediri, eradicare tamen eas quoad habitus et inclinationes opus est perfectissimum et admodum difficile, ad quod tandem pertingitur ex divina gratia per exercitia viae purgativae, illuminativae et unitivae; de quibus agemus dubitatione II.

RESOLUTIO VII.

Requiritur etiam animus fortis, resolutus, et constans, semperque de profectu sollicitus.

Colligitur ex documento XXVIII. Ratio eius est: quia principium vitae spiritualis laboribus et tentationibus plenum est; medium licet aliquantum suavius, periculis tamen et difficultatibus obnoxium; terminus vero licet multo deliciosior et gloriosior, ipsa tamen maiestate et dignitate sua terribilis existit. Quae omnia non nisi eximia fortitudine ac magnanimitate constantique perseverantia vincenda sunt, ut ex peculiaribus exercitiis cuiusque viae amplius ex dicendis patebit.

RESOLUTIO VIII.

Ad exercitium vitae contemplativae requiritur quoque summa mentis tranquillitas, ac proinde silentium et recessus ab omni mundi strepitu.

Hoc colligitur ex documento XIII. Cuius ratio est: quia si huiusmodi tranquillitas requiritur ad quodcunque studium etiam speculativum, quanto magis ad contemplativum, in quo mens supra seipsam debet elevari ut Deo soli inhaereat. Ad hanc igitur tranquillitatem tam intrinsecam quam extrinsecam valde conducit silentium et recessus; *In multiloquio* enim, ait Salomon, *Proverb.*, X cap. (12), *peccatum non deerit.* Hinc Ieremias, cap. III *Thren.* (13): *Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei;* et iterum (14): *Sedebit solitarius et tacebit quia levavit super se.* Et *Osee*, II cap. (15): *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius, etc.*

RESOLUTIO IX.

A fortiori debent silentio celari tam virtutes propriae quam etiam visiones, illustrationes et communicationes divinae, ne vanitatis aurae exponantur.

(11) corp. — Apud Sanctum AUGUSTINUM, *De diversis quaestionibus* LXXXIII *liber unus*, quaest. 36, num. 1; Migne, P. L. t. 40, col. 25: *Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis; perfectio, nulla cupiditas.*

(12) v. 19; Hetzenauer, p. 573: *In multiloquio non deerit peccatum.*

(13) v. 26.

(14) *Ib.*, v. 28.

(15) v. 14.

Colligitur ex documento XXXI. Quod patet ex illius expositione et communi doctrina Sanctorum Patrum.

RESOLUTIO X.

Cum hoc tamen stat, ut semper nos alios exemplo boni operis edoceamus, immo etiam verbis et doctrina, quando ex officio vel caritate tenemur; in hoc enim angelorum nomen consequimur atque imitationem Dei, in qua perfectio hierarchica consistit.

Hoc habetur in documento VI, VII et XI. Nec indiget ampliori explicatione.

RESOLUTIO XI.

Stat etiam cum illo silentio, ne mentes nostras atque internas eius affectiones et illustrationes praelatis et magistris celaveris, cum inferiores a superioribus debeant illuminari.

Sicut habetur in documento IX.

De necessitate ductoris et magistri in hac via spirituali tam ardua, tam laboriosa et tam sensibus abdita nullus est qui ambigat estque Sanctorum et doctorum omnium generale consilium; de quo praeter alios infra adducendos videatur B. Vincentius Ferrerius in *Tract. de vita spirituali* (16); ubi non solum dicit brevius et facilius ad perfectionem pertingere qui habuerit instructorem, quantumvis ipse vigeat acumine intellectus et librorum studio; sed addit: *quod numquam Christus suam gratiam ministrabit, si homo habet a quo possit instrui, et negligit, credens sibi sufficere.* Videatur Laurentius Iustinianus, lib. *De obedientia*, cap. 20 (17); Bernardus, *serm.* 77 *in Cantica*, 3 (18); Cassianus, col. II, cap. 11 (19); et alii communiter.

RESOLUTIO XII.

Qui alios purgare debent exemplo et doctrina, purgatissimos eos esse convenit; qui alios illuminant, lucidissimos; qui alios perficiunt, perfectissimos.

Colligitur ex secunda parte documenti X; in quo videtur loqui de magistris spiritualibus, qui non solum debent esse doctissimi, sed in rebus mysticis expertissimi, ut inter alios docet V. P. Bartholomaeus a Martyribus in II parte *Compendii spirit.* (20); Dionysius Cartusianus, *De fonte lucis*, art. 13 (21); Suarez, lib. II *De oratione*, cap. 10, num. 8 (22); et alii tam extranei quam nostri, quos refert P. Fr. Nicolaus a Iesu Maria in *Elucidatione* saepius citata, part. I, cap. 7 (23). Ubi etiam probat plus pollere in hac arte simplices expertos quam litteratos sine experientia. Si autem aliquis qui simul doctrinam cum experientia coniungat, non inveniatur, tunc facienda est electio non ex « *semi-litteratis* », quos vocat nostra Seraphica Mater cap. 5 *Vitae* suae (24) et *Mansione* V, cap. 1 (25);

(16) *De vita spirituali tractatus*, part. II, cap. 1; *Opuscula ascetica*, ed. nova, curante R. P. Mattheo-Joseph Rousset, O. Pr., Parisiis, 1899, p. 34: *Imo plus dico, quod nunquam Christus, sine quo nihil possumus, suam gratiam ministrabit, si homo habet a quo possit instrui, et deduci; et negligit, vel non curat alterius ductum amplecti, credens sibi sufficere, et per se posse investigare, et invenire quae sunt utilia ad salutem.*

(17) *Opera omnia*, Venetiis, 1721, pp. 538b-539b.

(18) num. 6; Migne, P. L., t. 183, col. 1158.

(19) *Collationes XXIV*, collat. II, cap. 11; Migne P. L., t. 49, col. 538-542.

(20) *Compendium spiritualis doctrinae ex variis ss. Patrum sententiis magna ex parte collectum*, part. II, cap. 10 et 12; *Opera omnia*, Romae, 1734-1735, t. I, p. 134 et 146-149.

(21) *De fonte lucis ac semitis vitae*, art. 13; *Opera omnia*, ed. crit., t. XLI, p. 111.

(22) *De virtute et statu religionis* (i. e. t. II *De religione*), tract. IV *De oratione, etc.*, lib. II, cap. 10, num. 8; ed. Vivès, t. XIV, p. 162b.

(23) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce elucidatio*, part. I, cap. 7, § 2; ed. 1639, pp. 56-58.

(24) *Vida*, cap. 5, §. *Venido;* ed. crit., t. I, p. 28: *Confesores medio letrados.*

(25) *Moradas V*, cap. 1, §. *De esto;* ed. crit., t. IV, p. 73: *Medio letrados.*

sed ex viris doctissimis tam in theologia scholastica quam in sacra Scriptura et in Sanctorum Patrum et mysticorum lectione, qui quidem licet doctrinam istam ex propria experientia non didicerint, ex mente aliorum de ea saltem iudicium ferre poterunt. Si autem is fuerit praelatus, licet minus sit eruditus et expertus, confidat subditus quod Deus per eius os eum erudiet et de omnibus sufficienter edocebit.

DUBITATIO II

QUOTUPLEX SIT VIA QUA NOBIS AD PERFECTAM CONTEMPLATIONEM ET CUM DEO UNIONEM INCEDENDUM?

RESOLUTIO XIII.

Quamvis via perfectionis una sit, in tres veluti vias seu potius partes solet dividi: nimirum in viam purgativam, illuminativam et unitivam.

Hoc colligitur ex documento IX; ubi loquitur Sanctus Dionysius de illis qui purgantur et purgant, illuminantur et illuminant, perficiuntur et perficiunt. Prius enim purgandus est animus in via purgativa, deinde illuminandus in illuminativa et tandem perficiendus in unitiva. Ut enim *ibi* docet Hugo Victorinus (1): *Cognitio veritatis non nisi mundos illuminat, et perfectio virtutis non nisi illuminatis... appropinquat.*

Colligitur etiam ex documento XLVI, quod melius potest applicari ad viam purgativam, illuminativam et unitivam passivam seu quae Deus supernaturaliter operatur in nobis, iuxta expositionem D. Thomae ad hunc locum (2). Sciendum enim est vias istas vel posse esse activas, quando scilicet ex industria et labore nostro cum auxiliis generalibus gratiae purgationi, illuminationi et perfectioni incumbimus; vel posse esse passivas, quando ex influentia divina et supra nostrum modum humanum purificamur, illuminamur et perficimur. Et ideo de utrisque in sequentibus dubitationibus sigillatim agendum.

Coincidit ergo haec divisio viae perfectionis cum illa divisione status caritatis, nimirum incipientium, proficientium et perfectorum, quam tradit D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 24, art. 9, secundum diversa studia eorum qui gradus istos caritatis habent. Nam incipientes student principaliter in resistendo concupiscentiis et tentationibus quae opponuntur caritati, quod pertinet ad viam purgativam; proficientes vero principaliter intendunt proficere in caritate per acquisitionem virtutum, quod pertinet ad viam illuminativam; perfecti vero licet etiam in caritate proficiant, non est haec eorum cura principalis, sed Deo inhaerere et eo frui et quiescere, quod pertinet ad viam unitivam. Et haec distinctio fit per analogiam tum ad distinctionem diversarum aetatum hominis secundum diversas operationes et studia, tum ad motum corporalem, in quo primum est recessus ab uno termino, deinde appropinquatio ad alium terminum, et denique quies in termino.

Obiicitur *primo*: Qui purgatur a vitiis resistendo cupiditatibus et tentationibus, simul adquirit virtutes quibus vitia expelluntur et simul exercetur in amore Dei, propter quem sic resistit et purgatur. Similiter qui virtutes acquirit, simul resistit vitiis et expellit et simul in caritate exercetur. Similiter etiam, qui in caritate perfectus ad unionem aspirat vel illam consequitur, non ideo desinit resistere tentationibus et concupiscentias coërcere et virtutes augere, etc. Ergo in qualibet via reliquae continen-

(1) Cf. supra, docum. IX.

(2) Cf. supra, docum. XLVI.

tur et non distinguuntur per exercitia. — Respondetur negando consequentiam. Quia non distinguuntur per omnia exercitia, sed penes principaliter intenta in quolibet statu. Cum enim incipientes principaliter intendant conservare et defendere caritatem a contrariis, ideo sunt in via purgativa, licet simul virtutes acquirantur dum vitia expurgantur, etc. Similiter, licet proficientes acquirendo virtutes vitia etiam expellant, ideo sunt in via illuminativa et proficientium, quia principaliter incumbunt augmento caritatis per virtutum exercitia et imitationem Christi. Et denique, licet perfecti multoties opera incipientium et proficientium exsequantur, sunt in via unitiva perfectorum, quia principaliter intendunt Deo inhaerere et ipso frui tam per unionem in hac vita quam per gloriam in patria. Sicut qui logicam didicit, licet simul in materia syllogismorum propositiones physicas aut metaphysicas, attingat, non ideo dicitur metaphysicus, sed logicus; quia principaliter intendit scire conficere syllogismos, etc. Et licet metaphysicus definiat, dividat et argumentetur, non ideo desinit esse Metaphysicus; quia non est eius cura principalis facere huiusmodi instrumenta, sed obiectum suum agnoscere.

Obiicitur *secundo*: In via perfectionis quinque solent stationes assignari. Ergo non tres vias, sed quinque distinguere debemus. Probatur consequentia: quia quaelibet via sistit in sua statione tanquam in termino saltem intermedio. Antecedens probatur: quia primo, post vocationem solent tirones devotione repleri et deliciis gratiae sensibilis, ne resipiscant. Secundo, detinentur in purgatione partis sensitivae, ut praeparentur ad comtemplationem. Tertio, insistunt in illuminatione partis intellectivae per exercitium contemplationis et virtutum moralium. Quarto, in purgatione partis intellectivae, qua disponuntur de proximo ad unionem. Quinto denique, sistunt in perfecta cum Deo unione.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem distinguo: quaelibet via sistit in sua statione totali, concedo; partiali, nego. Iam enim statio vel quasi statio totalis viae purgativae est purgatio perfecta tam partis sensitivae quam intellectivae, et ideo licet inter unam et aliam stationem et viam partialem mediet via illuminativa, ad quam disponitur per purgationem sensibilem et per quam solet roborari ad laboriosam illam purgationem partis intellectivae, non ideo tam sensitiva quam intellectiva desinit esse via purgativa, licet diversa ex parte materiae et etiam ex parte finis proximi, nempe contemplationis et unionis, quod principaliter contingit in purgatione passiva, ad quam non solent introduci in parte intellectiva nisi illi qui ad unionem elevandi sunt. Et aliquando vel saltem potest contingere quod utraque purgatio coniungatur, si subiectum fuerit capax; aliquando etiam non ita continuate durat, sed interpolatur consolationibus, maxime in animabus quae a gratia non exciderunt vel quae non habent vitia nimium radicata in voluntate. De prima autem illa quae vocatur statio incipientium in deliciis devotionis sensitivae non multum curandum, hoc enim non tam conceditur ad progressum (immo impedit et detinet) quam ad impediendum regressum ad delicias saeculi; unde non debet in viis perfectionis computari. Legendi nostri Ven. P. Dominicus a Iesu Maria, qui de hac triplici perfectionis via opus edidit tripartitum *Sensentiarium spirituale* inscriptum, in quarum prima agit de via purgativa, in altera de illuminativa, in tertia de unitiva, Romae excussum anno 1622 et ibidem recussum anno 1676 (3), et

(3) *Sententiario spirituale, documenti, e pratiche affettive, nelle tre Vie della Perfettione Christiana, Purgativa, illuminativa, e unitiva.* Roma, 1676, 3 tomi in-4o, pp. 1-207; 1-215; 1-251.

gallice Parisiis anno 1625 (4), a Gregorio XV impense commendatum in Brevi suo incipiente *Pastoris aeterni*, anni 1623; Philippus a Ss. Trinitate in *Summa theologiae mysticae* (5) pluries laudata.

RESOLUTIO XIV.

Sicut in caelo dantur tres hierarchiae angelorum, et in qualibet tres ordines, et in quolibet ordine spiritus superiores, medii et infimi, ita in quolibet spiritu etiam humano dantur tres portiones: superior, quae est intelligentia et apex voluntatis; media, quae est ratio et voluntas; infima, quae est pars sensitiva tam cognitiva quam appetitiva; quibus aliqualiter correspondent viae supradictae; nam incipientes magis exercent partem infimam, proficientes partem mediam, perfecti partem supremam; priusque purgatur, illuminatur et perficitur suo modo pars inferior quam media et haec quam suprema, et purgatio magis censetur in parte infima, illuminatio in media, perfectio in suprema. Et quo maior fuerit purgatio, maior erit illuminatio; et quo maior illuminatio, maior erit perfectio.

Haec omnia possunt colligi ex documento XXI. Et de tribus portionibus animae: infima, media et suprema, egimus in *Catena*, col. I, prop. I, resp. 3 (6). Nam de parte superiori et inferiori animae quatenus superior includit intellectum et voluntatem, inferior vero sensus et appetitus sensitivos, magis apparet distinctio secundum illud Apostoli (7): *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem.* De ratione vero superiori et inferiori in parte intellectiva quatenus attendit aeternis vel temporalibus, agit D. Thomas I^{a} part. quaest. 79, art. 9 et I^{a} II^{ae}, quaest. 74, art. 9 (8). Unde remanet distinctio in tres illas portiones, quarum suprema in intellectu dicitur intelligentia et mens et in voluntate apex mentis; media dicitur ratio sive caelum medium et in voluntate, quatenus sequitur rationem, caelum affectionum medium; infima vero pars sensitiva.

Quod autem incipientes magis exerceant partem infimam, ideo est: quia in illis sunt appetitus minus mortificati, quibus convenit semper resistere, magisque assueti sunt apprehensionibus imaginariis; proficientes vero magis exercent partem mediam seu rationalem per exercitia virtutum, quibus prudentia praescribit medium, et per considerationem discursivam; perfecti vero partem supremam intelligentiae per contemplationes perfectas et per actus anagogicos perfectiores voluntatis.

Item quod prius debeat purgari pars inferior et hoc ideo, quia ordinarie loquendo non pervenitur ad finem nisi per media; quod non obstat quominus aliquando Deus miraculose statim animas aliquorum sanctorum ad perfectionem evexerit. Denique, sicut ad perfectionem requiritur illuminatio et ad illuminationem purgatio, ita ad maiorem maior; quia, sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. Unde ex magnitudine purgationis passivae colligimus perfectionem magnam, ad quam Deus vult animam aliquam elevare.

---

(4) *Sentences spirituelles, documens et pratiques affectives pour les trois voyes de la perfection Chrestienne, Purgative, Illuminative, et unitive, diversées en trois parties*, Paris Michel Sonnius, 1623-1625, 3 tom. in-12°, XXXII—402; XXIV—358; XXIV—421 pp.

(5) Totum opus dividitur per tres vias. Speciatim videri potest *Declaratio montis mystici perfectionis*; ed. 1874, t. I, pp. 55-60.

(6) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 1, resp. 3; Madrid 1678, pp. 3a-4a.

(7) *Gal.*, cap. V, v. 17; Hetzenauer, p. 1135: *Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem.*

(8) Cf. art. 7, 9 et 10. — In ed. 1684, p. 585a erronee legitur: « 2. 2. q. 74, *art. 9* ».

RESOLUTIO XV.

Motus animae in Deum comparatur motui recto, obliquo et circulari; quorum motus rectus magis convenit incipientibus, qui sunt in via purgativa; motus obliquus proficientibus, qui sunt in illuminativa; motus circularis perfectis, qui sunt in unitiva.

Hoc colligitur ex documento LX et expositione D. Thomae, quae ibi adducitur. Unde mystici appellant motum rectum illum quo anima ex cognitione creaturarum elevatur in Deum; ideo enim dicitur rectus, quia recte procedit anima et iuxta propriam naturam, quando ex creaturis inquirit Creatorem; in quo quidem motu exercetur meditatio imaginaria propria incipientium, ut late explicat noster Ioseph a Iesu Maria in *Ascensu*, part. I, cap. 1, 2 et 3 (9).

Motus vero obliquus licet a D. Thoma videatur applicari discursui rationis, ab aliquibus applicatur motui illi quem censetur facere anima, dum a contemplatione generali Dei divertitur ad obiecta particularia et distincta, sive sit ex industria propria ut magis accendatur, sive ex aliqua visione supernaturali; unde magis pertinet iste motus proficientibus in via illuminativa, quae est contemplationis ordinariae, et in qua via et statu contemplationis solent visiones frequentiores esse. De quo videatur idem auctor, cap. 13 (10).

Motus denique circularis est, cum anima intrat seipsam et ibi in solo Deo contemplando detinetur; de quo idem auctor, cap. 18 (11). De quibus etiam motibus potest videri P. Philippus a Ss. Trinitate in *Summa theologiae mysticae*, part. II, tract. I, disc. 2, art. 5 (12); et quamvis ille ponat tres differentias in sola contemplatione et tribuat motum rectum contemplationi per ascensum, non ideo pugnat cum dictis a P. Iosepho a Iesu Maria, ubi supra (13), qui motum istum tribuit meditationi; utrumque enim potest complecti meditationem et primam illam contemplationem per ascensum ex creaturis, quia ista contemplatio semper supponit meditationem et illa meditatio saepe terminatur in contemplatione; quod quomodo fiat, docet idem auctor cap. 6 (14).

RESOLUTIO XVI.

Purgatio perfecta debet esse totalis tam in parte cognoscitiva ab ignorantiis et imperfectionibus cognoscendi quam in parte affectiva per moderationem et subiectionem concupiscentiae. Similiter illuminatio per puritatem mentis et virtutum adeptionem. Item etiam perfectio per perfectissimam contemplationem et unionem.

Haec colligitur ex documento X, ut ibi videre est in expositione Hugonis. Unde cum ista totalis perfectio rarissime possit inveniri sine purgatione, illuminatione et perfectione passiva et infusa, ne unum cum altero confundamus, prius agemus de purgatione, illuminatione et perfectione activa tam in parte cognoscitiva quam in affectiva, et postea de eisdem passive sumptis.

DUBITATIO III

QUOMODO PROCEDENDUM SIT IN VIA PURGATIVA ACTIVA?

Quamvis possit Deus et aliquando soleat introducere animas in viam purgativam passivam, quin exspectet exercitia purgationis activae, cum tamen haec frequentius praecedat, prius de illa quam de passiva agendum est. Et licet purgatio partis cognoscitivae comitetur purgationem partis affecti-

(9) *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 1, 2 y 3; ed. 1694, pp. 2a-5a.

(10) lib. I, cap. 13; pp. 31a-33a.

(11) lib. I, cap. 18; pp. 44a-47b.

(12) ed. 1874, t. II, pp. 63-69.

(13) i. e. *Subida del alma a Dios*, lib. I, cap. 1-3; ed. 1694, pp. 2a-5a.

(14) lib. I, cap. 6; ed. 1694, pp. 9b-11b.

vae, a qua iuvatur, quia tamen cognitio naturaliter praecedit appetitum, in prioribus resolutionibus de purgatione activa partis cognoscitivae et in posterioribus de purgatione partis affectivae tractabimus.

RESOLUTIO XVII.

Purgatio mentis necessaria est ad recipiendas illuminationes divinas, sicut radius solis plenius recipitur in vitro mundo quam in crassioribus et opacioribus materiis.

Hoc explicatur in documento XXIII, addita expositione Hugonis. Mens igitur quoad partem cognoscitivam mundanis et terrestribus imaginibus debet evacuari, removendo eas a memoria et illis obserando ianuas sensus, ut sic bonis et sanctis cogitationibus sit pervia.

RESOLUTIO XVIII.

Inter primas meditationes quibus humana mens purgari debet, valde proficua est et veluti fundamentum ceterarum cognitio propria sui, nempe suae miseriae et caecitatis, sui principii, et sui exitus, atque novissimorum, denique vitia in quae magis propendet, tentationes quibus magis succumbit, etc.

Haec colligitur ex documento XXVI, ut ibi exponitur a Pachymera. Hae enim meditationes incipientibus inserviunt tum ad paenitentiam peccatorum ciendam, tum ad mundana despicienda, tum ad despectum et humiliationem suipsius; in quibus fundamentis vita spiritualis securius erigitur.

RESOLUTIO XIX.

Christus cum sit homo Deus, lumen est quo ad Patrem dirigimur, et per eius Incarnationem deitas manifestatur, estque omnium virtutum exemplar; unde illius meditatio praestantissima est ad mentem tenebris atque vitiis purgandam.

Hoc colligitur tum ex documento I, tum ex documento LXXIX et LXXX. Quia, ut docet D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 82, art. 3, ad. 2 (1): *Licet ea quae sunt divinitatis, sint secundum se maxime excitativa dilectionis et devotionis, cum Deus sit supra omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanae est quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quae praecipuum est humanitas Christi;... Et ideo quae pertinent ad illam, per modum cuiusdam manuductionis devotionem maxime excitant, cum tamen devotio principaliter circa ea quae sunt divinitatis consistat.*

RESOLUTIO XX.

Meditatio discursiva et imaginaria est veluti primus gradus scalae spiritualis, ut inde transeamus ad contemplationem; nec tamen detineri multum debemus in ea, sed statim transire ad ponderationem quietam et inde, quando magistris visum fuerit, transire ad actum simplicem, ut meditatio terminetur in contemplatione et per cessationem discursus proprii facilius a Deo moveamur.

Haec manent adnotata ad documentum LI. Et ne in explicando transitu isto a meditatione ad ponderationem quietam et ad contemplationem nimium detineamur, potest de hoc videri quae fradit noster Ioseph a Iesu Maria in I parte *Ascensus*, lib. I, a cap. 4 (2).

RESOLUTIO XXI.

Non debet quis transire ad contemplationem, nisi prius exerceatur in meditationibus; quanto vero tempore

---

(1) Ed. Leon., t. IX, pp. 189b-190a: *Ad secundum dicendum quod ea quae sunt divinitatis sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem: quia Deus est super omnia.... Et ideo ea quae pertinent ad Christi humanitatem, per modum cuiusdam manuductionis, maxime devotionem excitant: cum...*

(2) *Subida del alma*, lib. I, cap. 4-7; ed. 1694, pp. 5a-14a.

in his debeat immorari, non potest generaliter praescribi.

Haec colligitur ex documento XXI, ut ibi adnotatum. Quia esset transire ad extremum sine medio seu exercere partem supremam omisso exercitio partis mediae; et quia, ut supra diximus, meditatio est primus gradus scalae spiritualis. Quando autem sit anima iam disposita ut a statu meditationis transeat ad statum contemplationis, diximus in *Catena*, prop. 5, resol. 10 (3).

RESOLUTIO XXII.

Purgatio partis affectivae quinque veluti partibus constare videtur, scilicet revocatione, reformatione, collocatione, firmitate et profectu.

Sic habetur in documento XLVI, iuxta expositionem D. Thomae. Quod possumus ita applicare ut revocationi correspondeat purgatio a culpa per paenitentiam; reformationi, purgatio affectus ab illicitis etiam non gravibus; collocationi, purgatio ab habitibus et inclinationibus ad temporalia etiam licita; firmitati, purgatio ab instabilitate et fragilitate per habitum mortificationis; profectui, purgatio a frigiditate et tepiditate per fervorem et validum mortificationis exercitium. Quae sigillatim ex sequentibus resolutionibus aliquo modo colligentur.

RESOLUTIO XXIII.

Dum homo est in statu peccati mortalis, non potest operari opera caritatis; unde necesse est purgari a culpa et revocari ad Deum per caritatem et observationem mandatorum eius.

Hoc colligitur ex documento XXV explicato a Pachymera. Et ratio est: quia dum homo spiritualiter mortuus est, non potest moveri per operationes vitales caritatis; quae tunc operatur in nobis, cum mandata divina exercemus, saltem quoad ea quae materiam gravem important. *Qui enim diligit me, mandata mea servabit, etc.* (4).

RESOLUTIO XXIV.

Non illico post paenitentiam et purgationem a culpa manet homo omnino purus, remanet enim adhuc purganda poena temporalis et illa maior inclinatio et affectio ad bona temporalia in quibus antea detinebatur; quae ita purganda est, ut non solum ab amore illorum quae a Deo possunt separare omnino, sed etiam ab illis quae eius amorem per culpam venialem possunt infrigidare, cohibeatur.

Haec colligitur ex documento XXIX, ut ibi videre est.

RESOLUTIO XXV.

Nec sufficit purgatio ab illicitis affectionibus etiam levibus et venialibus, sed etiam a licitis et non necessariis.

Colligitur ex documento XXX, ubi etiam ab extremis seu a minimis animae apprehensionibus et affectionibus dicit expiandos nos esse. Cum enim haec purificatio proxime disponat ad contemplationem et per illam ad unionem Dei, nec anima potest clarescere contemplationis radiis dum mundanis et terrenis apprehensionibus sordescit, nec volare ad unionem Dei dum minimis etiam affectionibus detinetur, ut enim dicit V. P. N. Ioannes a Cruce (5): *Ut avicula non possit volare, tantum fere impedit detineri filo tenui quam fune grossiori.*

RESOLUTIO XXVI.

Nec debemus contenti esse cum sola purgatione affectionum actualium,

(3) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 5, resp. 10; Madrid, 1678, pp. 35b-36b.

(4) *Ioan.*, cap. XIV, v. 23, Helzenauer, p. 1057: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

(5) *Avisos y sentencias*, num. 207; ed. crit., t. III, p. 39: *Igualmente está detenida el ave para sus vuelos con los lazos de alambre recio, o del más sutil y delicado hilo que la detiene,...*

sed etiam habituum earum, ut firmi et immobiles simus ad malum.

Colligitur ex documento X; ubi Sanctus Dionysius petit omnimodam et totalem purgationem, in qua non solum actus, sed habitus vitiosi excluduntur. Potest etiam colligi ex documento L, ubi passibilis vocatur mens per unionem ad corpus passibile et materialis ex affectu ad res materiales; iam enim habitus vitiosi si non mutatos, mutabiles et facile mobiles constituit animos; et inclinatio habitualis ad res materiales materialem et variabilem constituit mentem, quod quantum obsit contemplationi et unioni divinae, quae debet esse firma et stabilis, per se liquet.

RESOLUTIO XXVII.

Progressus etiam in purgatione per frequentes et quasi continuos mortificationis actus faciendus, sic enim mens magis purificatur, magis in purificatione firmatur, nec vincitur a passionibus, quae non indulgendo, sed continue reprimendo pacificantur et rationi subduntur.

Colligitur ex documento LXXII et expositione D. Thomae. Ubi agitur de pace quam quis optat, dum passionibus indulget; cum tamen ea non acquiratur, nisi passionibus inordinatis resistendo. Quia vero passiones non possunt tolli ab appetitu sicut tollitur vitium per virtutem contrariam, debemus ita illas regere, ut quae erant instrumenta vitii, sint instrumenta virtutis: ut amor et desiderium et gaudium sint solius virtutis et veri boni, odium et fuga et tristitia sint de peccatis, spes in Deo solo, desperatio in viribus propriis, audacia ad difficilia perfectionis, timor fragilitatis propriae, ira in quotidianos defectus. Modus autem servandus in mortificatione passionum erit: primo, resistere illis per affectus contrarios bonae voluntatis; secundo, nunquam opere exsequi quae passiones suggerunt contra rationem; tertio, confiteri coram Domino earum excessus; quarto, emendationem cupere; quinto, proponere eam saepesaepius.

DUBITATIO IV

DE VIA PURGATIVA PASSIVA.

Cum in via purgativa activa per laborem et industriam propriam fere nunquam purgatio omnimoda consequatur, solet Deus misericorditer purgare animam quae ad perfectam contemplationem elevanda est, primo in parte sensibili; deinde, postquam anima iam aliquandiu contemplationis deliciis potita est, si ad unionem divinam ascendere debet, iterum aliam ingreditur purgationem terribiliorem in parte rationali et spirituali ,quam V. P. N. Ioannes a Cruce (1) vocat *noctem obscuram spiritualem;* et cum etiam istae quas D. Bonaventura *purgationes aqueas sive lacrymarum* appellat, non sufficiant ad tantam puritatem; alias patitur, quas ipse vocat *igneas seu impulsus amoris.* De quibus omnibus egimus in *Catena*, prop. 14, 15, 16 et 17 (2).

RESOLUTIO XXVIII.

Purgatio sensibilis exercetur in primis per subtractionem totius consolationis spiritualis, deinde variis laboribus interioribus et exterioribus.

---

(1) Cf. *Noche oscura del espíritu*, § I (cap. 1); ed. crit., t. II, p. 51 sqq.

(2) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 14-17; Madrid, 1678, pp. 118a-156b.

De quibus praeter dicta in *Catena*, ubi supra, aliquid tetigimus hic in I[a] parte, quaest. 8 prooem., ubi possunt videri.

RESOLUTIO XXIX.

Post purgationem passivam partis sensitivae et post delicias recollectionum et etiam contemplationis anima quae elevanda est ad unionem divinam (maxime si non sit ex numero illarum quae semper pure et innocenter vixerunt) patitur purgationem illam horribilem spiritus, quae per multos annos solet durare, magis tamen aut minus et etiam magis aut minus rigorose secundum quod ad maiorem aut minorem perfectionem et unionem evehenda est.

De hac purgatione egimus in *Catena*, ubi supra; aliquidque tetigimus hic in I[a] parte, dicta quaest. 8 prooem.

RESOLUTIO XXX.

Aliqui dicunt praeter istam purgationem passivam spiritualem dari aliam similem sed duriorem, quando iam anima approximat divinae unioni.

De qua, cum sit fere similis alteri, sufficiunt dicta in eadem quaestione 8 et etiam in *Catena*, prop. 16, resp. 7 (3), cum P. Iosepho a Iesu Maria, II parte *Introitus*, lib. I, cap. 26 et 27 (4).

RESOLUTIO XXXI.

Influentia divina, quae est veluti instrumentum huius purgationis passivae, simul purificat, illuminat et perficit; dum enim curat vulnera spiritualia, capaciores reddit animas divini luminis et amoris.

Hoc colligunt mystici ex praedicto documento XVIII explicato ab Hugone, ut ibi dicitur.

De purgationibus igneis seu impulsibus amoris hic non loquimur, quia non plene colliguntur ex documentis Dionysii, nisi forte ex documento XIV de gradibus amoris, de quibus loquimur in via unitiva passiva. Possunt tamen videri in *Catena* prop. 17 (5), ubi de pluribus huiusmodi purgationibus egimus et de variis temporibus et opportunitatibus in quibus solent accidere.

DUBITATIO V

QUOMODO PROCEDENDUM IN VIA ILLUMINATIVA ACTIVA?

Via illuminativa (sicut diximus de purgativa) vel est activa, vel passiva. De passiva agemus dubitatione VI; nunc agimus de activa; prius in parte cognoscitiva, postea in affectiva. Ad viam illuminativam partis cognoscitivae pertinent contemplationes minus perfectae quam illae quae exercentur in via unitiva, quae magis pertinent ad theologiam mysticam; unde necesse erit hic adducere varias contemplationis divisiones.

RESOLUTIO XXXII.

Contemplatio est simplex veritatis intuitio. Dividitur in acquisitam et infusam. Acquisita, de qua nunc loquimur, dividitur in eam quae est per affirmationem, et in eam quae per negationem, et quae per actum fidei simplicissimum et universalem; quarum duae priores, scilicet per affirmationem et negationem, magis ad viam illuminativam spectant.

---

(3) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 16, resp. 7; Madrid, 1678, pp. 139[a]-141[a].

(4) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. I, cap. 26-27; ed. 1694, pp. 320[b]-331[b].

(5) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 17; ed. 1678, pp. 144[a]-156[b].

De qua definitione et divisionibus, praeter illa quae latius dicta sunt in *Catena* (1), etiam egimus hic quaest. 6 prooem.

RESOLUTIO XXXIII.

Deus potest naturaliter cognosci evidenter quoad an est; quomodo autem supernaturaliter cognoscatur et quibus speciebus indigeat intellectus ad eius diversas cognitiones, diximus supra ad cap. I *Theologiae Mysticae*, quaest. 6, 7 et 8.

RESOLUTIO XXXIV.

Quanto magis Deo appropinquamus in oratione, tanto magis de eo cognoscimus; nam licet Deus omnibus semper adsit, nos non adsumus ipsi nisi per orationem, quando in oratione inveniuntur tria requisita, scilicet munditia a sensualitate, illuminatio ab errore, ordinatio per caritatem.

Ista resolutio habetur in documento LVI, LVII et LVIII cum explicatione D. Thomae ibi apposita. Et quidem quomodo Deus omnibus adsit per essentiam, per praesentiam et per potentiam, explicat D. Thomas I[a] parte, quaest. 8, art. 3; quod tetigimus hic I[a] parte, quaest. 17, dub. 5. Quomodo autem Deus fiat nobis praesens per cognitionem affectivam, quae dum frequentatur, valde conducit ad contemplationem, agunt passim auctores mystici, qui hanc praesentiam obiectivam et affectivam dividunt in intellectualem et imaginariam, sub qua etiam includunt sacramentalem. De quibus et quomodo exercendae sint in diversis statibus, videatur *Concordantia mystica*, lib. II, cap. 32 (2); *Ascensus animae*, lib. III, cap. 16, 17, 18 (3).

RESOLUTIO XXXV.

Deus cognoscitur a nobis per effectus et hoc tripliciter: vel per negationem, vel per excessum, vel ex causalitate.

Hoc explicatur in documento XLVII et LXVII, addita expositione D. Thomae ibi adducta.

RESOLUTIO XXXVI.

Quae videntur, imagines sunt eorum quae non videntur; unde ab imperfectioribus ad perfectiores et spirituales creaturas ascendere debemus et ab istis in Deum.

Sic habetur in documento III et documento LXXXVI. Et si quaeras quomodo res materiales possint repraesentare spirituales, respondeo: hoc esse per quandam analogiam ad illa quae aliunde de spiritualibus nobis innotescunt; cum enim non possimus angelorum pulchritudinem repraesentare ut in se est, eam respraesentamus per imagines materiales pulchriores. Similiter eorum agilitatem et operationem, de quibus plura agit D. Dionysius in *Caelesti Hierarchia.*

RESOLUTIO XXXVII.

In figuratis repraesentationibus rerum spiritualium accomodat se Deus captui nostro. Similiter quod Deus nobis proponatur sub velaminibus imaginariis, oritur ex benignitate sua et imperfectione nostra.

Colligitur ex documento V cum expositione Hugonis et ex documento XLIX cum expositione D. Thomae; quae omnia per se constare videntur.

RESOLUTIO XXXVIII.

Non possumus Deum affirmative contemplari nisi sub aliqua forma aut imagine sensibili; quod debet intelli-

---

(1) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 7; ed. 1678, pp. 45[a]-51[b]; et alibi.

(2) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 32; Barcelona, 1667, pp. 253-257.

(3) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Subida del alma a Dios*, lib. III, cap. 16-18; ed. 1694, pp. 191[b]-197[b].

gi, quando eum contemplamur nostro modo humano; ut inde excludamus tum contemplationem per negationem, tum etiam contemplationem puram.

Colligitur ex documento IV. Non enim habemus species nisi a sensibus receptas, quae proinde primo repraesentant res sensibiles. In contemplatione autem per negationem nulla species requiritur ad Deum repraesentandum, ut diximus quaest. 8, dub. 5; in contemplatione pura etiam cessant phantasiae et imaginationis repraesentationes, ut diximus quaest. 5.

RESOLUTIO XXXIX.

Christus tanquam exemplar nostrum summa cum attentione debet a nobis contemplari, ut ad eius imaginem et similitudinem conformemur.

Colligitur ex documento XXXII, ubi exemplum pictoris affertur. Et haec est proprior contemplatio viae illuminativae, in qua de Christi imitatione debemus esse magis solliciti; nec omnino est reliquenda etiam in via unitiva, sub modo tamen ac limitationibus explicatis in *Catena*, propos. 31 (4).

RESOLUTIO XL.

In contemplatione affirmativa ponuntur in Deo formaliter omnes perfectiones simpliciter simplices, aliae autem solum metaphorice; et ideo dicitur contemplatio affirmativa, quia cognoscit Deum sub qualibet ex istis positivis perfectionibus modo convenienti.

Quales sint istae perfectiones et quomodo de Deo dicantur, diximus I^a^ parte, quaest. 19.

RESOLUTIO XLI.

Contemplatio et cognitio Dei per negationem magis propria est quam per affirmationem, tum quia in nobis oculus contemplationis caecus est, tum quia per inferiora non cognoscuntur perfecte superiora, item quia Deus a viatoribus non cognoscitur quid sit, et si quis, viso Deo, cognoscit id quod vidit, Deum non vidit, sed aliquid creatum.

Haec colliguntur ex variis documentis; nam principale assumptum est ex documento VI, ex quo etiam prima ratio de triplici oculo humano: carnis, rationis et contemplationis. Altera ratio ex documento XLIII, ubi ostenditur superiora non posse perfecte cognosci per inferiora, unde nec Deus potest a nobis cognosci perfecte quid sit, ut habetur in documento XLII; ex quibus infert Dionysius: *Si quis, viso Deo, cognoscit id quod vidit, etc.*, ut dicitur in documento LXXVII. Ex quibus et ex dicendis omnia magis patebunt.

RESOLUTIO XLII.

Ignoratio Dei in hac vita non est propter defectum eius, sed propter excessum: quia Deus est supra mentem, supra substantiam, supra principium, etc. Unde dicitur divina caligo lux ipsa inaccessibilis, in qua oculos mentis propter excessum lucis caligat; dicuntur etiam divinae tenebrae, non privanter, sed superlate.

Haec etiam colliguntur ex variis documentis; nam ex documento XL patet quomodo propter excessum lucis ignoremus de Deo quid sit. Et ex documento LXXVII et LXXVIII, quomodo Deus sit supra mentem et dicatur etiam supra principium divinitatis. Et ex documento LXXXI, quomodo divina caligo sit lux inaccessibilis. Et etiam ex documento LXXVII, quomodo tenebrae dicantur superlate.

RESOLUTIO XLIII.

Cognoscere Deum per ignorantiam notitia est Dei; scire enim nos ignorare quid Deus sit cognoscere est

(4) IOSEPH A SPIRITU SANCTO, C. D., *Cadena mystica*, colac. I, prop. 31; Madrid, 1678, pp. 269a-276b.

Deum; et ad eius lucem inaccessibilem ignorando accedimus; in Deoque existit, qui sic eum cognoscit; nec aliter coniungimur Deo per intellectum in hac vita, nisi cognoscendo quid non sit.

Colligitur ex variis documentis: ex documento LXXVII, ignorantiam illam esse notitiam. Ex documento LXVII, scire hoc esse Deum scire. Ex documento LXXXI, ad Deum ignorantes accedere et in Deo existere. Et ex documento LXXVI, sic Deo coniungi et uniri.

RESOLUTIO XLIV.

Ad contemplationem per negationem non requiruntur formae sensibiles, ut ex illis Deus cognoscatur, sed ut ab illo removeantur.

Colligitur ex documento IV et etiam explicatur in I[a] parte, quaest. 8, dub. 5.

RESOLUTIO XLV (ex quaest. 20).

Perfectiones affirmativae omnes debent removeri a Deo in contemplatione negativa, quae vel est gradus mysticae theologiae acquisitae, vel disponit ad illam.

Quomodo autem hoc faciendum sit, videatur in I[a] parte, quaest. 20.

RESOLUTIO XLVI.

In ista contemplatione per negationem sistendum nobis est in aliquo conceptu confuso et universali Dei; et ubi illa desinit, incipit inde contemplatio simplicissima fidei; de qua nobis agendum est in via unitiva activa.

Haec resolutio patet ex dictis in I[a] parte, quaest. 15, ubi ponitur exercitium practicum huius contemplationis.

RESOLUTIO XLVII.

Hucusque egimus de via illuminativa partis cognoscitivae, quod vero attinet ad partem affectivam, breviter dicendum est quod a contemplatione debet anima descendere ad exercitia virtutum.

Colligitur ex documento XIX addita expositione Hugonis. Quia contemplatio quae sistit in speculatione et non ordinatur ad opera virtutum, potius contemplatio philosophorum est quam Christianorum. Immo iste est principalis finis viae illuminativae: reformare animam per virtutes et Christo assimilari, ut supra diximus ex documento I.

RESOLUTIO XLVIII.

Virtutes etiam contemplationi adiuvant pacificando animum, quam pacem assequimur per Christum et eius imitationem et per resistentiam contra passiones, quae per virtutes ipsas moderantur.

Haec colligitur ex documento LXXII et LXXIII, ubi de pace agitur.

RESOLUTIO XLIX.

Licet omnes virtutes morales contemplationi inserviant et ab ipsa augeantur, principaliter tamen humilitas, quae disponit animam ut a Deo illuminetur ad modum supremae hierarchiae sine argumentorum strepitu, nec sine contemplatione potest perfecte acquiri virtus ista, quatenus contemplatio aperit ianuam ad influentiam divinam, qua humilitas perficienda est.

Colligitur ex documento XVI addita expositione Hugonis et applicatione Patris Ioseph a Iesu Maria, ut ibi adnotatur.

RESOLUTIO L.

Convenit etiam huic statui patientia in laboribus et afflictionibus, licet enim status iste sit magis liber a mo-

lestiis et poenalitatibus, est tamen praeparatio ad illas, si anima ascendere debet ad unionem perfectam. Et interim ex suavitate et prosperitate huius status debilitatur animus, nisi ad labores aspiret.

Colligitur ex documento LXX addita expositione D. Thomae.

DUBITATIO VI

QUOMODO PROCEDANTUR IN VIA ILLUMINATIVA PASSIVA?

Via illuminativa passiva, quae est de contemplationibus et illuminationibus infusis, non semper patet viris etiam perfectis, cum sit gratia specialis quam Deus concedit quibus vult et quando vult. Illis autem quibus conceditur, frequenter solet advenire inter exercitia viae illuminativae activae, maxime post purgationem passivam sensibilem, si iam praecesserat; vel si haec non praecessit, prius in illa solent exerceri et purificari. Immo aliquando exspectatur, ut ad viam unitivam activam perveniant. Cum ergo Deus eius ingressum concedat quando vult, convenienter de illa agimus hoc loco post activam.

RESOLUTIO LI.

Cum via illuminativa passiva praecipue constet contemplationibus infusis (exceptis saltem illis quae sunt mysticae theologiae), oportet scire quid sit contemplatio infusa. Quod, ne iterum repetamus, potest videri in I^a parte, quaest. 9 prooem. et etiam quaest. 11.

RESOLUTIO LII.

Quamvis recollectiones infusae non necessario includant perfectam contemplationem, immo aliquando solum inducant ad acquisitam, ut relinquatur status meditationis, possunt tamen aliquomodo pertinere ad viam illuminativam passivam, tum quia passive recipiuntur, tum quia saepe ab illis ad contemplationem propriam et infusam fit transitus. Quid autem sint eiusmodi recollectiones, potest indagari ex quaest. 7 prooem.

RESOLUTIO LIII.

Generaliter ergo loquendo de illuminationibus infusis tam ad contemplationem quam ad visiones, etc., dicendum est primo illas non dependere a nostra voluntate ut communicentur, sed solum ut debite acceptentur. Secundo, nos illuminari a Deo secundum proportionem. Tertio, participationes divinas maiores fieri magis propinquis et dispositis. Quarto, per unam illustrationem disponi animam ad plures et maiores.

Primum colligitur ex documento XX; secundum ex documento XII, et XLII, et XLIV; tertium ex documento XXXV; quartum ex documento XIII. Ratio est: quia gratia in hoc imitatur naturam, quae cum debito ordine et proportione procedat, in subiecto magis proportionato et disposito potiores producit effectus. — Si obiicias: multoties viris sanctis et perfectioribus denegantur istae illustrationes infusae, quae saepe etiam imperfectioribus conceduntur, ut supra diximus; unde ex illis non debet metiri perfectio, sed ex maiori caritate, etc.; ergo non fiunt secundum proportionem, etc. — Respondetur distinguendo consequentiam: universaliter et absolute loquendo, concedo; ordinarie et ex suppositione quod fiant, nego. Licet enim eas Deus libere concedat quibus vult et aliis neget, quia forte sic illis magis expedit; supposito tamen quod concedat aliquibus, est cum debita proportione, ut paulatim ascendant et perficiantur secundum legem ordinariam; quia nemo repente fit summus; quod tamen non obstat, ut ali-

quando miraculose aut extraordinario modo aliquos illuminet et elevet, non servata hac regula.

RESOLUTIO LIV.

Anima non debet plus ascendere quam Deus elevet eam; dum tamen elevatur, non se cadere permittat ad actus particulares absque necessitate.

Colligitur ex documento XLI et XLV et est conformiter ad doctrinam Seraphicae Matris, ut ibi adnotatur; ubi etiam affertur ratio D. Thomae et solvuntur obiectiones. Quod autem non descendat ad actus particulares, nisi forte ut magis accendatur vel nisi necessitate coacta ex aliqua visione, etc., etiam ibi adnotatur ad documentum XLV : quia universales actus sunt perfectiores. Magis tamen permittitur in hoc statu quam in statu viae unitivae iste descensus, cum sit illi magis proprius motus obliquus, ut alibi diximus.

RESOLUTIO LV.

Divina cognoscuntur a nobis duplici participatione : nempe lucis et obiecti; quae participatio est supernaturalis et infusa in cognitione supernaturali. Et quo magis appropinquamus Deo per orationem, magis de eo cognoscimus.

Colligitur ex documento LIV et LVI, ubi redditur ratio a D .Thoma.

RESOLUTIO LVI.

Qui contemplatione infusa Deum cognoscunt et amant, dicuntur divina pati et eorum operationes passivae.

Colligitur ex documento LV. Quod D. Thomas explicat de affectu et amore. Potest tamen etiam dici de intellectu, non quia desinat operari (ut aliqui intellexerunt), vere enim anima in contemplatione infusa intelligit et diligit, intelligere autem et diligere sunt actiones vitales, quae debent procedere a principio intrinseco. Dicitur tamen anima in illis pati, tum quia principium proximum operandi recipitur a Deo, cum intellectus sine lumine infuso nequeat operari supernaturaliter et solum se habet per modum principii radicalis; tum etiam, quia ad talem operationem specialiter movetur a Deo; tum denique, quia huiusmodi operationes tam intellectus quam voluntatis ita suaviter et pacifice eliciuntur, ut potius videatur anima illas pati quam agere. De quibus possunt videri quae diximus in *Catena*, prop. 1, resp. 9 (1) et quae affert P. Philippus a Ss. Trinitate in *Theologia mystica*, disc. prooem., art. 3 (2).

RESOLUTIO LVII.

Huius status viae illuminativae passivae sunt magis propriae visiones et revelationes imaginariae, sicut extrinsecae magis pertinent (3) *ad incipientes et intellectuales ad perfectos. De visionibus autem et revelationibus quid sint et quomodo dividantur*, praeter dicta in documento II et XV, et in documento LXXXIV de visione quadam mirabili quam affert Sanctus Dionysius, et in documento LIII de revelationibus ad modum angelorum, videantur quae diximus in I^a parte, a quaestione 23 usque ad 28.

RESOLUTIO LVIII.

Huic statui similiter conveniunt locutiones illae divinae et supernaturales, quae visionibus imaginariis correspondent.

De quibus locutionibus et aliis videantur quae supra diximus I^a parte, quaest. 29.

---

(1) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 1, resp. 9; Madrid, 1678, p. 8a.

(2) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 3; ed. 1874, pp. 27-32.

(3) « *pertineant* » in ed. 1684.

RESOLUTIO LIX.

Similiter cum raptus sensuum externorum sequantur ad visiones imaginarias, consequenter dicendum est raptus istos qui sunt inferiores aliis, etiam ad hunc statum pertinere.

Quid autem sit raptus et quomodo dividatur, praeter dicenda in via unitiva, videantur dicta in I[a] parte, quaest. 10 prooem.

RESOLUTIO LX.

Ad visiones et revelationes etiam pertinet donum prophetiae et discretionis spirituum. Unde nil mirum, si existentibus in hoc statu aliquando concedantur et aliae gratiae gratis datae.

De gratiis gratis datis egimus in *Catena*, prop. 37 (4). De quadam prophetia Sancti Dionysii in documento LXXXVI et de miraculo eclipsis in morte Domini in documento LXXXIII, licet huc non pertineant nisi ratione nominis prophetiae et miraculorum; nec enim illa prophetia Sancti Dionysii pertinet proprie ad hunc statum inferiorem, nec miraculum illud ad gratiam miraculorum, cum non fuerit patratum ab homine.

RESOLUTIO LXI.

Quod attinet ad partem affectivam, ad quam principaliter ordinantur istae communicationes intellectuales, in primis sequitur ad contemplationem infusam magnum gaudium et oblectamentum in voluntate, unde etiam solet derivari ad partem sensibilem.

De gaudiis contemplationis aliquid tangitur in documento XIX et etiam in documento LIII, ubi loquitur de quodam gaudio quod D. Augustinus appellat rorem beatitudinis. Proveniunt enim gaudia ista a dono sapientiae, quod simul illuminat intellectum et delectat voluntatem mirabili quodam sapore, unde dicitur sapientia quasi sapida scientia. Ista autem gaudia potius pertinent ad cibum solidum quam ad liquidum, cum pertineant magis ad partem intellectualem quam ad sensitivam, licet inde aliquando ad sensum deriventur. De quo cibo solido et liquido agitur in documento LXXXV.

RESOLUTIO LXII.

Voluntas in contemplatione debet esse fervens et nullo modo remissa; nec tamen debet affici visionibus, nec illustrationibus supernaturalibus; nec in illis voluntarie immorari, sed ex omnibus proficere in amore; si enim anima non multum proficit communicationibus divinis, reddit illas de securitate suspectas.

De primo agitur in documento XLV; de secundo in documento II; et de tertio in documento XVIII. Quae doctrina etiam convenit contemplationi acquisitae, immo de ista principaliter agunt auctores ibi citati; cum enim voluntas seipsa et solum generalibus auxiliis adiuta ibi moveatur in Deum, magis indiget instructione ne tepide succumbat. Quod autem non affici debeat illustrationibus infusis, generalis doctrina est pro omnibus statibus, ut alibi diximus loquentes de revelationibus. Profectus autem semper sequitur magnus ad influentias istas divinas, quando sunt verae; non tamen statim ex una vel altera receptione illarum hoc apparet, sed paulatim dum continuantur et perseverant, ut docet Seraphica Mater *Mansione IV*, cap. 3 (5).

---

(4) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 37; pp. 317a-322b

(5) *Moradas IV*, cap. 3; ed. crit., t. IV, pp. 59-67

DUBITATIO VII

QUALITER PROCEDATUR IN VIA UNITIVA ACTIVA UTRIUSQUE PARTIS?

Via unitiva, quae pertinet ad statum perfectorum, potest esse activa et passiva, ut de aliis diximus. Nunc agimus de activa tam in parte cognoscitiva quam in appetitiva, et incipiendo a cognitione seu a contemplatione perfecta, quae est mystica theologia acquisita propria huius status, sit

[redacted]

RESOLUTIO LXIII.

Sicut contemplatio mysticae theologiae infusae est suprema inter contemplationes infusas et ideo pertinet ad viam unitivam passivam, ita contemplatio mysticae theologiae acquisitae est perfectissima inter contemplationes acquisitas et ideo pertinet ad viam unitivam activam.

Colligitur ex I[a] parte, quaest. prooem. 3, 4, 5, 6; ubi explicuimus nomen et entitatem mysticae theologiae et quomodo etiam possit esse acquisita.

Item ex quaest. 36, ubi dicitur quomodo se habeat theologia mystica ad alias theologiae partes.

Item ex quaest. 18, ubi dicitur quod debeat abscondi a rudioribus.

Et ex quaest. 8, dubio 1, ubi agitur de speciebus necessariis ad actum fidei, qui est de illius substantia. Denique ex documento LXVIII, ubi affertur celebris definitio theologiae mysticae.

RESOLUTIO LXIV.

Per ablationem cognitorum quae fit ad contemplationem negativam, non solum disponitur animus ad mysticam theologiam infusam, sed ingreditur primum gradum theologiae mysticae acquisitae; et ubi illa contemplatio negativa desinit in conceptu confuso Dei, ibi incipit contemplatio universalis fidei, quae pertinet ad perfectiorem gradum theologiae mysticae acquisitae.

Quod per illam ablationem disponatur animus ad infusam, colligitur ex documento LI et LIII. Quod in contemplatione negativa sistendum sit in conceptu confuso et inde incipiat contemplatio ista, diximus supra resolutione XLVI.

RESOLUTIO LXV.

Ad istam contemplationem magis pertinet nomen cibi solidi, in quo mens perseverat, iuxta explicationem S. Dionysii et auctorum quos citavimus ad documentum LXXXV.

RESOLUTIO LXVI.

Via veritatis una est, quam vere sequitur, qui contemplationi fidei incumbit; et in uno Deo cognito omnia simul videt, et quasi extasim patitur veritatis positus et elevatus supra sensus.

Praeambula ista colligitur ex documento LXXXII, ubi loquitur de unitate veritatis; et ex documento LXIV, ex quo habetur esse in Deo unita omnia quae in inferioribus sunt dispersa; et ex documento LXIX, ubi explicat D. Thomas extasim veritatis per fidem. Quae omnia huic contemplationi non incongrue possunt applicari.

RESOLUTIO LXVII.

Contemplatio ista cum sit simplicissima intelligentia veritatis divinae, non solum nos assimilat angelis in modo intelligendi, sed ordini Thronorum, quatenus per illam Deo conformamur, ut simus sedes eius.

De hoc videatur documentum LXVI et documentum XVII cum ibidem adnotatis.

RESOLUTIO LXVIII.

In intelligentia, quae est suprema animae hierarchia, in qua haec contemplatio simplicissima exercetur, recipitur lux divina clarior et simplicior.

Habetur in documento XXIII.

RESOLUTIO LXIX.

Actus huius contemplationis non solum debet esse simplex et sine discursu, sed universalissimus, sine aliqua particulari cognitione; et in omni contemplatione actus universales perfectiores sunt quam particulares.

Videatur documentum XXII et etiam documentum XLV. Quod probatur ex Sancto Dionysio docente eo esse universaliores illuminationes angelorum, quo ipsi sunt ceteris superiores. Item ratione D. Thomae, Iª parte, quaest. 105, art. 4: quia cum obiectum voluntatis sit bonum universale et solum a bono universali, nempe Deo, potest satiari, ita perfectior modus proponendi illi obiectum ab intellectu est sub quadam universalitate. Inde est quod appetitus sensitivus magis movetur a bono particulari repraesentato, quia ordinatus ad bonum particulare; e contra vero voluntas, quae est appetitus universalis.

RESOLUTIO LXX.

Debet igitur obiectum huius contemplationis esse essentia divina sub ratione cuiusdam totius includentis omnes perfectiones et non solum sub ratione alicuius attributi particularis.

Colligitur ex documento XXII et LXXV, ob rationem tactam in resolutione antecedenti. De quo etiam potest videri Suarius, *De religione*, tom. II, lib. II, cap. 13, num. 19 (1).

RESOLUTIO LXXI.

Debet etiam actus huius contemplationis esse directus et nec in seipsum reflexus; item permanens et non interruptus quoad fieri possit.

Colligitur prima pars ex documento XXXIV. Et ratio est: quia quandiu intellectus in se reflectitur, deficit a totali attentione circa principale obiectum. Secunda est ex documento XLV, ubi adducitur ratio D. Thomae ex Iª IIªe.

RESOLUTIO LXXII.

Ex quibus patet contemplationem istam non posse dari sine operatione intellectus, cum consistat in actu fidei.

Colligitur ex documento LXII contra aliquos auctores, qui ponunt contemplationem theologiae mysticae in actu voluntatis, quin praecedat actus intellectus. Et quamvis ipsi magis loquantur de theologia mystica infusa, etiam possunt intelligi de acquisita, quatenus disponit animam ad illuminationem divinam, ad quam recipiendam debet esse sine oculis, ut dicit Dionysius, *De Mystica Theologia*, cap. 1, et quod eleventur ad Deum in obscuritate per unitionem quae videtur pertinere ad voluntatem, et quod relinquat contemplator tam visibilia quam intelligibilia, et cap. 4 *De divinis nominibus*, ubi dicit, quod anima nostra iam deiformis facta per unitionem ignotae inaccessibilis lucis superfluae sunt intellectuales virtutes.

Sed nostram resolutionem iam probavimus in Iª parte, quaest. 12, ubi generaliter explicatur S. Dionysius in locis ubi oppositum videtur asserere. Quia tamen illos in particulari hic tetigimus, etiam particulariter explicabimus. Et primus locus quod mens debeat esse *inoculata*, explicatur a Ruperto Lincolniensi (2) de actibus

(1) *De virtute et statu religionis* (*De religione*, t. II), tract. IV *De oratione*, lib. II, cap. 13, num. 19 sqq.; ed. Vivès, t. XIV, p. 181b sqq.

(2) Cf. supra Iª parte, quaest. 12, nota (3).

apprehensivis naturalibus et particularibus; non enim potest intellectus esse omnino inoculatus, cum ipsemet sit oculus mentis. Secundus autem locus de *unitione* non intelligitur solum de unione voluntatis, sed intellectus, in quo distinguit S. Doctor *unitionem secundum nos*, quae est per rationem naturalem ,de qua loquitur cap. 1 *De divinis nominibus*, ab *unitione quae est supra mentem*, de qua loquitur capite 7 *De divinis nominibus*, quam ideo dicit esse supra mentem, quia mens coniungitur ad ea quae sunt supra ipsam. Quod fit per actum fidei. Tertius locus, in quo dicit intelligibilia relinquenda, intelligitur de illis qui possunt mediare tanquam obiectum inter Deum et intellectum. Denique ultimus locus intelligitur de virtutibus nostrae rationis naturalis, cum fiat haec contemplatio mediante lumine fidei, ut ibi explicat D. Thomas.

RESOLUTIO LXXIII.

Per obscuritatem fidei et non per alias luces procedendum est in ista contemplatione; per fidem enim altius unimur Deo et Deus ad istam unitatem actus intellectus nos inducit.

Colligitur ex documento decimo septimo et trigesimo nono et quadragesimo octavo et sexagesimo quinto. Si tamen adhuc quaeras quid nobis proponatur pro obiecto huius actus universalis fidei circa divinam essentiam, respondeo: proponi in primis Deum esse, et esse nobis praesentissimum, et esse ens perfectissimum et excedens omnes perfectiones excogitabiles, ac proinde nobis ignotum. Nec est necesse de hoc particulariter cogitari, sed sistere in illa simplicissima, universalissima et confusa cognitione huius boni.

RESOLUTIO LXXIV.

Mysteria Christi Domini excogitata in omnibus viis et statibus valde conducunt, cum per illa accessum habeamus ad lumen paternum; hoc tamen debet fieri debito ordine et modo cuique statui conveniente.

Colligitur ex documento primo. Et licet ibi non explicetur quomodo memoriae istae exercendae sint in quolibet statu, explicatur ab auctoribus mysticis: ita ut ab incipientibus exerceantur per discursum et meditationem; proficientibus modo contemplativo etiam imaginario; perfectis vero modo contemplativo intellectuali et sine figuris et imaginibus, maxime dum iam sunt quieti et defixi in contemplatione. De quo videri potest *Concordantia mystica*, lib. II, a cap. 26 usque ad 31 (3) et *Ascensus animae*, libro secundo, capite undecimo (4) et in nostra *Catena*, propos. 31. (5).

De mysterio etiam sanctissimae Trinitatis, licet eius cognitio sit magis particularis, dicendum est non impedire huic contemplationi, dummodo non fiat per speculationem scholasticam, de qua videtur loqui D. Bonaventura, *De mystica theologia*, part. IV, cap. 3 (6). Nec per hoc relinquatur conceptus ille generalis totius divinitatis, nec nimium frequenter et multum detineamur in illa distincta cognitione; de quo etiam videatur dicta *Concordantia*, lib. II, cap. 29, num. 5 (7).

RESOLUTIO LXXV.

Loquendo autem de via unitiva activa partis affectivae, ad illam spec-

(3) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 26-31; Barcelona, 1667, pp. 219-253.

(4) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Subida del alma a Dios*, lib. II, cap. 11; ed. 1694, pp. 138b-142a; melius foret cap. 10-12, pp. 137a-144a.

(5) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 31; pp. 269a-276b.

(6) HUGO DE BALMA, Cartusianus, *De mystica theologia*, cap. 3, particula 4; *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 39a-46a. — Deest in ed. Quaracchi. — Circa authenticitatem cf. supra, Ia parte, quaest. 11, nota (5), pp. 56a-57a.

(7) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Concordancia mistica*, lib. II, cap. 29, num. 5; Barcelona, 1667, pp. 240-242.

tant principaliter actus amoris, qui licet in omnibus viis exerceantur, sunt tamen magis proprii huius viae unitivae, cum unio ipsa per amorem fiat et amor ipse sit radix et veluti primum mobile omnium affectuum voluntatis.

Colligitur ex documento sexagesimo primo. Et quod amor sit causa omnium passionum et affectionum: nimirum amor sensibilis, qui est passio, causa passionum; et amor spiritualis, qui est affectus, causa affectionum; non indiget probatione, cum sit doctrina constans D. Thomae et theologorum in I^{a} part., quaest. 20 art. 1; et quaest. 60 in princ.; et I^{a} II^{ae}, quaest. 26, art. 1 et 2; et quaest. 27, art. 4; et quaest. 28, art. 6; et quaest. 41, art. 2; et quaest. 46, art. 1 ;et quaest. 62, art. 3; et quaest. 70, art. 3; et in II^{a} II^{ae}, quaest. 17, art. 8; et quaest. 19, art. 9; et quaest. 162, art. 3 et pluribus aliis locis.

RESOLUTIO LXXVI.

Deus plus amari potest quam cognosci; et qui Deum amat, eum habet in se; et qui eum amat impermixte, id est sine consortio alterius rei amatae, a nullo potest laedi.

Haec habentur in documento VII, ubi sufficienter explicantur. Et quamvis aliqui dubitavere de primo asserto, quod voluntas plus possit amare quam intellectus cognoscere, doctrina tamen est D. Thomae, I^{a} II^{ae}, quaest. 27, art. 2, ad 2 et alibi saepe, et D. Bonaventurae, *Itiner.* V, dist. 5 (8), et iam communis. Si autem obiicias: sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; sed ad simpliciter amandum requiritur intellectio; ergo ad magis amandum maior intellectio. — Respondetur: axioma illud intelligitur de eo quod requiritur tanquam causa aut ratio formalis et non de eo quod solum requiritur ut conditio, quomodo requiritur cognitio ad amorem.

RESOLUTIO LXXVII.

Cognitio et amor perficiuntur in uno Deo cognito et amato, et Deus ad unitatem nos advocat; in qua reductione triplex gradus consideratur.

Colligitur ex documento XIX, et documento XLVIII, et documento LXXI, et etiam ex documento LIX, quatenus ex amore perficitur cognitio.

RESOLUTIO LXXVIII.

Gradus amoris iuxta Dionysium sunt quinque: mobilis, incessabilis, calidus, acutus, superfervens.

Habetur in documento XIV, ubi bene explicantur ab Hugone. Et licet isti gradus magis videantur pertinere ad viam unitivam passivam, ubi perfectius solent exerceri; bene tamen hic afferuntur, quia etiam in unitiva activa inveniuntur, quamvis non adeo efficaces. Alios gradus amoris enumerabimus resol. LXXXVIII.

RESOLUTIO LXXIX.

Unio animae ad Deum, in qua consistit perfectio viae unitivae, etiam invenitur in via unitiva activa et acquiritur labore et diligentia nostra. De qua unione acquisita, praeter ea quae dicta sunt in *Catena* (9), videatur quod dicitur in I^{a} parte, quaest. 17, dub. 1 et 2.

Ad hanc unionem activam seu acquisitam essentialiter pertinet propositum, quod vocant seraphicum, faciendi semper quidquid intelligitur esse perfectius et conformius divinae

---

(8) RODULPHUS DE BIBRACCO, O. Min., *De septem itineribus aeternitatis*, itin. V, dist. 5; *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 461a-462a. — Deest in ed. Quaracchi. — Circa authenticitatem cf. supra, I^{a} parte, quaest. 5, nota (14), p. 32a.

(9) *Catena mystica*, colac. I, prop. 9, 26-27; Madrid, 1678, pp. 70a-80b; 216a-229b.

voluntati hic et nunc; quod definit noster Hermannus a sancto Norberto in suo *Cibo solido*, libro I, capite 1 (10): *Est propositum ardens et efficax in fundo cordis appretiative diligendi super omnia divinae voluntatis executionem universaliter in omnibus, etiam non praeceptis.*

Quod ibidem (11) sic explicat: dicitur *propositum ardens et efficax*, id est, *tam ardens ut sit efficax et omnino planum* et non tantum inefficax. Dicitur *in fundo cordis* seu voluntatis, quia non ex aliqua pertranseunte passione vel ignorantia, sed prorsus voluntarie ex electione et industria. Dicitur *appretiative diligendi executionem divinae voluntatis super omnia*, quia non est necesse ut intensive seu affective et suavi teneritudine magis diligatur, sed appretiative et quasi in bilance appensum hoc bonum magis praeponderet quam omnes creaturae. Dicitur *universaliter*, ut comprehendat non solum praecepta, sed consilia.

Si obiicias: aliquod consilium potest esse perfectius secundum se et quasi in abstracto, quod tamen hic et nunc non conveniat, nec liceat exsequi; verbi gratia, intrare religionem qui iam est matrimonio coniunctus et manente consorte in saeculo, etc. Ergo non semper convenit propositum faciendi quod perfectius est. — Respondeo: concedo totum, sed nihil contra nos; quia loquimur non de perfectiori in abstracto, sed hic et nunc inspectis circumstantiis et quod est conformius divinae voluntati respectu mei. De quibus tamen late disputat idem auctor, ubi possunt videri. Et omnia comprehenduntur in definitione huius unionis activae, quam affert Seraphica Mater *Mansione* V, capite tertio (12): *Non habere voluntatem nisi ligatam voluntati divinae.*

RESOLUTIO LXXX.

Signum huius unionis est perfectus amor proximi. Quem quidem amorem esse reductivum et activum dicitur in documento XIV, et de quatuor modis amandi proximum in documento LXI.

Quod autem amor proximi sit signum praedictae unionis, doctrina est Seraphicae Matris loco citato ex *Mansione* V (13).

DUBITATIO VIII

QUAENAM PERTINEANT AD VIAM UNITIVAM PASSIVAM TAM PARTIS COGNOSCITIVAE QUAM APPETITIVAE?

RESOLUTIO LXXXI.

Ad partem cognoscitivam in via unitiva passiva pertinent contemplationes mysticae theologiae infusae, quarum triplex est gradus.

De mystica theologia quid sit et quomodo dividatur in acquisitam et infusam, constat ex I[a] parte, a quaest. 3 (1) prooem. usque ad quaest. 9. Hanc autem contemplationem pertinere ad viam unitivam passivam patet: quia in hac via ultima et perfectissima perfectissimae etiam contemplationes debent inveniri, quas esse mysticas theologias per omnes suos gradus diximus I[a] parte, ubi supra.

---

(10) *Cibus solidus perfectorum. Sive de proposito et voto seraphico S. M[tris] N. Teresiae faciendi semper quidquid intelligeret esse perfectius, libri duo.* lib. I, cap. 1; Antverpiae, 1670, t. I, p. 8.

(11) pp. 9-12.

(12) *Moradas V*, cap. 3, §. *Paréceme;* ed. crít., t. IV, p. 86: *Con no tener voluntad si no atada con lo que fuere la voluntad de Dios.* — In ed. 1684, p. 594[a] erronee legitur: « *Mansione I* ».

(13) *Moradas V*, cap. 3, §. *La mas cierta señal;* ed. crít., t. IV, pp. 88-91.

(1) In ed. 1684, p. 594[b] legitur: « *a quaest.* 2 ».

RESOLUTIO LXXXII.

Primus gradus mysticae theologiae infusae est contemplatio pura et ingressus ad divinam caliginem.

Quid sit contemplatio pura, diximus I[a] parte, quaest. 5. De qua etiam in documento IV et documento XIX.

RESOLUTIO LXXXIII.

Secundus gradus mysticae theologiae infusae est contemplatio in caligine divina.

De contemplatione in caligine diximus I[a] parte, quaest. 9 prooem., et de caligine divina in quaest. I *Mysticae Theologiae;* et quomodo in caligine mens caeca repleatur splendoribus quaest. 10.

RESOLUTIO LXXXIV.

Tertius et supremus gradus mysticae theologiae, qui absolute solet appellari theologia mystica, ille est qui procedit ex notitia experimentali voluntatis unitae.

De hoc tertio gradu egimus I[a] parte, quaest. 9 prooem.; et quod sit fastigium mysticorum oraculorum, in quaest. 3 *Mysticae Theologiae.* Quod non consistat in solo actu voluntatis, diximus quaest. 13. Quomodo anima in illa non desinat operari, quaest. 12. An dicendus sit proprie theologia mystica, diximus quaest. 11.

RESOLUTIO LXXXV.

Ad omnes istos gradus theologiae mysticae solent infundi species intelligibiles praeter lumen ad contemplandum; quod in duobus primis gradibus solet esse donorum Spiritus Sancti, in ultimo lumen est superius per modum transeuntis et veluti participatio luminis gloriae.

De istis speciebus videantur quae diximus quaest. 8 per totam; ubi in dub. 7 disputatur an essentia divina per modum speciei concurrat ad istum ultimum gradum. Et de infusione specierum in unione habituali diximus in documento LIII.

RESOLUTIO LXXXVI.

Ex parte affectiva voluntatis correspondent his tribus gradibus mysticae theologiae tres gradus unionis etiam passivae seu infusae, ita ut primo gradui, qui est contemplationis purae, correspondeat primus gradus unionis, cuius actus sunt breviores et dicuntur a Seraphica Matre visitationes Sponsi; secundo autem gradui, qui est contemplationis in caligine, correspondet secundus gradus unionis, in quo celebrantur sponsalia; tertio tandem gradui mysticae theologiae correspondeat tertius et supremus gradus unionis, qui remanet habitualis et in quo celebratur matrimonium spirituale.

De istis unionibus et quomodo fiant et de correspondentia earum respectu contemplationis, videantur dicta in I[a] parte, quaest. 17 et dubiis seq.

RESOLUTIO LXXXVII.

In hoc statu principaliter exercentur actus seu aspirationes anagogicae, ideoque appellantur etiam desideria extactica et contactus divinitatis; quibus anima in contemplatione mysticae theologiae elevatur ad Deum per amorem quendam ferventissimum, ad quem specialiter movetur ab ipso, et sine aliquo medio Deum veluti tangit; qui quidem actus iam pertinent ad ipsam unionem. Licet enim hoc nomen actus seu aspirationis anagogicae iam extendatur ad quoslibet actus amoris breves, quos appellamus affectiones cordis et orationes iaculatorias, qui in quolibet statu possunt exerceri proportionabiliter; attamen per antonomasiam ad illos divinos contactus et actus amoris unitivi et extactici principaliter significandos positum fuit.

De nomine anagogiae vide quae diximus in documento secundo. Licet

enim ibi non specialiter agat sanctus Doctor de istis actibus anagogicis, bene tamen possunt ad illos revocari quae ibi dicta sunt. Hos vero actus breves amoris valde conducere ad unionem et perfectionem consequendam, si frequenter exerceantur, docent communiter auctores mystici. Et quamvis sint magis proprii viae unitivae tam activae quam passivae, in aliis etiam viis valde proficue exercentur debita proportione servata. Ita ut in via purgativa magis exerceantur illi qui ad purgationem animae conducere possunt, verbi gratia: O pater amantissime, *peccavi in caelum et coram te, non sum dignus vocari filius tuus* (2). O Domine Pater et Redemptor, poenitet me peccasse contra te. O utinam millies mortuus essem, priusquam te offendissem, etc. In via illuminativa magis conducunt illi qui ad terrena despicienda, virtutes acquirendas et Christum imitandum inserviunt, verbi gratia: O amator hominum, quando te solum sequar et omnia contemnam! O exemplar virtutum, quando ad imaginem tuam conformabor! etc. In via unitiva, illi qui magis ad unionem amoris alliciunt, verbi gratia: *Quid mihi est in caelo et a te quid volui super terram?* (3) nihil aliud praeter te Domine, etc.

RESOLUTIO LXXXVIII.

Huc etiam spectant gradus illi amoris supra recensiti a Sancto Doctore; licet enim ex industria et applicatione nostra exerceantur in via unitiva activa, in ista passiva ex particulari motione Spiritus Sancti ardentius et efficacius exercentur.

De gradibus amoris agitur in documento XIV. Non tamen eodem modo numerantur et nominantur ab auctoribus mysticis. Nam Ioannes Ruusbrochius, *De gradibus amoris*, libell. I (4), septem gradus distinguit. Primus est bona voluntas. Secundus, voluntaria paupertas. Tertius, castitas. Quartus, humilitas. Quintus, Dei honorem appetere. Sextus, clara et dilucida contemplatio cum puritate et nuditate. Septimus, mystica et suprema contemplatio in unione fruitiva, etc.

D. Bernardus (5) decem enumerat. Primus, languere utiliter. Secundus, quaerere Deum incessanter. Tertius, operari indesinenter. Quartus, sustinere infatigabiliter. Quintus, appetere impatienter. Sextus, currere velociter. Septimus, audere vehementer. Octavus, astringere indissolubiliter. Nonus, ardere suaviter. Decimus, assimilari totaliter. Quos explicat D. Thomas, *Opusc.* LXI (6); N. V. P. Ioannes a Cruce libro II *Noctis*, cap. 19 et 20 (7); et nos in *Catena mystica*, propos. 11 (8).

Richardus a Sancto Victore, *De gradibus charitatis*, cap. 2 (9), alio tendit, ex quo et aliis auctoribus decem gradus collegit P. Alvarez de Paz, tom. III, lib. V, part. II, cap. 5 (10). Primus est amor dulcis. Secundus, amor fortis. Tertius, amor liber. Quar-

---

(2) Cf. *Luc.*, cap. XV, v. 18-19 et 21; Hetzenauer, p. 1027: *Pater, peccavi in caelum, et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.*

(3) *Ps.* 72, v. 25; Hetzenauer, p. 524: *Quid enim mihi..*

(4) RUUSBROEC (IOANNES —), *De septem gradibus amoris*, cap. 1-5, 13-14; *Opera omnia*, versio latina Laurentii Surii, Coloniae Agrippinae, 1609, pp. 389-398, 412-416. — *Van VII trappen in den graet der gheestetiker minnen*, cap. 1-5, 13-14; *Werken*, Maetschappy der Vlaemsche Bibliophilen, Gent, 1858-1868, t. IV, pp. 2-20, 50-60.

(5) Sic apud D. Thomam, loco mox citando.

(6) i. e. Opusc. LIV: *De dilectione Dei et proximi*, §. *De decem gradibus amoris secundum Bernardum*; ed. Vivès, t. XXVIII, pp. 351a-367b.

(7) *Noche oscura del espíritu*, canción II, v. 2, § 3-4 (cap. 19-20); ed. crit., t. II, pp. 112-119. — Ed. lat. 1639, pp. 259b-263b.

(8) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 11; Madrid, 1678, pp. 86a-97b.

(9) *Tractatus de gradibus charitatis*, cap. 2; Migne, P. L., t. 196, col. 1195-1200.

(10) *De inquisitione pacis*, lib. V, part. II, cap. 5, §. *Non uno* sqq.; *Opera*, ed. Vivès, t. VI, pp. 506b-512b.

tus, amor insatiabilis. Quintus, amor incessabilis. Sextus, amor insuperabilis. Septimus, amor vulnerans. Octavus, amor ligans. Nonus, amor languidum faciens. Decimus, amor defectum faciens et sensum derelinquens.

Quae omnia explicare et concordare non lubet modo, cum Sancti Dionysii mentem sequi profiteamur. Ad cuius quinque gradus amoris revertendo, mihi videtur sic intelligi posse: ut primus gradus nempe *amoris mobilis* dicatur, cum iam incipit vivere non solum habitualiter per caritatis habitum, sed actualiter per desideria aeternorum et motus in Deum. Secundus, qui est amoris *incessabilis*, quando iam maiori frequentia et quasi continuitate in hac vita possibili Deum semper attendat et intendat. Tertius, amoris *calidi*, cum iam calor amoris foris exit per opera, ut facile possit ab aliis cognosci cordis calor, immo etiam alios calefacere possit et ad Deum allicere. Quartus, amoris *acuti*, qui omnia penetrat et pervadit, ut solum Deum amet et in illo solo detineatur. Quintus, amoris *superfervidi*, quo non solum alia omnia, sed nosipsos relinquimus, nec iam de quiete nec iam de gloria valde solliciti, sed de solo Dei honore curantes.

Ubi advertendum est *amorem acutum* variis nominibus appellari a mysticis. Iam enim dicitur amor *liquescens*, ut ex Hugone vidimus in expositione documenti XIV; iam amor *sapiens*, ut ipse etiam ibi explicat; quomodo etiam D. Thomas, II^{a} II^{ae}, quaest. 49, art. 2, ad 2, vocat donum intellectus *acuta perspectio divinorum*. Dicitur etiam amor *famelicus*, quomodo explicantur impetus illi amoris quibus anima disponitur proxime ad unionem; de quo videatur N. Iosephus a Iesu Maria, II parte *Introitus*, lib. I, cap. 28 (11).

Similiter amor *superfervidus* aliquando dicitur *vulnerans*, ut quando Seraphim vulneravit cor Seraphicae Matris (12), tanquam dispositio ad secundum gradum unionis extaticae, ut explicatur ab eodem auctore, lib. II, cap. 6 et 7 (13). Aliquando vero ipsemet amor superfervidus vocatur *cauterium seraphicum*, quod est veluti gradus superior eiusdem amoris superfervidi et disponit animam ad unionem habitualem. De quo videatur idem auctor, lib. II, cap. 17 (14); ubi etiam dicitur quomodo iste gradus vocetur ab aliquibus tertius et supremus amoris *violenti* (15).

Cum autem in ordine ad varios gradus unionis dentur quatuor vel quinque gradus amoris impetuosi, primi impetus, qui fiunt in parte sensitiva et ideo possunt et debent cohiberi ne salutem offendant, videntur mihi pertinere ad amorem *calidum*, utpote qui in corpore et foris magis sentitur. Secundi et tertii impetus appellantur ab auctoribus citatis gradus amoris *acuti* et *famelici* propter rationem D. Thomae, I^{a} II^{ae}, quaest. 33, art. 2. Quarti autem impetus sunt amoris *acuti vulnerantis*. Quinti denique amoris *superfervidi*, ut iam diximus.

RESOLUTIO LXXXIX.

Hic etiam magis inveniuntur effectus illi amoris, nimirum extases et raptus omnium sensuum et etiam intellectus ad visiones intellectuales. Qui quidem raptus licet sint admodum breves in primo gradu unionis, in secundo sunt maiores, frequentiores et maxime proprii; et in tertio, qui est unionis habitualis, licet raptus sint

(11) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. I, cap. 28; ed. 1694, pp. 331^{b}-337^{a}.

(12) *Vida*, cap. 29, §. *Quiso el Señor;* ed. crit, t. I, pp. 234-235.

(13) IOSEPH A IESU MARIA, C. D., *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. II, cap. 6-7; ed. 1694, pp. 366^{a}-373^{a}.

(14) Ed. 1694, pp. 415^{b}-416^{a}.

(15) *Ib.*, §. *Con estas ultimas palabras;* ed. 1694, pp. 418^{a}-419^{a}.

rarissimi et minus violenti, toto tamen tempore quo durat unio habitualis, quod solet esse usque ad finem vitae, persistit anima in extasi quasi continuata.

Quid sit extasis, dicitur in documento LXIII. De raptu quoad sensus externos ad visionem imaginariam, quae est propria viae illuminativae, dictum est suo loco in resolutione quinquagesima nona; nunc loquimur de raptu omnium sensuum tam externorum quam internorum, qui solet esse ad visionem intellectualem propriam huius status; de quo etiam videatur quaestione decima prooemiali. Quod autem unio habitualis sit continua extasis, dicitur in documento LXIII.

Obiicies: Si anima in unione habituali est in continua vel quasi continua extasi, semper esset elevata in Deum per intellectum et voluntatem. Ergo non posset simul attendere ad operationes exteriores; quod est contra experientiam. Probatur consequentia: quia non potest intellectus in via attendere ad plura ut plura, nec proinde exercere simul vitam activam cum Martha et contemplativam cum Maria; nec posset intellectus recipere species vel converti ad phantasmata ad singularia percipienda.

Respondetur negando consequentiam. Ad primam probationem respondetur cum Alberto Magno distinguendo: si intellectus operetur praecise secundum virtutem suam, concedo; si addatur virtus aliqua infusa a Deo, nego. In hoc autem statu particulariter movetur a Deo ad opera exteriora convenientia, ita ut recordetur eorum quorum recordari debet et obliviscatur quae oblivisci debet; et voluntas amet quod amare debet et odio habeat contraria Deo. De quo videatur D. Thomas, I^{a} II^{ae}, quaest. 110, art. 4, ad 1, ubi affert exemplum equitantis; et nostra Seraphica Mater cap. 20 *Vitae*, in fine (16); et N. V. Pater, qui hoc late explicat lib. III *Ascensus*, cap. 1 (17). Ad secundam probationem dicimus: hoc esse proprium huius unionis ex speciali privilegio, ut simul comitentur in ea Martha et Maria, ut experta est Seraphica Mater, *Mansione* VII, cap. 1, in fine (18). Ad ultimam, de receptione specierum, licet noster Iosephus a Iesu Maria, II^{a} parte *Introitus*, lib. III, cap. 7 (19), videatur admittere cum Taulero (20) et aliis intellectum in statu unionis habitualis non recipere species a phantasia, nec intelligere per conversionem ad phantasmata, sicut stolam in statu innocentiae cognoscebat ad modum angelorum; tamen nec de Adamo hoc admittitur ab aliis cum D. Thoma, I^{a} part., quaest. 94, art. 3, ad 1 et in II *Sent.*, dist. 13, quaest. 1, ad 2 (21). Nec in praesenti hoc videtur admittendum universaliter in omnibus operationibus; non tamen est inconveniens quod aliquando ita contingat non solum per infusionem specierum, sed per omnimodam abstractionem a sensibus, sicut diximus de contemplatione pura, dirigente tunc Deo alias potentias ad exsecutionem operis.

RESOLUTIO XC.

Ex dictis de raptibus huius status constat in illo etiam dari revelationes intellectuales, in quibus connumeramus aliquas humanitatis Christi adeo superiores, sicut illa de qua loquitur nostra Seraphica Mater, cap. 28 Vitae,

---

(16) Ed. crit., t. I, pp. 155-157.

(17) *Subida del Monte Carmelo*, lib. III, cap. 1; ed. crit., t. I, pp. 271-279. — Ed. lat. 1639, pp. 121-125^{a}.

(18) *Moradas VII*, cap. I, §. *Pareceros ha* sqq.; ed. crit., t. IV, pp. 183-184.

(19) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. III, cap. 7, §. *Esto, pues;* ed. 1694, pp. 452^{a}-455^{a}.

(20) TAULERUS (IOANNES—), O. Pr., *Institutiones*, cap. 26, medio; *Opera*, interprete Laurentio Surio, Coloniae Agrippinae, 1553, p. 620^{a}.

(21) Indicatio erronea. — Cf. II *Sent.*, dist. 23, quaest. 2, art. 1.

in princ. (22), *quamvis ipsa eam appellet imaginariam.*

De istis visionibus videatur in I[a] parte, quaest. 23; et de visione illa distincta humanitatis documentum XV.

RESOLUTIO XCI.

In statu unionis exercentur virtutes heroicae et maxime illae quae dicuntur beatitudines et sunt fructus donorum Spiritus Sancti, sicut actus virtutum infusarum dicuntur fructus Spiritus Sancti.

De fructibus Spiritus Sancti et beatitudinibus videantur quae diximus in *Catena*, prop. 38 (23); et de pace quae est unus ex duodecim fructibus quos enumerat Apostolus (24), diximus documento LXXII et LXXIII. Potest etiam hic spectare impatibilitas illa perfectorum, de qua in documento LXXXVI.

RESOLUTIO XCII.

Debet etiam voluntas quae ad unionem pervenire desiderat, relinquere omnia sensibilia et intelligibilia et denique totus homo fieri Dei.

De primo videatur in I[a] parte, quaest. 16; et de secundo, documentum XXX.

SYNOPSIS

ORDINATA TOTIUS DUBITATIONIS VIII DE VIA UNITIVA PASSIVA.

Cum ad viam unitivam passivam, de qua egimus in hac octava dubitatione, pertineant tres gradus theologiae mysticae in parte cognoscitiva et tres gradus unionis ex parte affectiva, et cuilibet ex illis correspondeat particularis dispositio et proprietas ex iis quae dicta sunt promiscue in illius resolutionibus, non inutile erit summatim hic in fine omnia colligere, eo tamen ordine disposita quo solent ut in plurimum contingere.

Postquam igitur anima iam fuerit purificata purgatione sensibili passiva, de qua locuti sumus resolutione XXVIII, et post delicias recollectionum infusarum, nempe orationis recollectionis, orationis quietis, somni potentiarum et ebrietatis spiritualis partis sensitivae, solet primo advenire purgatio quaedam ignea etiam partis sensitivae, quae consistit in quodam vehementi amoris impulsu, et magis videtur esse amoris calidi quam amoris acuti, qui dicitur famelicus, ut tetigimus resolutione LXXXVIII.

Secundo sequitur post multos annos a purgatione sensibili purgatio illa horribilis partis intellectivae, de qua egimus resolutione XXIX. In qua simul solet exerceri, sed imperfecte, obscure et laboriose, tam contemplatio mysticae theologiae quam unio affectiva voluntatis; et solum ingrediuntur purgationem istam illi quos Deus vocat ad unionem perfectam; nec sine illa facile credendum est aliquem obtinuisse unionem infusam perfectam; soletque multo tempore durare, nisi forte in animabus valde puris, in quibus non solet esse continua, sed consolationibus et communicationibus dulcibus immisceri.

Tertio, ad istam purgationem aqueam sequitur alia ignea seu impetus amoris acuti et famelici; de quo in resolutione LXXXVIII.

Quarto, sic purgata iam anima ingreditur primum gradum theologiae mysticae, qui est contemplatio pura et introitus in divinam caliginem, ut resolut. LXXXIII; cui primo sequitur in voluntate quaedam ebrietas spiritualis, quae est unio imperfecta.

Quinto, hic introducunt aliqui aliam purgationem spiritualem aqueam veluti complementum illius quam

(22) *Vida*, cap. 28; ed. crít., t. I, pp. 217 sqq.

(23) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 38; Madrid, 1678, pp. 323[a]-324[b].

(24) *Gal.*, cap. V, v. 22-23.

diximus num. 2; de qua videatur resolut. XXX.

Sexto, hanc purgationem sequitur alia ignea et amoris acuti seu famelici, similis illi de qua num. 3.

Septimo, post aliquas influentias quae vocantur divini contactus, sequuntur primi actus unionis affectivae, qui sunt brevissimi; de quibus resolut. LXXXVI.

Octavo, disponitur anima ad secundum gradum unionis in quo sponsalia celebrantur, per alios impetus amoris *acuti* et *vulnerantis;* de quibus resolut. LXXXVIII.

Nono, ingreditur anima secundum illum gradum unionis, ut ibi diximus resolut. LXXXVI, in quo sunt frequentissimi raptus perfecti et visiones intellectuales indistinctae, ut dicitur resolut. LXXXIX; exercenturque actus beatitudinum, de quibus resolut. XCI; et ex parte intellectus hanc unionem solet antecedere et comitari secundus gradus mysticae theologiae, qui est contemplationis in caligine; de quo resolut. LXXXIII.

Decimo, ut disponatur magis anima ad unionem habitualem matrimonii spiritualis, ingreditur aliam purgationem igneam, quae dicitur amoris *superfervidi;* de quo resolut. LXXXVIII.

Undecimo, sequitur denique unio illa fruitiva perfectissima huius vitae, quae remanet habitualiter et in qua celebratur matrimonium, ut resolut. LXXXVI; ex cuius gustu et notitia experimentali oritur ultimus et supremus gradus theologiae mysticae, de quo resolut. LXXXIV; quo nulla contemplatio est superior, nisi visio clara Dei; de qua egimus in documento L; quam etiam posse dari in hac vita per modum transeuntis diximus I[a] parte, quaest. 7 *Mysticae Theologiae* (25).

DUBITATIO IX

UTRUM (1) SICUT DEUS TANGIT ANIMAM IN UNIONE VEL IN ORDINE AD ILLAM, POSSIMUS ETIAM DICERE QUOD ANIMA ALIQUO MODO TANGAT ET GUSTET DEUM?

Hanc dubitationem et sequentem ad calcem *Operis* remisi, quia licet non ita coordinentur superioribus, nec ita necessario conducant ad documenta D. Dionysii, ad materiam tamen spectant et disputandas fusius solito iudicavi, tum ut probentur quae in *Catena mystica* prop. 4, resp. 5 (2) et prop. 35 per totam (3) obiter (ut par erat) ex auctoribus retuli, tum ut solvantur obiectiones quae pro parte negativa ab aliquibus proponuntur vel possent proponi.

Opinio igitur *negativa* rationibus sic probatur. *Primo*, quia licet communiter admittantur contactus Dei tangentis animam, omnes tamen theologi mystici et scholastici cum D. Thoma, I[a] part., quaest. 105, art. 2, ad 1, negare videntur dari ex parte animae contactum et gustum circa divinitatem. *Secundo*, quia iste contactus ex parte animae nequit esse corporeus seu quantitativus quantitate molis, ut patet; nec etiam virtualis seu quantitatis virtutis, ad quod requiritur ut anima possit operari et producere aliquid in Deo; ergo nullus contactus datur, cum a D. Thoma (4) dividatur contactus in illa duo membra, nec alius modus tangendi assignari possit. *Tertio*, quia anima solum per-

(25) In ed. 1684, p. 597[a] legitur: « *q.* 7. *m.* 7. ».

(1) In ed. 1684, p. 597[b] legitur: « *Ut* » pro « *Utrum* ».

(2) *Cadena mystica*, colac. I, prop. 4, resp. 5; Madrid, 1678, pp. 29. — In ed. 1684, p. 597[b] erronee legitur: « *resp.* 7 ».

(3) pp. 305[a]-311[b].

(4) l. c.

cipit effectus contactus activi Dei; ergo non tangit, nec gustat ipsum Deum propter infinitam distantiam divini obiecti. *Quarto*, quia nullus est theologus mysticus, qui tactus istos explicet ex parte animae tangentis Deum vel exercentis in Deum actionem tactivam; ut potest videri in primis in omnibus locis ubi B. P. N. Ioannes a Cruce loquitur de istis contactibus; deinde in omnibus eius discipulis, et denique in omnibus aliis. Immo expresse P. Thomas de Vallgornera illos excludit ex parte animae, dicens in *Mystica*, quaest. 3, disp. 5, art. 9 (5): *Tactus isti solum a Deo procedere possunt, etc.*

Affirmativa tamen sententia satis communis est; et passim locutio ista invenitur apud theologos non solum mysticos, sed etiam scholasticos; nec obscure in sacris paginis relucet; et, re bene perpensa, nulla in ea difficultas apparebit. Et in primis quod datur contactus Dei tangentis animam, non negatur in argumentis, immo fatetur locutionem esse expressam fere omnium doctorum mysticorum; eamque probat D. Thomas, *De verit.*, quaest. 28, art. 3 (6) ex illo *Psal.* 143 (7): *Tange montes* et ibi glossa *tange gratia tua*. Et inde infert quod Deus tangat animam producendo gratiam. Unde vocantur a mysticis tactus isti substantiales, quia fiunt in (8) substantia animae per productionem gratiae seu augmenti eius, licet simul fiant cum maiori radicatione virtutum et donorum in potentiis animae; quod explicant abunde nostri Didacus a Iesu in *Annotationibus ad libros N. B. P.*, disc. 1, phrasi 4 (9) et P. Nicolaus a Iesu Maria in sua pluries laudata *Elucidatione*, part. II, cap. 16 (10).

Solent autem specialiter vocari *contactus Dei* illi quibus in actu unionis animam evehit ad maiorem gratiam eiusque potentias illuminat et inflammat, praesertim quando hoc fit repentino quodam motu et impressione, vel etiam quando in ordine ad unionem communicantur animae quaedam notitiae (quas vocant *nudarum veritatum*) quibus anima dulciter, efficaciter et ut plurimum inopinate instruitur circa perfectiones divinas; de quibus agit N. B. P. Ioannes a Cruce lib. II *Ascensus montis Carmeli*, cap. 26 (11).

Ubi notandum est non eisdem verbis hoc inveniri in omnibus adiectionibus librorum eiusdem B. Patris; nam in praedicto cap. 26, §. *Estas noticias*, sic legitur in illis qui novissime praelo traditi sunt, maxime ab anno 1649 (12): *Estas altas noticias amorosas no las puede* (13) *tener sino* (14) *el alma que llega* (15) *a union con dios: porque ellas* (16) *son la misma union: porque consiste el tenerlas en cierto toque que se haze del alma en la Divinidad, y assi el mismo Dios es el que alli es sentido y gusta-*

---

(5) *Mystica theologia Divi Thomae*, quaest. III, disp 5, art. 9, num. 757; ed. 3ª (I. I. Berthier), Augustae Taurinorum, 1911, t. I, p. 544.

(6) corp.; ed. Vivès, t. XV, p. 319ª: *Ipse autem Deus, qui justificat impium, tangit animam, gratiam in ea causando: unde et in Psal. CXLIII*: Tange montes, Glossa, « de gratia tua. »

(7) v. 5.

(8) « *ea* » pro « *in* » in ed. 1684, p. 597ᵇ.

(9) *Apuntamientos y advertencias en tres discursos para más fácil inteligencia de las frases misticas y doctrina de las Obras espirituales de nuestro Padre San Juan de la Cruz*, disc. I, frasis 4; *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*, ed. crít., t. III, pp. 479-483. — Iª ed. Compluti (Alcalá de Henares) 1618, ad calcem operum S. Ioannis a Cruce; IIª ed. Barcinone (Barcelona) 1619, ad calcem eorundem operum.

(10) *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce... elucidatio*, part. II, cap. 16; ed. 1639, pp 182-190. — Iª ed. Compluti (Alcalá de Henares), apud Ioannem de Orduña, 1631, in-4º, pp. VIII-360.

(11) Ed. lat. 1639, pp. 102ª-107ᵇ. — *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 24; ed. crít., t. I, pp. 235-244.

(12) *Obras misticas y espirituales del V. P. F. Juan de la Cruz*, Madrid, por Gregorio Rodriguez, 1649: *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 26, p. 232ᵇ: *... que llegua a union de Dios:...*

(13) « *les puide* » in *Enucleationis* ed. 1684, p. 598ª.

(14) *Ib.* « *sine* » pro « *sino* ».

(15) *Ib.* « *gullega* » pro « *que llega* ».

(16) *Ib.* « *quor que elles* ».

do, etc. At vero in prima editione facta anno 1618 (17) aliter leguntur verba illa: *Ellas son la misma union* et illa: *del alma en la Divinidad;* leguntur enim sic: *Ellas pertenecen a la misma union, etc.* et *del alma con la divina verdad.* Cui lectioni consentit editio latina (18) et aliae quae correctiores iudicantur (19). Quidquid sit an diversitas sit substantialis, necne; de quo statim.

Quaestio tamen est de contactibus ex parte animae et quod etiam ex parte eius dentur aliqui contactus in Deum, ut possimus dicere Deum ab anima aliquo modo tangi, non ita intelligendum est quasi anima tactu corporeo Deum attingat, cum sit spiritus; nec etiam tactu virtuali, quasi anima aliquid in Deo producat; quod, ut patet, esset absurdum et contra fidem; sed debet intelligi de tactu metaphorico, cognitionis scilicet et amoris, per modum obiecti cogniti et amati; nec enim anima aliter potest attingere non inquam Deum, sed etiam creaturas. Quae doctrina est expressa D. Thomae locis infra adducendis.

Probaturque *primo* ex pluribus locis Scripturae, quae tactum istum vel exprimunt, vel includunt. *Cant.*, VIII (20): *Apprehendam te;* et (21): *Ut deosculer te;* et capite tertio (22): *Tenui eum;* capite quarto (23): *Vulnerasti cor meum, etc.* Quae omnia tactum includere quis non videat? *Zach.*, II (24): *Tangit pupillam oculi mei;* ecce tactum expresse. *Actorum*, XVII (25): *Quaerere Deum, si forte attractent eum.* Ubi Cornelius a Lapide (26): *Attractent, id est, contactu metaphorico et mentali cognoscendo.* Si ergo sacra Scriptura admittit tactum metaphoricum animae in Deum, cur in mysticorum scriptis male audiat?

Probatur *secundo* ex modo loquendi scholasticorum, quoties dicunt potentias attingere sua obiecta; si enim haec attingentia est metaphorica, nos etiam metaphorice loquimur. Omnes igitur theologi dicunt virtutes theologales Deum immediate attingere; unde inferunt religionem non esse virtutem theologicam, quia non tangit Deum immediate tanquam obiectum *quod.* De quo inter alios Suarez, tom. I *De relig.*, lib. III, cap. 3, num. 4 (27). Et pro omnibus sufficiat D. Thomas, I[a] part., quaest. 43, art. 3, in corp. (28), ubi ait: *Creatura rationalis cognoscendo et amando attingit ad ipsum Deum.* Et *De verit.*, quaestione 28, articulo 3 (29), postquam explicuisset modum quo Deus animam tangit, addit: *Mens autem humana aliquo modo tangit Deum,*

---

(17) *Obras Espirituales que encaminan una alma a la perfecta union con Dios*, Alcalá de Henares, en casa de Ana de Salinas, 1618; *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 26, p. 191: *Estas altas noticias amorosas no las puede tener sino el alma que llega a union de Dios: porque ellas mesmas pertenecen a la union: porque consiste el tenerlas en cierto toque que se hace del alma con la divina Verdad...*

(18) *Ascensus Montis Carmeli*, lib. II, cap. 16; ed. lat. 1639, p. 103[a]: *Istas vero sublimes amarosasque notitias nulla consequi valet Anima, nisi, quae iam ad unionem cum Deo provecta est; cum ipsae ad unionem iam pertineant: nam in quodam attactu, qui inter Animam et veritatem Divinam fit, consistunt, quare ipsemet Deus est ille, qui ibi percipitur et degustatur*

(19) *Subida del Monte Carmelo*, lib. II, cap. 24, §. *Estas noticias;* ed. crit., t. I, p. 237: *Y estas altas noticias amorosas no las puede tener sino el alma que llega á unión de Dios, porque ellas mismas son la misma unión; porque consiste el tenellas en cierto toque que se hace del alma en la Divinidad, y así el mismo Dios es el que es allí sentido y gustado.* — Ut patet, ed. critica et ed. 1649 congruunt.

(20) v. 2.

(21) *Ib.*, v. 1; Hetzenauer, p. 601: *Et deosculer te.*

(22) v. 4.

(23) v. 9.

(24) v. 8.

(25) v. 27.

(26) *Commentaria in Scripturam Sacram, Act.*, cap. XVII, v. 27; ed. Vivès, 1857-1861, t. XVII, p. 329[b]-330[a]: *Sensus ergo est, si forte homines Deum attrectent, non tactu corporeo, sed metaphorico et mentali, hoc est, si mente attingant, inveniant et cognoscant Deum.*

(27) *De virtute et statu religionis* (*De religione*, tom. I), tract. I *De natura et essentia virtutis religionis*, lib. III, cap. 3, num. 4; ed. Vivès, t. XIII, p. 45[a].

(28) Ed. Leon., t. IV, p. 447[b]: *Et quia, cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum.*

(29) Corp.; ed. Vivès, t. XV, p. 319[a]: *... cognoscendo vel amando.*

eum cognoscendo et amando. Quid amplius quaeritur?

Probatur *tertio* ex doctoribus mysticis tam antiquioribus quam recentioribus. Et ne prolixiores simus, sufficient pro antiquis D. Bonaventura, cap. 3 *De donis spiritus* (30): *Donum sapientiae*, inquit, *experimentaliter et practice et quasi saporose gustando Deum attingit.* Et cap. 4 (31): *Unio praecipue consistit in notitia saporosa et experimentali per tactum sive gustum ipsius Dei.* Hugo Victorinus, tom. II, lib. I *De Arca Noe*, cap. 4 (32), insinuans tres attingendi modos ex parte animae respectu Dei, ait: *Hoc est enim ad ipsum tendere et ad ipsum pertingere, semper eum per desiderium quaerere, et per cognitionem invenire, et per gustum tangere.*

Pro recentioribus sint satis P. Iacobus Alvarez de Paz, *De vita spirituali*, tom. III, lib. V, part. III, cap. 14, §. *Quid autem* (33), dicens: *Anima ad consolationes non respicit, sed ad originem omnium bonorum intra se manentem attendit; breviter per experientiam, per gustum et tactum spiritualem Deum agnoscit.* P. M. Pizanus in *Compendio mysticae theologiae*, lib. IV, cap. 14 (34): *Dico animam isto modo Deo ipsi unitam non solum percipere ipsam actualem unionem, gratiam et charitatem, immo et ipsum Deum potissimum sentire ac suavissimo tactu degustare.* Et infra (35): *Per unitivi amoris amplexum sensu tactus et gustus ipsum Deum experiuntur ac veluti palpant.* Quod novissime fusius prosequitur et defendit P. M. Petrus a Iesu Maria, *In Apocalypsim*, tom. I, cap. I, sect. 9, maxime num. 9 (36); et cap. IV, sect. 3, num. 4 (37), et num. 8 (38), in sequentibusque saepius repetit.

Beatus N. P. Ioannes a Cruce, libro supra citato, cap. 26 (39), si verba eius legantur iuxta novissimas editiones, nempe: *Consiste el tenerlas en cierto toque que se haze del alma en la divinidad*, aperte indicat tactum animae circa divinitatem. Si autem legantur iuxta antiquiores et correctiores impressiones, scilicet: *En cierto toque que se haze del alma con la divina verdad*, adhuc poterat sic intelligi; nam divina veritas obiectiva quae animae obiicitur in praedictis notitiis, est ipsamet divinitas et eius attributa. Quod etiam insinuat dicens: *El mismo Dios es el que alli es sentido y gustado.* Et in *Nocte obscura*, lib. II, cap. 23 (40), ubi dicit: *Unos como toques substanciales de divina union entre el alma y Dios.* Quod explicans P. Didacus a Iesu in *Annotationibus*, disc. 1, phrasi 4, § 2, prope finem (41): *Que mucho se diga que ai substan-*

(30) *Dicta salutis*, titulus VI: *De septem donis Spiritus Sancti*, cap. 3; ed. Peltier, t. VIII, p. 309b: *Sapientia vero est cognitio experimentalis et practica, et quasi cognitio per gustum.* — Deest in ed. Quaracchi. — Auctor huius opusculi non est Sanctus Bonaventura, sed Fr. GULIELMUS DE LANICIA, O. Min.; cf. *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Quaracchi, t. VIII, *Prolegomena*, cap. 3, art. 2, num. 6, pag. CXIa; et t. X, *Dissertationes de scriptis et vita S. Bonaventurae*, dissert. I, part. II, cap. 1, num. 35, p. 24a.

(31) Ed. Peltier, t. VIII, p. 310b-311b, quoad sensum.

(32) *De arca Noe morali libri IV*, lib. I. cap 4; Migne, P. L., t. 176, col. 632: *... eum et per desiderium...*

(33) *De inquisitione pacis*, lib. V, part. III, cap. 14, §. *Quid autem; Opera*, ed. Vivès, t. VI, p. 613b.

(34) PIZANUS DE LEON (FRANCISCUS —) O. B. M. de Mercede, *Compendium totius mysticae theologiae ex doctrina Sanctorum Patrum maiori ex parte concinnatum*, lib. IV, cap. 14; Matriti, 1649, fol. 415v: *Dixi esse experimentalem perceptionem Dei eiusque gratiae, ac donorum ut intelligatur animam isto modo Deo ipsi unitam non solum percipere ipsam actualem unionem prout actio quaedam est, qua anima Deo coniungitur, sed et gratiam, et charitatem quae sunt principia huius actionis, immo et ipsum Deum potissimum sentire, ac suavissimo tactu degustare.*

(35) fol. 417v-418r.

(36) PETRUS A IESU MARIA seu DE LA SERNA, O. B. M. de Mercede, *In Apocalypsim*, t. I, cap. I, sect. 9, num. 9; Matriti, 1670, t. I, p. 62b.

(37) p. 264b.

(38) p. 265b.

(39) Cf. supra, not. (12)-(19).

(40) *Noche oscura del espíritu*, canción II, v. 4 (cap. 23); ed. crit., t. II, p. 130: *Porque todos son toques sustanciales...*

(41) *Apuntamientos y advertencias en tres discursos para más fácil inteligencia de las frases místicas y doctrina de las Obras espirituales de nuestro Padre San Juan de la Cruz*, disc. I, frasis 4, §. 2 (fine);

ciales toques y contactos de divina union entre las dos essencias humana y divina, etc. Ex quibus verbis contactus mutuus non obscure colligitur.

Ex discipulis eiusdem B. Patris, Venerabilis P. Ioannes a Iesu Maria in sua *Mystica theologia*, cap. 5 et 6 (42), optime explicat quomodo anima Deum amplectitur, degustet, tangat, adstringat, etc.

Ven. P. Hieronymus Gratianus in *Declarationibus mysticae theologiae* (43), loquens de actibus anagogicis, illos appellat contactus divinitatis, quibus anima absque medio tangit Deum, etc.

P. Thomas a Iesu, *De contemplatione divina*, lib. V, cap. 14, prope finem (44). *Cum voluntas*, inquit, *Deo adhaeret, ac mystico contactu, gustu percipit, attingit, et amplexatur, etc.*

P. Philippus a SS. Trinitate in *Summa mysticae theologiae*, disc. prooem., art. 8, §. *Quartum est* (45), ait: *In huiusmodi unione Deus interno tactu et amplexu percipitur, et quodammodo palpatur ab anima*, etc.; et part. III, tract. I, disc. 1, art. 3 (46): *Ut intellectus agnoscat voluntasque tangat suavissimum Deum;* et part. III, tract. III, disc. 3, art. 8, §. *Attingentia haec* (47), late agit de attingentia qua sponsa Sponsum stringit.

Solus noster Iosephus a Iesu Maria, *Ingressus animae in paradisum*, lib. I, cap. 30 (48), movens istam quaestionem et adducens pro parte affirmativa S. Gregorium, S. Bonaventuram, S. Thomam et alios; et pro parte negativa ipsummet D. Thomam et Hugonem Victorinum, qui possunt intelligi de contactu virtuali, quem nos etiam negamus; vel de immediato, de quo aliqui dubitant; adhuc eos conciliat et affert novum modum explicandi contactum animae erga Deum, etiam si dicatur quod immediate non tangat, sicut tangitur rex mediantibus vestibus. Quod sufficit, ut etiam pro affirmativa parte citetur.

Probatur *quarto* ratione (supposita ut indubitata unione inter animam et Deum): Ut duo corpora uniantur, mutuo se debent tangere tactu quantitativo et proprie dicto; ergo ut duo spiritus invicem uniantur, sicut Deus et anima, debent se invicem tangere tactu improprio et metaphorico eo proportionali modo quo uniuntur. Sed Deus unitur animae communicando augmentum gratiae, caritatis et donorum; anima autem unitur Deo actualiter per actus cognitionis et amoris. Ergo Deus tangit animam tactu virtuali et productivo; anima vero Deum tactu cognitionis et amoris seu per modum obiecti cogniti et amati, qui metaphorice dicitur tactus. Antecedens per se patet ex inductione omnium corporum invicem unitorum. Consequentia ex terminis liquet: cum enim inter spiritus non possit dari tactus proprie dictus, explicatur eorum unio per tactum metaphoricum et similitudinarium. Minor subsumpta constat ex quaestione 17 de unione.

Confirmatur *primo*: quia unio ista appellatur in Scriptura sacra *osculum* et *amplexus* inter Deum et animam. Ergo sicut ex parte Dei datur osculum et amplexus animae producendo et agendo praedictas gratias, quibus il-

---

Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz, ed. crit., t. III, p. 481: *¿Qué mucho, pues, que..., se diga que hay sustanciales toques...*

(42) Ed. 1650, t. II, pp. 19a-28a; ed. 1771-1774, t. II, pp. 433b-442a. — In ed. 1684, p. 594b, legitur: « *cap.* 6 »

(43) HIERONYMUS A MATRE DEI (GRATIANUS seu GRACIAN), C. D., *Mistica teologia, colegida de lo que escrivio S. Buenaventura del verdadero camino del cielo, con un Itinerario de la perfeccion, que es declaracion, y recopilacion de las tres vias, Purgativa, Iluminativa, y Unitiva*, tratado III de la via unitiva, cap. 5-8; *Obras*, Madrid, 1616, fol. 110v-114v.

(44) *Opera omnia;* ed. 1684, t. II, p. 178a.

(45) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art. 8, §. *Quartum est;* ed. 1874, t. I, p. 52.

(46) Ed. 1874, t. III, pp. 27-31; ibi agitur de unione fruitiva actuali, at haec phrasis « *Ut intellectus...* » ibi non invenitur.

(47) Ed. 1874, t. III, pp. 402 sqq.

(48) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. I, cap. 30; ed. 1694, pp. 342a-345b.

lam tangit tactu virtuali; ita ex parte animae osculum et amplexus nihil amplius important quam actus cognoscendi et amandi; cum non habeat aliud os, nec alia brachia, praeter intellectum et voluntatem, quibus deosculatur, amplectitur, stringit et tangit Deum modo dicto.

Confirmatur *secundo* argumento quo utitur quodque enucleatius expendit P. M. Petrus a Iesu Maria in cap. IV *Apoc.*, sect. 3, maxime num. 4 et 14 (49): In intellectu, cum sit potentia eminentior et superior sensibus, datur cognitio correspondens sensationibus et actionibus corporis, ut docet D. Bonaventura, VI *Itinere aeternitatis*, dist. 6 (50); et ex alio capite essentia divina variis modis se potest communicare et cognoscendam praebere, nimirum per modum visionis, auditionis, gustus, tactus, amplexus, unionis, etc. Ergo non est mirum quod non solum voluntas, sed ipse intellectus cognoscendo Deum in hac contemplatione variis modis illum attingat, nempe visionis, gustus, tactus, amplexus, etc.

Dices: Deus potest operari immediate in anima et potentiis eius, et ideo dicitur illam tangere. Anima autem non potest Deum attingere per potentias immediate in seipso pro hac vita. Ergo quamvis cognoscat et amet, non ideo dicetur illum tangere. — Respondetur primo, dato antecedenti, negando consequentiam. Adhuc enim (ut supra diximus) P. Iosephus a Iesu Maria (51) salvat locutionem contactus Dei respectu animae et animae respectu Dei per hoc solum quod Deus mediantibus donis suis tangat animam et anima etiam mediantibus illis percipiat Deum.

Respondetur tamen secundo, negando antecedens quoad secundam partem. Anima enim in contemplatione theologiae mysticae et unione illam comitante immediate attingit Deum non solum per actus amoris, sed etiam per actus cognitionis. Et de actu amoris non videtur posse dubitari; proprium enim caritatis est Deum immediate amare et non mediante alio obiecto amato. De actu vero cognitionis in contemplatione quae fit per modum negationis, etiam Deus cognoscitur immediate negative, id est, non mediante alio obiecto cognito ut *quod;* in remotione enim omnium cognitorum insistit fere tota doctrina Sancti Dionysii et mysticorum, dum hanc contemplationem inculcant, ut late diximus ad primum caput *Theologiae Mysticae.* At in contemplatione suprema mysticae theologiae, quae ideo dicitur visio, positive attingitur Deus sub aliqua ratione communi et confusa immediate immediatione alterius obiecti, licet non immediatione speciei, quam etiam aliqui excludunt, ut diximus ad praedictum caput 1, quaest. 8, dub. 7.

Quod ut magis pateat, quaeritur quidnam mediet inter intellectum et Deum in suprema illa contemplatione? Si dicas quod mediat species; hoc non est medium *quod*, sed *quo*, ac proinde non tollit immediationem obiecti. Si dicas mediare aliud cognitum ut obiectum *quod;* iam destruis naturam contemplationis theologiae mysticae, in quo discriminatur ab aliis contemplationibus et totam doctrinam Sancti Dionysii. Nihil ergo mediat tanquam obiectum *quod*, ac proinde cognitio est immediata. Iam etiam de actu voluntatis non potes respondere quod mediet aliud obiectum amatum ut *quod*, nisi tollendo rationem amoris caritatis perfectissimi; nec quod mediet species, qua vo-

---

(49) *In Apocalypsim*, t. I, cap. IV, sect. 3, num. 4 et 14; Matriti, 1670, t. I, pp. 264b et 266b-267a.

(50) *De septem itineribus aeternitatis*, itin. VI, dist. 6; *Opera omnia Sancti Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 468b-472a. — Deest in ed. Quaracchi. — Auctor huius opusculi est Fr. Rodulphus de Bibraco, O. Min.; cf. supra, parte I, quaest. 5, nota (14), p. 32a.

(51) *Entrada del alma al parayso espiritual*, lib. I, cap. 30 (medio); ed. 1694, pp. 344a-345b.

luntas non utitur. Ergo immediate attingitur Deus per istos actus. Videatur de hac immediatione cognitionis et amoris citatus M. Petrus a Iesu Maria, *In Apocalypsim*, cap. IV, (52), ubi eam uberius probat et exponit.

Ad rationes dubitandi in principio positas patet responsio ex dictis. Nam *ad primam* respondetur cum omnibus auctoribus tam scholasticis quam mysticis in secunda et tertia probatione nostra adductis.

Ad secundam nego consequentiam; et ad probationem ibi insertam respondeo: D. Thomam dividere contactum quantitativum, utpote magis proprium, iuxta duplicem quantitatem: scilicet molis et virtutis. Non tamen negat, immo expresse asserit posse Deum aliquo modo tangi ab intellectu et voluntate per modum obiecti (ut diximus probatione secunda), quamvis iste contactus non dicatur quantitativus; non enim fit media quantitate molis, cum non sit corporeus; nec media quantitate virtutis effectivae, cum non producat aliquid in Deo; sed potest dici obiectivus seu per modum obiecti cogniti et amati.

Ad tertiam respondetur primo: transeat antecedens; nego consequentiam. Adhuc enim possemus dicere quod anima tangat Deum iuxta superius dicta ad obiectionem contra probationes. — Respondetur tamen secundo: nego antecedens. Non enim solum percipit anima effectum tactus activi Dei, sed percipit et gustat ipsum Deum, ut patet ex auctoritatibus supra citatis; qui quidem gustus Dei appellatur notitia experimentalis, ut explicat D. Thomas in illud *Psalm.* 33: *Gustate et videte* (53); ex eo quod Deus ipse gustatus sit intra nos.

Ad quod melius percipiendum notandum est animam dupliciter gustare Deum: vel enim solum gaudet de illo sibi praesente et unito, quo modo semper gaudium sequitur ad praesentiam boni amati; hic ergo actus gaudii ac gustus voluntatis non versatur nisi circa ipsummet Deum ut unitum et amatum. Vel etiam gustat anima saporem quendam spiritualem suavissimum communicatum animabus sic contemplantibus et amantibus Deum; quo modo etiam potest dici Deus gustatus tanquam causa per suos effectus, sicut dicitur gustare saccharum, qui gustat illius saporem. Unde optime dicit noster Beatus Pater loco supra citato (54): *Dios es el que alli es sentido y gustado.* Nec obstat quod ibi additur de distantia infinita obiecti, quae solum obstat comprehensioni et non perceptioni per potentias elevatas, alias etiam obstaret visioni beatae.

Ad quartam, praesupponendum est nobis non recte imputari quod admittamus *actionem tactivam* animae in Deum; aliud enim est rigorose loquendo exercere actionem tactivam, aliud tangere per operationem intellectus et voluntatis; operatio namque vitalis et immanens nihil producit in obiecto circa quod operatur; actio vero tactiva importat in rigore productionem in obiecto tacto et proinde tactum virtualem, quem negamus ex parte animae erga Deum. Loquendo igitur de tactu animae modo explicato, negamus non affirmari a theologis mysticis et a discipulis nostri Beati Patris, ut patet ex omnibus illis quos citavimus probatione tertia. Quidquid sit an idem Beatus Pater hoc expresse docuerit; non enim ad hoc tenebatur, si ad propositum et intentum proprium non serviret.

Nec etiam istam doctrinam de modo loquendi tanquam de fide adstruimus, ut non possent aliqui auctores contrarium asserere, ut de P. Vallgornera dicitur in argumento. Non tamen bene probatur illum contra quae di-

---

(52) Ed. 1670, t. I, pp. 249-362.

(53) *In Psalmos Davidis expositio*, Ps. 33, v. 9; ed Vivès, t. XVIII, p. 419b.

(54) Cf. supra, not. (12)-(19).

ximus sentire per hoc quod dicat quaestione III, disp. 5, art. 9 (55): *Tactus istos solum a Deo procedere posse, etc.* Loquitur enim ibi de tactibus divinis in animam, in qua solus Deus potest operari et non angelus; non tamen ideo negat tactus animae erga Deum, maxime cum illos adstruat noster Philippus a SS. Trinitate (56), cuius ipse est fidelissimus achates, ut legentibus eorum doctrinam mysticam patebit (57).

DUBITATIO X

UTRUM CERTITUDO SEU REVELATIO STATUS GRATIAE ET PRAEDESTINATIONIS AETERNAE DEBEATUR CONGRUENTIA AUT PER MODUM PROPRIETATIS SUPREMO GRADUI MYSTICAE THEOLOGIAE RATIONE UNIONIS FRUITIVAE ET CONIUGALIS?

Huius quaestionis pertractandae occasionem iam in principio praecedentis retulimus. Et pro parte negativa plures rationes poterunt afferri.

Prima est: quia hoc privilegium raro de facto et solum admittitur ab Ecclesia ut possibile. Ergo non debet constitui status perfectionis cui debeatur.

Secunda: quia constituere talem statum est contra sensum theologorum agentium de certitudine gratiae et dono perseverantiae.

Tertia: quia semper conveniens est animae, in quocumque statu habituali sit, habere saltem virtualem timorem quod illum possit amittere.

Quarta: quia saltem in vulgari lingua hoc edocere et excudere erit occasio pluribus animabus praesumendi ex quolibet favore divino se iam esse constitutas in illo securitatis statu.

Quinta, quam sibi obiicit praefatus P. Petrus a Iesu Maria (1): si ista certitudo debetur ex intrinseca natura illius contemplationis supremae, quae idcirco appellatur visio, et ex amore ferventissimo eam inseparabiliter comitante, quibus peccatum deliberatum repugnat (ut aliqui dixerunt), sequitur quod iam aliquis in hac vita sit naturaliter impeccabilis; quod est absurdum.

Sexta: quia si aliqui Patres et doctores mystici impeccabilitatem huius status videntur asserere, sunt explicandi in sensu composito, dum illa unio et amor actualis permanet; ex quo non infertur quod, etiam cessante illa, perseveret impeccabilitas.

Denique: hoc videtur pugnare cum pluribus locis sacrae Scripturae: ut *Iob*, XV, v. 14 (2): *Quid est homo, ut immaculatus sit, et ut iustus appareat natus de muliere? ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, etc.* - *Prov.*, XXIV, v. 16 (3): *Septies in die cadit iustus.* — *Isai.*, LXIV, v. 6 (4): *Quasi pannus menstruatae universa iustitia nostra* — *Iacobi*, III, v. 2 (5): *In multis*

---

(55) Cfr. supra, nota (5).

(56) Cf. supra, not. (45)-(47).

(57) Re quidem vera, ut iam dixi in *Cursu theologiae mystico-scholasticae* Iosephi a Spiritu Sancto, tom. II, praedicab. I, disp. 1, quaest. 1, num. 1; Brugis, 1924 sqq., t. II, p. 2, nota (6), opus Thomae a Vallgornera (*Mystica theologia Divi Thomae*) in multis non est nisi compendium quoddam *Summae theologiae mysticae* Philippi a Ss. Trinitate, C. D.; multa ad verbum exscribit Vallgornera, immo et eundem ordinem fere ex integro servat; nihilominus, ne una quidem vice Philippum a Ss. Trinitate nominat. *Summa theologiae mysticae* Philippi a Ss. Trinitate primo Lugduni, 1656, edita est; *Mystica theologia* Thomae a Vallgornera vero Barcinone, 1662. At quod maius est, est quod tum Quetif-Echard (*Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti*, Parisiis, 1719-1721, t. II, p. 604), tum P. I. I. Berthier, O. Pr. (qui his temporibus novam editionem *Mysticae theologiae* Thomae a Vallgornera curavit), hanc rem alto silentio tegunt.

(1) *In Apocalypsim*, t. I, cap. VII, sect. 4, num. 16; Matriti, 1670, t. I, p. 550a. — Cf. totam sect. 4, pp. 547a-552b.

(2) v. 14-15.

(3) Hetzenauer, p. 583: *Septies enim cadet iustus.*

(4) Hetzenauer, p. 722: ... *universae iustitiae nostrae.*

(5) Hetzenauer, p. 1175: *In multis enim offendimus omnes.*

offendimus omnes. Quibus et similibus auctoritatibus adde verba Concilii Tridentini, sess. VI de iustificatione, cap. 6 (6).

Affirmativam sententiam sequitur noster Philippus a Ss. Trinitate, disc. prooem. *Theologiae mysticae*, art. 8, §. *Quartum est* et §. *Quintum est* (7), ubi dicit animam quae in exercitio theologiae mysticae pervenit ad unionem fruitivam, non solum reddi certam de tali unione, sed etiam quod sit in statu gratiae et in numero electorum ex revelatione evidenti, quae debetur huic statui, licet postea saepe contingat oblivisci huius notitiae, ut cum timore et tremore salutem operetur, etc. Et hanc dicit communiorem sententiam mysticorum. P. M. Franciscus Pizanus in *Compendio theologiae mysticae*, lib. IV, cap. 14 (8), hanc etiam sequitur et dicit valde esse probabilem. P. M. Petrus a Iesu Maria *In Apocalypsim*, cap. VII, sect. 4 (9), illam amplectitur et late probat semetque ipsum etiam citat in 2. 2, disp. ult., sect. 7 (10) et alios. Adeoque certum iudicat animam per hanc unionem et contemplationem reddi impeccabilem seu confirmatam in gratia, ut neget Adamum in extasi illa ad istam supremam contemplationem pervenisse, quod aliqui dixerunt, et in Thabore tres illos discipulos, ex eo quod Adamus et Petrus postea peccaverint. Hanc autem experimentalem notitiam dicit esse illam qua Moyses Deum vidit et non visionem claram. Videatur ad cap. IV *Apocalypsis*, sect. 3 et 4 (11).

Citantur etiam pro hac sententia plures ex Patribus et doctoribus mysticis: S. Augustinus, *sermone* 185 *de tempore* (12). S. Ambrosius in illud *Cant.*, V: *Exui me tunica mea*, in principio octonarii 22 *in Psalm.* 118 (13), ubi ait: *Tanta vis consummatae emendationis est, quae vias erroris ignoret, crimen etiamsi velit, non possit admittere.* S. Bernardus, *De vita solitaria ad Fratres de Monte Dei* (14): Ut non iam similitudo sed unitas spiritus nominetur, non tantum unitate volendi idem (cum Deo), sed aliud velle non valendi. S. Laurentius Iustinianus libro *De casto connubio*, cap. 14 et cap. 25 (15), ubi hanc sententiam expressissime docet. S. Bonaventura, *De VII proc. relig.*,

---

(6) LABBEUS-COSSARTIUS, S. I., *Sacrosancta Concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XX, col. 34. — DENZINGER-BANNWART, S. I., *Enchiridion Symbolorum*, 10 ed., 1908, num. 798 (680), p. 268.

(7) *Summa theologiae mysticae*, disc. prooem., art 8, §. *Quartum est* et §. *Quintum est;* ed. 1874, t. I, pp. 52-54.

(8) PIZANUS DE LEON (FRANCISCUS —), *Compendium totius mysticae theologiae ex doctrina Sanctorum Patrum maiori ex parte concinatum*, lib. IV, cap. 14, §. *Ex dictis constat;* Matriti, 1649, fol. 415v: *Ex dictis constat valde esse probabile eos, qui ad hanc ineffabilem unionem singulari Dei beneficio fuerint sublimati: reddi de sua gratia, et acceptione securos.*

(9) Matriti, 1670, t. I, pp. 547a-552b.

(10) Revera, loco supra citato (id. est: *In Apocalypsim*, cap. VII, sect. 4; Matriti, 1670, t. I, p. 547a) legitur: « *Probavi hoc late disputatione ultima in* 2. 2. *sectione* 7. *quod et hic iterum faciam,...* ». Consequenter sensus est: Probavi hoc late disputatione ultima (i. e. cap. VI *Apocalypsis*) in 2. 2. (i. e. in secunda parte secundi versiculi), sect. 7, pp. 417b-422b, cuius sectionis titulus est: *Quam inscrutabilis, et fidem nostram exercens, sit Dei Providentia circa hominum salutem.* — Cf. etiam *ib.*, cap. XXII, sect. 2; t. II, pp. 298a sqq.

(11) T. I, pp. 263b-276a. Melius foret: *In Apocalypsim*, cap. IV, sect. 4, num. 7; t. I, p. 271b: *Non approbo tamen, quod aliqui supponere videntur, nimirum tres viros illos, qui montem cum Christo ascenderunt, etiam hanc experimentalem Deitatis notitiam habuisse...*

(12) Apud Migne, P. L., t. 39, col. 2087-2091, est sermo 182 sermonum suppositiorum.

(13) *In psalmum David CXVIII expositio*, sermo 22, num. 4; Migne, P. L., t. 15, Parisiis, 1845, col. 1513 (ed. 1887, col. 1591): *Exui tunicam meam... Tanta vis consummatae emendationis est, ut in quamdam pueritiae redeat spiritalis aetatem, quae vias erroris ignoret, crimen etiamsi velit, non possit admittere; quia desueverit usum nosse peccandi.*

(14) i. e. *Epistola seu tractatus ad fratres de Monte Dei*, lib. II, cap. 3, num. 16; Migne, P. L., t. 184, col. 349. — Haec epistola GULIELMUM, O. Cist. († 1149), auctorem habet. — Textum iam dedimus supra, part. I, quaest. 17, dub. 4, nota (59), p. 81.

(15) *De spirituali, et casto Verbi animaeque connubio*, cap. 14, fine; cap. 25, medio; *Opera omnia*, Venetiis, 1721, p. 144b et 175a.

cap. 15 (16) et *Itiner.* III, dist. 5 (17), ubi adducit Originem pro hac sententia. Ruusbrochius in *Tabernaculo foederis*, cap. 19 (18). Albertus Magnus, libro *De adhaerendo Deo* (19). D. Thomas, Iª IIªᵉ, quaest. 61, art. 5, loquens de virtutibus animi purgati. Taulerus, cap. 39 *Institutionum* et in 10 *Eucharistiae fructu* (20). Et plures alii, quos consultos omitto.

Probatur *primo* ex variis locis sacrae Scripturae: *Ad Rom.*, VIII (21): *Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Haec autem certitudo licet non sit de fide, ut volunt haeretici, est infallibilis secundum Caietanum (22) et Catharinum (23). At Andreas Vega (24), Ruardus (25) et Pereira (26) dicunt esse tantum coniecturalem, sed adeo crescere, ut quamvis viri isti sancti non possint iurare se esse in gratia, tam certo tamen hoc sciunt, sicut nos scimus et credimus esse Constantinopolim vel Alexandriam. Videatur hic Cornelius a Lapide (27), qui plura signa adducit unde hoc ita agnoscatur a viris istis perfectis. Ubi notandum est auctores istos adhuc non loqui de revelatione infallibili et evidenti, quam posse dari non dubitatur.

Psalm. 110, v. 3 (28): *Iustitia eius manet in saeculum saeculi.* Ubi Bernardus, *In Cantica serm.* 27 (29).

Ps. 72, v. 23-24 (30): *Ego semper tecum, tenuisti manum dexteram meam.* Ubi Ambrosius citatus a Lorino (31): *Tenuisti manum dexteram*

---

(16) Sic in ed. 1684, p. 600ᵇ. Textus cui hic alluditur, datur in editione Peltier *Operum omnium S. Bonaventurae*, t. XII, pp. 426ᵇ-432ᵃ in *De profectu religiosorum*, lib. II, cap. 73 (al. 72), quod caput 16 (al. 15) processus septimi est. Differentia unius capitis provenit ex eo quod in hac editione caput 55 in duabus partibus dividitur. Consequenter citatio auctoris cum antiquis editionibus congruit. — Hoc opusculum non est S. Bonaventurae, sed Fr. DAVID AUGUSTANI. Deest in editione Quaracchi *Operum omnium S. Bonaventurae.* — Cf. supra, parte I, quaest. 27, nota (7), p. 117.

(17) *De septem itineribus aeternitatis*, itin. III, dist. 5; *Opera omnia S. Bonaventurae*, ed. Peltier, t. VIII, pp. 432ᵇ-435ᵇ. — Auctor huius opusculi est Fr. RODULPHUS DE BIBRACO, O. Min.; cf. supra, parte I, quaest. 5, nota (14), p. 32. — Deest in ed. Quaracchi.

(18) *Opera omnia*, versio latina Laurentii Surii, Coloniae Agrippinae, 1609, pp. 126-132, praesertim a medio. — *Dat boec van den Gheesteleken Tabernacule*, cap. 19; *Werken*, Maetschappy der Vlaemsche Bibliophilen, Gent, 1853-1868, t. I, pp. 124-135.

(19) *Opera omnia*, Parisiis, Vivès, 1890-1899, t. XXXVII, pp. 523-543. — Opusculum *De adhaerendo Deo* a IOANNE CASTELLENSI, O. S. B., circa finem saeculi XIV vel initio XV, probabiliter ante 1414 scriptum est. — Cf. GRABMANN, *Bayerische Benediktinermystik am Ausgang del Mittel-Alters* in *Benediktin. - Monatschrift*, 1920, pp. 96-102; *Der Benediktinermystiker Johannes von Kastl, der Verfasser des Büchleins « De adhaerendo Deo »* in *Tübinger Theologische Quartalschrift*, 1920, pp. 186-235; *Mittelalterliches Geistesleben. Abhandlungen zur Geschichte der Scholastik und Mystik*, München, Huber, 1926, pp. 489-524. I. HUYBEN, O. S. B., *Le « De adhaerendo Deo »* in *La Vie spirituelle*, t. VII, num. 38 (novembre 1922), pp. [22]-[37]; num. 40 (janvier 1923), pp. [80]-[101].

(20) TAULERUS (IOANNES —), O. PR., *Institutiones*, cap. 39: *De duodecim magnis ac ineffabilibus donis atque gratiis quas divina clementia digne communicantibus largitur*, fruct. 10-12; *Opera*, interprete Laurentio Surio, Coloniae Agrippinae, 1553, pp. 646ᵇ-647ᵇ. — Auctor huius capitis 39 est ECKARDUS Senior.

(21) v. 16; Hetzenauer, p. 1103: *Spiritus testimonium reddit spiritui...*

(22) *Epistolae Pauli et aliorum Apostolorum ad graecam veritatem castigatae, et per... iuxta sensum litteralem enarratae. In ad Romanos*, cap. VIII, v. 16; Parisiis, 1550, fol. 52ʳ.

(23) Cf. infra, nota (27).

(24) *Tridentini Decreti de iustificatione expositio et defensio, libris XV distincta, totam doctrinam iustificationis complectentibus*, lib. IX, in cap. 9 decreti de iustificatione: De certitudine gratiae; Compluti, 1564, pp. 180ᵃ-286ᵇ. — Textus S. Pauli, *ad Rom.*, VIII, v. 16, commentatur *ib.*, p. 223ᵇ. — Citatur a Pererio et Cornelio a Lapide; cf. infra, not. (26) et (27).

(25) i. e. RUARDUS TRAPPERUS, Decanus Lovaniensis. — Citatur a Pererio et Cornelio a Lapide; cf. infra, not. (26) et (27).

(26) BENEDICTUS PEREMUS VALENTINUS, S. I., *Secundus tomus selectarum disputationum in sacram Scripturam, continens centum octoginta octo Disputationes super Epistola* (sic) *beati Pauli ad Romanos*, Ingolstadii, 1603; cap. VIII, v. 16, disp. 6-9, pp. 859-878; praesertim disp. 9, pp. 872-878, ubi num. 40, p. 875, refertur opinio Andreae Vegae; et num. 41 sqq., pp. 875-877, illa Ruardi Trapperi.

(27) *Commentaria in Scripturam Sacram, ad Rom.*, cap. VIII, v. 16; Parisiis, Vivès, t. XVIII, pp. 134ᵇ-136ᵃ; ubi, p. 134ᵇ, Caietanus, Catharinus, Andreas Vega, Ruardus et Pererius citantur.

(28) In ed. 1684, p. 601ᵃ, erronee legitur: « *v.* 10 ».

(29) num. 3; Migne, P. L., t. 183, col. 914. — In ed. 1684, p. 601ᵃ, erronee legitur: « *serm.* 7 ».

(30) In ed. 1684, p. 601ᵃ legitur: « *v.* 23 ».

(31) LORINUS (IOANNES—), S. I,. *Commentariorum in librum Psalmorum*, Ps. 72, v. 24; Moguntiae, 1678, t. II, p. 372ᵇ: *Subdit tenere manum dexteram nostram Deum, ut jam peccare non possimus.*

meam, ut amplius peccare non possim. Item I *Ioan.*, III, v. 9 (32): *Qui natus est ex Deo, non peccat: quoniam semen ipsius in ipso manet, et non potest peccare, etc.* Quem locum late explicat et applicat huic sententiae citatus P. Petrus a Iesu Maria, *In Apocalypsim*, cap. VII, sect. 4 (33); ubi distinguit de eo qui natus est ex Deo imperfecte et quasi in fieri per solam gratiam habitualem, et de eo qui perfecte et in facto esse potest dici natus ex Deo ratione gratiae perfectae in hoc statu unionis coniugalis; licet enim ille prior posset peccare, non tamen iste posterior propter confirmationem, etc.

Probatur *secundo* ratione: Status unionis fruitivae et perfectissimae dicitur status matrimonii rati, quia respectu sponsalium et aliorum statuum inferiorum importat nexum inseparabilem, cum tamen alii status sint dissolubiles. Sed permanentia unionis coniugalis non potest esse sine permanentia gratiae et perseverantia in illa. Ergo, etc.

Confirmatur primo: Quia multoties solet Deus animabus existentibus adhuc in inferiori gradu perfectionis revelare statum gratiae, confirmationem in illa et praedestinationem aeternam, ut passim audivimus ex vitis et legendis sanctorum. Ergo a fortiori hoc debetur huic statui coniugali et perfectissimo. Patet consequentia: quia favores, qui aliis sunt gratuiti, debentur saltem ex congruentia uxoribus et sponsis matrimonio coniunctis.

Confirmatur secundo: Quia summa delectatio, quies et gaudium animarum in hoc statu non potest compati cum dubio et timore iustitiae praesentis et gloriae futurae.

Confirmatur tertio: Quia tam propria est amicorum revelatio cordium, ut ex ea ratione quod occulta sui pectoris manifestaverit Apostolis, probat Christus illos vocandos esse amicos (34): *Iam non dicam vos servos, sed amicos, etc.* Debetur ergo intimae amicitiae, qualis exercetur in illo unionis statu, ista manifestatio, maxime circa materiam quae tantum ad illas spectat et circa securitatem quam semper suspirant et exoptant.

Ego quidem hanc affirmativam sententiam libentissime amplector, cum ea tamen limitatione qua illam retuli in *Catena mystica Carmelitica*, prop. 4, resp. 5 (35). Nempe, quod licet ex quadam congruentia illi statui debeatur revelatio praedestinationis et gratiae et multis fuerit concessa, non tamen necessario tanquam proprietas, nec omnibus, nec in eodem gradu certitudinis et evidentiae. Quod tantum videntur convincere argumenta secundae sententiae, ut ex eorum solutione constabit.

Ad argumenta autem negativae respondetur. Ad primum, nego consequentiam. Ex eo enim quod raro et de facto hoc privilegium concedat Ecclesia, non sequitur quod non debeatur saltem ex quadam congruentia statui unionis coniugalis, qui rarissimus est. — Ad secundum, nego assumptum, ut patet ex doctoribus citatis pro parte affirmativa; quamvis enim hoc non possit certo cognosci sine revelatione, nemo potest negare per revelationem posse, quod supponitur a Concilio Tridentino (36). Et quamvis cum D. Thoma, I^{a} parte, quaest. 23, art. 1, ad 4 (37) et I^{a} II^{ae}, quaest. 112, art. 5, dicant non convenire quod ista revelatio fiat omnibus praedestinatis, non tamen

(32) Hetzenauer, p. 1186: ... *ex Deo, peccatum non facit: quoniam...* — In ed. 1684, p. 601^{a}, erronee legitur: « 2. *Ioan.* 3. *v.* 9 ».

(33) num. 13-27; Matriti, 1670, t. I, pp. 549^{b}-552^{b}.

(34) *Ioan.*, cap. XV, v. 15; Hetzenauer, p. 1058: *Iam non dicam vos servos*: ... *Vos autem dixi amicos.*

(35) *Cadena mystica Carmelitana*, prop. 4, resp. 5; Madrid, 1678, p. 29.

(36) Sess. VI, cap. 12 et can. 16; LABBEUS-COSSARTIUS, S. I., *Sacrosancta Concilia*, ed. Coleti, Venetiis, 1728-1733, t. XX, col. 37 et 41. — DENZINGER-BANNWART, S. I., *Enchiridion Symbolorum*, 10 ed., 1908, num. 805 (688) et 826 (708), p. 273 et 279.

(37) In ed. 1684, p. 601^{b}, erronee legitur: « *art.* 3 ».

negant dari statum perfectionis cui debeatur saltem sub limitatione facta.

Ad tertium respondetur: in illo sublimi statu et dum anima Deum amat ferventissimo illo amore, nihil timere de sua salute, iuxta illud (38): *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Ad hoc autem ut postea timorem conservet, dum necessarius est, sufficit quod illius revelationis vel infallibilis eius certitudinis obliviscatur, vel saltem non ita evidenter proponatur illi, ut supra diximus cum P. Philippo a Ss. Trinitate (39).

Ad quartum: Quidquid sit de convenientia docendi hoc lingua vulgari, valde frivolum est inconveniens ibi oppositum. Si enim anima, quaecumque illa sit, habuerit revelationem evidentem et infallibilem praedestinationis et gratiae, non erit praesumptio, sed prudentia et obligatio illi assentiri et credere. Si autem illam non habuerit, nec aliam certitudinem infallibilem, voluntarie et fatue praesumet; cuius praesumptionis nullam praebet occasionem nostra sententia, quae talem revelationem praesupponit. Et qui ita argumentatur contra illam, a fortiori tenetur dicere quod nec in pulpito, nec in scriptis proferre conveniat vitas plurimorum sanctorum quibus facta est revelatio ista, dum adhuc essent in statu inferioris perfectionis.

Ad quintum respondet idem Petrus a Iesu Maria (40) distinguendo. Si enim ly *naturaliter* significet idem ac viribus naturae, nego; si ex suppositione dilectionis, gratiae, unionis et contemplationis praedictae, concedo. Quod non est esse naturaliter absolute, sed respective seu iuxta naturam talis unionis. Pro qua solutione adducit D. Bernardum. Nos tamen parum urget argumentum, qui hoc non dicimus proprietatem naturalem et necessariam huius status, sed ex quadam congruentia.

Ad sextum respondetur: nego assumptum; non enim sic possunt explicari omnes Patres et doctores qui hoc videntur asserere, cum perpetuitatem huius status commendent, ut ex eorundem testimoniis videre est. Ad loca Scripturae sacrae respondetur: verba illa *Iobi*, XV, non esse ipsius Iobi, sed Eliphaz, qui postea de ignorantia arguitur. Ad alia loca et similia sufficit respondere: loqui de peccatis venialibus saltem per subreptionem. Quando enim dicimus animas in hoc statu esse de peccato securas, loquimur de peccato mortali, per quod tollitur gratia; vel ad summum de veniali ex plena deliberatione, quod etiam valde pugnat cum perfectione coniugalis unionis. Possumus etiam dicere loqui de lege ordinaria, quae non excludit privilegium confirmationis in gratia.

Argumenta partis affirmativae facile possunt ad nostram sententiam quasi mediam inclinari. Nam loca Scripturae adducta varias expositiones admittunt et idcirco non multum urgent ad probandam infallibilem illam certitudinem. Ad secundum ex ratione possumus respondere: indissolubilitatem omnimodam magis pertinere ad rationem matrimonii consummati in patria quam matrimonii rati in via, ad quod videtur sufficere quod coniuges difficile et raro separentur, nec solum quoad amissionem gratiae, sed praesentiae coniugum frequentiaeque visitationum, visionum, favorum, etc.

---

(38) I *Ioan.*, cap. IV, v. 18.

(39) Cf. supra, nota (7).

(40) *In Apocalypsim*, cap. VII, sect. 4, num. 16; Matriti, 1670, t. I, p. 550a: *Dices: ergo iam aliquis in hac vita, est naturaliter impeccabilis, quod absurdum videtur. Respondetur distinctione: Si naturaliter significat idem, quod viribus naturae, negatur sequela. Si vero significet id, quod naturaliter, ex suppositione dilectionis Dei, et gratiae, consequitur, quid inconvenit, quod ex suppositione dilectionis Dei super omnia omnis voluntas apposita peccati naturaliter procul fiat: et similiter ex suppositione visionis dictae? Ideo enim S. Bernardus citatus, ait: « Impossibile est Deum videri, et non amari. (Loquitur expresse de visione huius status in hac vita; nam subdit inferius.) Quod cum in eo fuerit perfectum, etc.*

Nec etiam videtur necessaria huius immutabilitatis evidentia, sed conveniens et congrua. Per quod patet ad confirmationem; generaliter enim respondetur solum probare congruentiam huius inseparabilitatis, eiusque certitudinis et evidentis revelationis; non tamen necessitatem.

Bene tamen infertur ex auctoribus citatis, auctoritatibus et rationibus esse ad minus valde probabilem affirmativam sententiam. Ex iuxta proverbium illud: *Supremum infimi attingit infimum supremi*, nil mirum, si in isto et aliis privilegiis valde accedat contemplatio supremi gradus theologiae mysticae ad visionem claram Dei, quam speramus in patria et ad quam nos dirigat, ducat et introducat sancta et individua Trinitas, quae vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

INDEX RERUM NOTABILIUM

quae in hoc tomo continentur

(Numeri paginas designant)

A

ABNEGATO sui necessaria est in contemplatione per negationem, 68-71.

ADVERSITATES In his an possit fieri contemplatio, 13-16.
In his unimur Deo, 237.

AENIGMA quid sit et quid aenigmatica theologia, 143-144.

AETERNITAS quid et quomodo differat a tempore, 155.

AFFECTUS animae mortificandi sunt in contemplatione per negationem, 68-71.

AFFLICTIONES quantum iuvent contemplationem, 266-267.

AMOR In theologia mystica nullus datur amoris actus sine cognitione intellectus, 59.
Amor proprius est mortificandus 69
Deus plus amatur quam cognoscitur, 170.
Amoris gradus, 176-179; 276-277.
Differentia amoris calidi et acuti 177
Amor reficit, cognitio illuminat, 181-182.
De amore variae Dionysii propositiones, 222.
Amoris quatuor modi; estque radix appetitivarum operationum, 227.
Amabile et desiderabile quomodo differant, 227.
Amor dupliciter tendit in aliquid, 228.
Amor unitivus et extaticus, 229; 276.
Perfectus amor proximi signum est unionis, 274.

ANGELUS Angelorum cognominatio quid sit, 172.
Angelorum munus, 172-173.
Angeli sunt qui alios docent, 173; 255.
Angelorum ordines solus Deus cognoscit, 175.
Prima eorum hierarchia exponitur, 175-183.
Media et ultima exponitur, 183-185.
Angelicus numerus quid significet, 189.
Angelicarum virtutum imagines formativae quae sint, 189.
Angelus superior non illuminatur ab inferiori, 198-199.

ANIMA an in hac vita possit contemplari sine phantasmatibus, 31-35.
Animae potentiarum silentium quid 33.
Animam solus implet Deus, 54.
Animae unio cum Deo quotuplex, 72-76.
Animae in Deum tendentis tres conditiones, 208-209.
Anima dicitur materialis ex affectione ad res materiales, 215.
Ei est naturale intelligere per species exteriores, 225.
Animae cognitio alia directa, obliqua et circularis, 225-226; 259.
Non plus debet ascendere quam Deus eam elevet, 268.
An et quomodo Deum tangat et gustet, 280-287.

ANIMUS fortis et constans requiritur in aggrediente vitam spiritualem, 254.

APPARET Deus sanctis per visa sacra, 172.

APPETITUS quomodo relinquendus in contemplatione per negationem, 68-71.

B

BEATI quomodo Deum in patria cognoscant, 38.
An novum a Deo illapsum in patria accipiant, 86.

BEATITUDO moralis in quo actu consistat, 62.
Est finis vitae christianae, 251.

BONITAS quid et quomodo Deus sit bonus, 156.
De bono variae S. Dionysii propositiones, 220-221.

C

CALIGINEM divinam ingredi quid sit, 245.
Quomodo dicatur divina et pertineat ad theologiam mysticam, 25-26.
Eam quomodo desideret ingredi S. Dionysius et quare dicatur superquamlucens, 131.
Quomodo in ea non videndo possimus videre, 131-132.
Cognoscens Deum in caligine cur potius statuario quam pictori assimiletur, 132.
Unitus Deo in contemplatione in caligine quomodo solius Dei, neque suus, neque ullius sit 128-129.
CARITAS quid praerequirat: scil. recessum a creaturis, 191.
Caritatis opera pariunt vitam gratiae, 192.
Caritatis perfectio est finis vitae religiosae, 251.
CARMELITARUM vitae finis quis, 253.
CARPI visio an fuerit vera et quomodo a Christo reprehensus, 247-248.
CHRISTUS an quibusdam apparuerit et quomodo intuitive, 125.
S. Theresiae quomodo apparuerit, 114; 125; 179; 278-279.
COGNITIO Deus varie ab homine cognoscitur, 36-37.
Cognitio *quidditativa* et *quoad an est* quid sit et quomodo differant, 36.
Cognitio quidditativa quotuplex, 36.
Ad cognitionem actus fidei quae concurrant species, 41-42.
Ad cognitionem Dei evidentem quaenam species requirantur, 42-43.
Cognitio Dei magis per negationes quam per affirmationes acquiritur, 168-169; 265.
Plus amatur quam cognoscitur Deus, 169-170.
Cognitio divinorum dupliciter a nobis fit, 268.
Cognoscens Deum contemplatione infusa patitur divina, 268.
Cognitio animae est directa, obliqua et circularis, 225-226; 259.
Cognitio rerum divinarum illuminat, 181-182.
COGNOMINATIO angelorum quid, 172.
COMMUNICATIONES divinae, si iis anima non proficiat, non sunt securae, 181.
CONCLUSIONES theologicae an sint de fide, 135-136.
CONFIRMATIONE etiam olim usi sunt Apostoli, 195.
CONTACTUS inter Deum et animam quid sint, quotuplices et quomodo fiant, 90-91; 280-287.
CONTEMPLATIO quid sit et quotuplex 8-11.
Divinorum quam suavis sit, 268; 269.
Acquisita an possit dici theologia mystica, 8-11.
An et quomodo possit fieri in afflictionibus, 13-16.
Infusa alia est per affirmationem, alia per negationem et quaenam ex his theologia mystica, 16-18.
An in omni contemplatione theologiae mysticae inveniatur raptus et contra 18-20.
An omnis contemplatio sit supernaturalis et infusa, 21-23.
Differentia inter naturalem et supernaturalem, acquisitam et infusam, 21-23.
Contemplationis actus quando extrinsece et secundum quid sit supernaturalis, 23.
Contemplatio viae seu theologiae mysticae an fiat sine phantasmatibus, 31-35.
Et si fiat, an per species infusas, 35.
Quaenam species inserviant contemplationi infusae per affirmationem, 44.

Ad contemplationem Dei per negationem non requiritur aliqua species, 45-47; 266.
Quaenam species concurrant ad perfectiorem contemplationis gradum theologiae mysticae infusae 47-50.
An essentia divina uniatur intellectui creato in suprema contemplatione theologiae mysticae 50-51.
Quaenam contemplatio dicatur proprie et rigorose theologia mystica 56-58.
Quomodo haec ab aliis discernatur, 57.
An consistat in actibus voluntatis et intellectus, 60-62.
Quid in contemplatione per abnegationem sensibilem agendum, 62-65.
An in hac relinquenda sint sensibilia et intelligibilia ab intellectu et aliis potentiis, 62-65.
Quae perfectiones a Deo in contemplatione mystica debeant removeri 98-99; 266.
In contemplatione in caligine Deo unitus quomodo solius Dei, neque suus, neque ullius sit, 128-129.
Contemplatio fidei seu theologiae reddit intellectum similem angelis, immo et Thronis, 180-181; 270.
Per fidei obscuritatem ad Dei contemplationem procedendum, 203.
Per eam Deo unimur et illuminamur, 207-208.
Fit per fidei actum, non sine intellectus operatione, 227-228.
Ad vitam contemplativam quae requirantur, 254.
Contemplatio affirmativa quid sit? Per eam ponuntur in Deo omnes perfectiones simpliciter simplices, 96-98; 265.
Per negationem tamen Deus magis proprie contemplatur et cognoscitur, 169; 265.
In contemplatione negativa debent omnes perfectiones affirmativae a Deo removeri et sisti in conceptu confuso, 98-99; 266.
A contemplatione ad virtutum exercitia descendendum, 266.
Eam quantum iuvent virtutes, praesertim humilitas, afflictio, etc., 266-267.
Contemplatione fidei insistens Deo omnia in illo videt, 270.
CREATURA De creaturis an praedicetur divinitas, 27.
Creaturis quomodo uniatur Deus, 72-76.
Ex creaturis Deus tripliciter cognoscitur, 234.

D

DEVOTIO A devotione docti frequenter impediuntur, 180.
DEUS Quomodo Ss. Trinitas dicatur praestantior divinitate et essentia divina, 26-28.
Divinae perfectiones an in hac vita possint cognosci, 27-28.
Divinitas quomodo de Deo et quomodo de creaturis praedicetur, 27.
Quomodo Deus a nobis possit cognosci et an naturaliter, 36-37.
Non potest ab ullo intellectu creato nec naturaliter, nec intuitive, nec abstractive cognitione quidditativa comprehensive nisi imperfecte et confuse cognosci, 36-37; 206-207.
An tam unus quam trinus luce supernaturali in hac vita possit cognosci; et quomodo eum beati in patria, sic in hac vita valeat cognosci, 38-40.
Lumine fidei absque aliis speciebus possumus Deum cognoscere, 43-44.
Deus solus animam implet, 54.
Perfectiones Dei quid, quotuplices et quae de Deo possint affirmari 96-98.
Cognoscens Deum in caligine cur statuario potius quam pictori comparetur, 132.
Dei incognoscibilitas quomodo tegatur a rebus creatis, 131-132.
De Deo locutiones affirmantes, quae negantes, 133-135.

In Deo quomodo sit essentia, vita, ratio, mens et eadem de eodem negentur, 147-148.
Deus non est corpus, figura, forma, nec est in loco, nec videtur, etc. et quomodo haec explicantur, 149-150.
Homo est imago Dei per animae potentias, non per figuram, 149.
Deus an sit lumen, vita, aeternitas, aevum, tempus, scientia, veritas, etc., 154-156.
Deo et mundo simul servire non possumus, 193.
De Deo nihil nisi e sacra Scriptura concludendum, 202.
Laudatur per suos effectus, 212.
Ad unitatem nos advocat, 214.
Dei potentia absoluta, alia ordinata, 154.
Deus proponitur nobis sub velaminibus ex bonitate sua et imperfectione nostra, 214.
In Deo ponuntur omnes perfectiones simpliciter simplices per contemplationem affirmativam 96-98; 265.
Cur Deus in hac vita ignoretur, 265.
Anima an et quomodo Deum tangat, 282-287.
DILECTIONIS effectus quoad proximum, 178.
DIONYSIUS an fuerit auctor *Theologiae mysticae*, 1-4.
Multi eiusdem libri deperditi, 1.
Quid tractet in libro *De Divinis Nominibus*, 138.
DOCTRINAM aliis communicans angelus vocatur, 173.
Docti frequenter impediuntur a devotione, 180.

E

ECLIPSIS in morte Christi descriptio et quam horribilis, 246-247.
Quot in ea observavit miracula S. Dionysius, 246-247.
EPISCOPIS convenit alios docere et perficere, 198.
ESSENTIA An in suprema contemplatione essentia divina loco speciei impressae uniatur intellectui creato, 50-51.
Cur virtutes caelestes vocentur essentiae caelestes, 187.
EUCHARISTIA Quae in ea perficiantur et qui ab ea olim arcebantur, 194.
EVANGELIUM quomodo dicatur parvum et minimum, 102.
EXEMPLO bono qui alios instruit, angelus est, 173; 255.
EXERCITIORUM spiritualium finis est deificatio per assimilationem et unionem, 191.
EXTASIS quid sit, 18; 116; 288-230; 235; 270.
Quomodo differat a raptu, 18; 116; 277-278.
Unio habitualis est continua extasis, 19-20; 230; 278.

F

FABULA et fabularis theologia quid sint, 144.
FASTIGIUM quid sit apud Dionysium, 103.
FIDES omni gradui theologiae mysticae includitur, 17.
Fidei mysteria quomodo cognoscantur, 29-31.
Ad fidei actum quaenam concurrant cognitionis species, 41-42.
Fidei lumine absque aliis speciebus possumus Deum cognoscere, 43-44.
An sint de fide conclusiones theologicae, 135-136.
Per fidei obscuritatem ad contemplationem Dei procedendum, 203.
In contemplatione fidei insistens Deo, omnia in eo videt, 270.
FIGURAE rhetoricae quae et quotuplices sint, 140.
Theologia symbolica an in se comprehendat omnes sensus figurativos, 141.
Figurae enarrantur variae et explicantur, 141.
FRUITIO Fruitiva unio cur sic dicatur et quae fruitionis species rationem dotis obtineat, 78-80.

G

GRATIA Quomodo Deus animae per gratiam uniatur, 72-76.
Vitam gratiae pariunt opera caritatis, 192.
Sine gratia nihil praesumendum, 205.
An dentur certa signa status gratiae, 288-289.

H

HIERARCHIA Hierarchica perfectio quid, 170; 255.
Prima angelorum hierarchia exponitur, 175-183.
Item media et ultima, 183-185.
Hierarchia ecclesiae quae et quis scopus, 190.
Principium hierarchiae Ss. Trinitas, 190.
HIEROGLYPHICUM quid et quid theologia hieroglyphica, 144.
HOMO est imago Dei non per figuram, sed per animae potentias, 149.
HUMILITAS quantum contemplationem iuvet, 266.

I

IESUS lumen est quo ad Patrem ascendimus, 163-164.
Via caeli est, 163-164.
IGNORANS cur a theologia mystica removendus, 94-96.
IGNORANTIA scientifica quae, 204.
Per ignorantiam Deus cognoscitur, 265-266.
ILLAPSUS an ad unionem Dei cum anima requiratur; et ad hunc quid requiratur, 85-89.
An beatis in patria novus detur Dei illapsus, 86.
An in omni unione detur novus illapsus, 85-89.
ILLUMINATIONEM praecedit purgatio, 171.
Illuminationes divinae quomodo et quo ordine fiant, 184-185.
Illuminationes eo fient maiores, quo maior purgatio, 186.
Ut illuminationes illustrent intellectum quid requiratur, 197.
Illuminationis ordo, 198-199.
Illuminationes indicandae sunt magistris et confessariis, 255.
Infusae illuminationes non dependent a voluntate nostra; fiuntque a Deo secundum dispositionis proportionem, 184-185; 267.
ILLUMINATIVA VIA In ea quomodo procedendum, 263-269.
Ei conveniunt visiones revelationesque imaginariae, locutiones divinae, raptus, prophetia, discretio spirituum, etc. 268-269.
ILLUSTRATIONES Qualiter illustrentur mentes in divina caligine positae, 53-56.
Illustrationes quibus gradibus fiant, 165.
Illustrationes superiorum transfunduntur in inferiores, 183.
Non dependent a voluntate nostra, 184-185; 267.
Quomodo fiant, 184-185.
Quae in iis fiant, 191.
Celandae sunt aliis, 196; 254.
Qui sint illustrationibus digni, 195-198.
IMITATIO DEI Nihil ea perfectius, 171-172.
INFLUENTIAE DIVINAE animas purgant, illuminant et perficiunt, 181.
Quod nisi efficiunt, periculosae sunt, 181.
INFORMATIONES THEOLOGICAE quae dicantur, 135.
INTELLECTUS An in suprema contemplatione essentia divina loco speciei impressae uniatur intellectui creato, 50-51.
Intellectus in divina positus caligine qualiter illuminetur, 53-56.
Absque intellectus cognitione nullus datur amoris actus in theologia mystica, 59.
Donum intellectus operatur in nobis Spiritus S. in contemplatione theologiae mysticae; et tunc omnia sensibilia descrenda sunt, 64.
Intellectus Deum tangit; et Deus tangit apicem intellectus, 90.

Quodnam in contemplatione theologiae mysticae sit obiectum naturale intellectus, 63.
Intelligere per species exteriores animae est naturale, 225.
ISAIAM cur purgarit Seraphim, 187.

L

LIBERTAS an inveniatur in visionibus in somno raptuve factis, 116-123.
Libertas ad meritum an et quomodo in somno detur, 120-121.
LOCUS In loco quomodo non sit Deus, 149-150.
LOCUTIONES spirituales quotuplices et quomodo fiant, 127-128.
Quae ab iis sint removenda, 127-128.
Locutiones de Deo affirmantes, quae negantes, 133-135.
Locutiones divinae conveniunt viae illuminativae, 268.
LUMEN transcendendum quid sit, 103-104.
Lumen divinum cur nobis veletur et quodnam nobis ex paterna Dei luceat providentia, 214; 264.
Lumen divinum datur homini iuxta dispositionis mensuram, 224.
Ex eo crescit desiderium; hoc quo maius, eo et lumen maius, 224-225.
Lux spiritualis mentes puras illuminat, 188.

M

MALUM De malo variae S. Dionysii propositiones, 221.
MANIFESTATIONIS divinae modus duplex est, 168.
In iis se Deus nostro captui accommodat, 168.
Fiunt nobis per angelos, 173.
MENTIS in Deum tendentis tres conditiones, 208-209.
Ad mentis purgationem quinque requiruntur, 210.
Mens dicitur materialis ex affectione ad res materiales, 215.
Quomodo intelligibilia cognoscat, 232-233.
MERITUM Libertas ad meritum an et quomodo detur in somno, 120-121.
MONACHORUM quanta debeat esse puritas et perfectio, 200.
MORTIFICATIO appetitus sensibilis quomodo pertineat ad caliginem mysticam, 69.
Causa cur hoc debeat fieri, 69.
Mortificatio amoris proprii, 69.
MUNDITIA quae et quotuplex sit, 241.
MUNDUS Deo simul et mundo servire non possumus, 193.
MYSTERIA mysticae theologiae seu fidei quomodo cognoscantur, 29-31.

N

NATURA De natura quomodo supernaturale et naturale dicantur, 26-27.
NEGATIO Quomodo negationes ex affirmationibus formandae, 132.
Quae sint de Deo negationes, 133-135.
NUMERUS angelicus quid significet, 189.

O

OCULUS triplex est et quid sit, 168-169.
ORACULUM quid et quodnam eius fastigium plusquam indemonstrabile, 28-29.
ORATIO recollectionis quid sit et an possit dici theologia mystica, 12.
Oratio ut nos faciat Deo propinquos, quid requiratur, 220; 264.
ORDO De ordinibus quid doceat S. Dionysius, 199.
Ordinate debent spiritualia procedere, 193.

P

PAROEMIA quid; et quid paroemialis theologia, 143.
PERFECTIONES divinae quid et quotuplices sint et quae de Deo possint affirmari, 96-98.
Quae perfectiones de Deo in contemplatione mystica debeant removeri, 98-99.

Perfectio hierarchica quid, 170.
Perfectius nihil imitatione Dei, 170-171.
Quid requiratur in eo qui alios vult perficere, 171-172.
Perfectionem praecedit purgatio et illuminatio, 171.
Quanta debeat esse monachorum perfectio, 200.
Via perfectionis quotuplex, 256.
PERSEVERANTIA necessaria est proficientibus, 193.
Necessaria est spiritualem vitam aggredientibus, 254.
An debeatur viae unitivae gratiae perseverantia, 287-292.
PHILOSOPHI removendi sunt a theologia mystica, 94.
POTENTIA Per potentias animae suae homo est imago Dei, non per figuram, 149.
Potentia Dei alia est absoluta, alia ordinaria, 154.
PRAEDESTINATIONIS securitas an debeatur viae unitivae, 287-292.
PROPHETIAS dari certum est et quomodo verae a falsis discernantur, 106-108.
In prophetico somno datur libertas ad meritum, 121.
Prophetia convenit viae illuminativae, 269.
PROPOSITUM SERAPHICUM quid sit 273-274.
PROSPERITATIBUS homo emollitur, 237.
PULCHRITUDO cur dicatur formifica, 169.
PURGATIO praecedit illuminationem et perfectionem, 171.
In purgatione passiva spirituali vel sensibili an exerceatur theologia mystica, 13-16.
Ad mentis purgationem quinque requiruntur, 210.
Purgare qui volunt alios, ipsi sint purgatissimi, 255.
Purgatio partis affectivae quot constet partibus, 261.
Purgatio quam varie fiat, 261.

Q

QUIES Per quietem recipiuntur illustrationes, 174.

R

RAPTUS quid sit et quotuplex, 18; 116-123; 269; 277-278.
Quomodo differat ab extasi, 18; 116; 277-278.
Utrum in somno aut raptu inveniatur libertas ad meritum sufficiens, 116-123.
RECOLLECTIONES sensitivae quid; et quomodo fiant; et an in iis exerceatur theologia mystica, 11-13.
Recollectiones infusae an pertineant ad contemplationem perfectam, 267.
REGNUM quid; et quid regnum Dei, 156.
RELIGIOSAE VITAE finis est beatitudo per perfectionem caritatis, 251-252.
REVELATIO supernaturalis quid et quotuplex sit, 104-105.
Certum est dari revelationes et quomodo verae a falsis discernantur, 105.
Revelationes quotuplices sint et quibus gradibus fiant, 105; 165.
Revelationes non sunt in nostra voluntate, 184-185.
Revelatio praedestinationis et gratiae an aliquibus facta, earumque securitas an debeatur viae unitivae, 287-292.
RHETORICAE FIGURAE enumerantur et varie explicantur, 140.
RUDES removendi sunt a theologia mystica, 94-96.

S

SANCTITAS quid sit, 241.
Sancta sancte tractanda sunt, XXVIII.
Sancti non amant sensibilia, 237.
SAPIENTIA Patris manifestatur nobis in constitutione mundi, 164.
Sapientes saepe impediuntur in devotione, 180.

SCIENTIA An Deus habeat scientiam, 155.
SCRIPTURAE S. sensus quotuplex sit, 138-139.
Cur S. Scripturae illustrationes nobis concessae, 164.
De Deo nihil nisi e S. Scriptura concludendum, 202.
SENSIBILIA an in contemplatione per negationem ab intellectu et aliis potentiis removenda, 62-65; 68-71.
Sensibilia inordinate non amant sancti, 237.
SERAPHICUM PROPOSITUM quid sit, 273-274.
SERAPHIM quare purgarit Isaiam, 187.
SERMONES quomodo transcendendi secundum S. Dionysium, 103-104.
SILENTIUM potentiarum animae quid sit, 33.
Silentium naturale et spirituale quid sit et an detur in contemplatione in caligine, 51-53.
Quid sit silentium mediae horae, 52.
Silentium quomodo doceat arcana, 52-53.
Cur silentium dicatur caligo, 52.
Silentium religiosis est necessarium, 254.
SOLITUDO conducit ad illustrationes, 174.
Necessaria est religiosis, 254.
SOMNUS In somno an detur libertas ad meritum sufficiens, 120-121.
SONUS quomodo transcendendus secundum Dionysium, 103-104.
SPECIES Quaenam species requirantur ad actum fidei et cognitionem Dei evidentem, 41-42.
Quaenam ad contemplationem per affirmationem et negationem, 44-47.
Quaenam ad perfectiorem gradum contemplationis theologiae mysticae, 47-50.
An in suprema contemplatione essentia divina loco speciei impressae uniatur intellectui creato 50-51.
SPIRITUALIA in spiritualibus ordinate procedendum est, 193.

T

TACTIO quid sit, 155.
An et quomodo anima Deum tangat, 280-287.
Intellectus et voluntas Deum tangunt, 90; 282-287.
Deus apices intellectus voluntatisque tangit, 90.
TACTUS Vide: « *contactus* ».
TEMPUS quid sit et in quo differat ab aevo et aeternitate, 155.
THEOLOGIA Quid sit theologia aenigmatica, fabularis, hieroglyphica, parabolica, paroemialis; et quomodo distinguantur hae a theologia mystica, 142-144.
Theologicae informationes quid sint, 135.
Conclusiones theologicae an sint de fide, 135-136.
Theologia agens de conclusionibus theologicis an sit scientia subalternata vel non; practica vel speculativa, 136-137.
Quodnam sit obiectum theologiae scholasticae et quomodo distinguatur a mystica, naturali et fide, 137.
In theologia symbolica quid tractet S. Dionysius, 138.
Theologia symbolica quid sit et quae pertineant ad eam, 138-144.
An theologia symbolica comprehendat in se omnes sensus figurativos, 139-144.
Quomodo varie nominetur theologia symbolica, 142-144.
THEOLOGIA MYSTICA An S. Dionysius fuerit auctor *Theologiae Mysticae*, 1-4.
Quid et quo ordine Dionysius in illa agat, 5.
Theologiae mysticae definitio, 5.
Alia est naturalis, alia supernaturalis et an sit eidem habitus cum theologia alia, 6-7.
An meditatio possit dici theologia mystica, 7-8.
An contemplatio possit dici theologia mystica, 8-11; 56-58.

An in recollectionibus sensitivis exerceatur theologia mystica, 11-13.
Quaenam contemplatio infusa dicatur theologia mystica, 16-18.
Quis perfectior sit theologiae mysticae gradus, 17; 56-58.
Omni theologiae mysticae gradui includitur fides, 17.
An in omni theologiae mysticae contemplatione inveniatur raptus et contra, 18-20.
Ad theologiam mysticam quomodo pertineat caligo divina, 25-26.
Theologiae mysticae obiectum est fastigium oraculorum plusquam indemonstrabile, 28-29.
An contemplatio theologiae mysticae fiat absque phantasmatibus, 31-35.
An in ea uniatur essentia divina intellectui creato, 50-51.
Quae contemplatio rigorose et proprie dicatur theologia mystica, 56-58.
Quomodo haec ab aliis discernatur, 56-58.
An theologia mystica consistat in actibus intellectus vel voluntatis, 60-62.
Ad contemplationem theologiae concurrunt quatuor actus; in quonam eorum illa consistat, 60-62.
In contemplatione theologiae mysticae intellectus operatur per Spiritum Sanctum et tunc deserenda sunt omnia sensibilia et intelligibilia, 64.
A theologia mystica cur S. Dionysius velit removeri rudes et philosophos, 94-96.
Quomodo dicatur magna et minima, 102-103.
Contemplatio theologiae mysticae reddit intellectum similem angelis, immo et Thronis, 180-181; 270.
Theologiae mysticae acquisitae contemplatio est perfectissima, 270.
THEOPHANIA quid sit, 172; 173-174.
S. THERESIAE aliquoties clare et intuitive apparuit Christus 114; 125; 179; 278-279.
Habuit celebrem revelationem circa mysterium Ss. Trinitatis, 217.
Seraphim vulneravit cor eius, 277.
TIMOTHEUS ad quem scripsit Dionysius *Theologiam Mysticam*, an fuerit discipulus Pauli, 4-5.
SS. TRINITAS quomodo dicatur praestantior divina essentia, divinitate et bonitate, 26-28.
Deus trinus nullatenus naturaliter potest cognosci, 36-37.
Quomodo Deus trinus supernaturaliter in hac vita cognosci possit, 38-40.
Est principium hierarchiae, 190.
Ss. Trinitatis mysterium revelatum S. Theresiae, 217.
TROPUS quid sit; et quid sensus tropologicus, 139-141.

U

UNIO Dei cum anima quotuplex; et quomodo animae uniatur et creaturis; et quomodo per gratiam, 72-76.
Quinam sint gradus unionis actualis; et quae unio affectiva et effectiva, 76-78.
Unio amantis ad amatum est duplex, 77.
Fruitiva unio unde sic dicatur; et an haec in iustis viatoribus et peccatoribus reperiatur, 78-80.
Unio transformativa quid et an eadem cum fruitiva, 81-85.
Unio transformativa quotuplex sit et quae importet, 81-82.
Septem unionum genera, 85.
An praedictae uniones fiant per illapsum Dei, 85-89.
An in omni unione detur novus illapsus, 89-92.
Unitus Deo in contemplatione in caligine quomodo solius Dei, neque suus, neque ullius sit 128-129.
UNITAS quid sit et an Deus sit unus, 156.

Ad unitatem Deus nos advocat, 213-214.

V

VANA GLORIA fugienda est, 254.
VERITAS quid et quotuplex sit, 155-156.
VIA perfectionis triplex est: purgativa, illuminativa et unitiva, 256-259.
Via purgativa, 259-263.
Via illuminativa, 263-269.
Via unitiva, 270-292.
VIRTUTES celandae sunt, 254.
A contemplatione ad virtutes descendendum, 266.
Quantum virtutes iuvent contemplationem, 266.
VISIO S. Carpi an fuerit vera, 247-248.
Datur visio intellectualis, quin sit imaginaria, 125; 179.
Visiones imaginariae sunt propriae viae illuminativae; externae autem incipientibus, 268.
Quomodo beati Deum in patria vident, sic in hac vita possit videri, 38.
Visio supernaturalis quid et quotuplex sit, 104-105.
Visiones corporales externae quomodo fiant et quando et quomodo removendae, 108-112.
Visiones imaginariae quomodo fiant et an reiiciendae, 112-116.
Regulae visiones falsas a veris discernendi, 114-115.
An in iis quae fiunt in somno vel raptu, inveniatur libertas ad meritum, 116-123.
Visiones intellectuales quomodo fiant et quodnam sit earum obiectum, 123-127.
Visiones Christi, sanctorum, etc. an revera sint iuxta videntem ut concipiuntur, 124.
Christus raro corporaliter apparet; S. Theresiae tamen aliisque quomodo apparuerit, 125.
Media visio quid sit, 125.
Visiones intellectuales circa Deum non sunt fugiendae, 126-127.
Ex humilitate tamen non sunt optandae, praesertim circa Christum, 126.
Visiones circa creaturas non sunt optandae, 126-127.
Deus non videtur, 150.
Apparet Deus sanctis per sacra visa, 172.
Visiones fiunt secundum dispositiones recipientis, 174.
VITA quid sit et an eam habeat Deus, 154-155.
Christianae vitae finis est beatitudo, ad quam caritate pervenitur et gratia, 251.
Quaenam sint vitae activae et contemplativae actiones, 253.
Quaenam soleant homines movere ad vitam spiritualem, 253-254.
Vitam spiritualem aggrediens non potest simul Deo et homini servire, 254.
Ad vitam spiritualem requiritur animus fortis et constans, 254.
VOLUNTAS non debet esse in contemplatione remissa, sed fervens, 269.

CATALOGUS AUCTORUM

annotatis operum editionibus quae in hoc tomo citantur

Aesopus (VI s. a. C.). *Fabulae Aesopicae.* Lipsiae, sumpt. et typis Caroli Tauchnitii, 1829, in-16.

Agatho (S.—), Papa († 681). *Epistolae.* Migne, P. L., t. 87, col. 1161-1260. Parisiis, 1853.

Alamin (Felix de—). Cf. Felix de Alamin.

Albertus Magnus (B.—), O. Pr. (1206-1280). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1890-1899. 38 t. in-8°.

Alcherus Clarevallensis (XII s.). *De spiritu et anima liber unus.* Migne, P. L., t. 40, col. 779-832. Parisiis, 1845.

Alonso de S. Geronimo, C. D. († 1669). Cf. Ildephonsus a S. Hieronymo.

Alonso de Jesús Maria, C. D. (1565-1638). Cf. Alphonsus a Iesu Maria.

Alphonsus a Iesu Maria, C. D. (1565-1638). *Doctrina de religiosos, en que se trata de la perfeccion.* En Madrid, Por Alonso Martin de Balboa, 1613. in-4°.

Alvarez de Paz (Iacobus—), S. I. (1560-1620). *Opera.* Parisiis, L. Vivès, 1875-1876. 6 t. in-8°.

Ambrosius (S.—), Episc. Mediolan. (340-397). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 14-17. Parisiis, 1845.

Ambrosius Camaldulensis. Cf. Dionysius Areopagita, ed. 1502.

Anastásius a S. Paulo, C. D. In *Dictionnaire de théologie catholique* (Vacant-Mangenot), tom. VIII, II partie, col. 1523-1526 et 1539-1541, ad voces *Joseph de Jésus-Marie* et *Joseph du Saint-Esprit.*

Andreas Cretensis († c. 720). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 97. Parisiis, 1860.

Andreas ab Incarnatione, C. D. († 1795). *Memorias historiales*, t. I, II y IV. Mss. 13.482, 13.483 et 13.484 Bibliothecae nationalis Matritensis.

Anna a S. Augustino, C. D. (1547-1624). Cf. Ildephonsus a S. Hieronymo, C. D.

Antolinez (Dominicus—), O. S. Aug., Archiepisc. (1554-1626). Mss. 2037, 6895 et 13505 Bibliothecae nationalis Matritensis.

Antonius ab Annuntiatione, C. D. († 1714). *Manual de Padres espirituales en que se contienen Avisos, y Documentos para el govierno de las almas que van por camino extraordinario. Segunda impression, añadida y enmendada por su autor.* En Alcala: Por Francisco Garcia Fernandez, año 1679.

Antonius a Cruce, C. D. (1594-1670). *Libro de la Contemplacion Divina* (5 libros). Ms. 4.461 Bibliothecae nationalis Matritensis. in-4°, 352 fol.

Antonius a Spiritu Sancto, C. D., Episc. Angulensis (1618-1674). *Directorium mysticum in quo tres difficillimae viae, scilicet Purgativa, Illuminativa et Unitiva undique elucidantur.* Ed. cura P. Bernardi a Ss. Sacramento, C. D. Parisiis, L. Vivès, 1904. in-8°.

Araujo (Franciscus de—), O. Pr. (1580-1664). *De fide, spe, et charitate, in Secundam secundae Angelici Doctoris commentarius.* Salmanticae, apud S. Stephanum O. Praed., 1635. in-fol.

Aristoteles (384-322 ante Chr.). *Aristotelis opera edidit Academia regia Borussica.* Berolini, 1831-1870; 5 t. in-4°, quorum duo primi *Aristoteles graece ex recensione Immanuelis Bekkeri* (Berolini, apud Georgium Reimerum, 1831).

— *Aristotelis opera omnia graece et latine, cum indice nominum et rerum absolutissimo.* Parisiis, Firmin-Didot et Soc. 1848-1874, 5 t. in-8°.

Athanasius (S.—), Episc. Alexandr.

(293 vel 295-373). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 25-28. Parisiis, 1857.

Augustinus (S.—), Episc. Hippon. (354-430). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 32-47. Parisiis, 1841-1849.

Aureolus (Petrus—Verberius), O. Min., Archiep. Aquen. († 1322) *Commentarii in quatuor libros Sententiarum.* Romae, ex typ. Aloisii Zannettini, 1596-1605. 4 t. in-fol.

Autore, Cartusianus († 1920) in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VII, col. 215-220, voce *Hugues de Balma.*

Balma (Hugo de—) Cf. Hugo de Balma.

Baltasar a S. Catharina de Siena, C. D. (1597-1673). *Splendori riflessi di sapienza celeste vibrati da' gloriosi Gerarchi Tomaso d'Aquino e Teresa di Giesù sopra Il Castello Interiore, e Mistico Giardino metafore della Santa.* Bologna, per l'Erede di Domenico Barbieri, 1671. in-fol.

Bañez (Dominicus—), O. Pr. (1528-1604). *Scholastica commentaria in Primam Partem Angelici Doctoris S. Thomae.* Duaci, typ. Petri Borremans, 1614. 2 t. in-fol.

— *Scholastica commentaria in Secundam Secundae Angelici Doctoris S. Thomae.* Ib., 1615. 2 t. in-fol.

Barbosa Machado (Didacus—) (1682-1772). *Bibliotheca Lusitana historica, critica e chronologica.* Na officina di Ignacio Rodrigues, 1741-1759. 4 t. in-fol.

Baronius (Carolus—), Congr. Orat., Card. (1538-1607). *Annales ecclesiastici.* Antverpiae, ex officina Plantiniana, 1598-1618. 12 t. in-fol.

Bartholomaeus a S. Angelo-Henricus M. a Ss. Sacramento, C. D. (XIX s.) *Collectio scriptorum Ordinis Carmelitarum Excalceatorum utriusque Congregationis et sexus.* Savonae, typ. A. Ricci, 1884. 2 t. in-8°.

Bartholomaeus a Martyribus, Archiep. Bracarensis, O. Pr., (1514-1590). *Opera omnia... cura et studio D. Inguinbert Archiepiscopi Theodosiae.* Romae, typis Hieronymi Mainardi, 1734-1735. 2 t. in-fol.

Baruzi (Jean—). *Saint Jean de la Croix et le problème de l'expérience mystique.* Paris, Félix Alcan, 1924. in-8°.

Basilius (S.—Magnus) (329-379). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 29-32. Parisiis, 1857.

Bekker. Cf. Aristoteles.

Bellarminus (Robertus—), S. I., Card. (1542-1621). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1870-1874. 12 t. in-8°.

Benediktin. Monatschrift.

Bergomo (Petrus de—). *Tabula aurea* et *Concordantiae dictorum et conclusionum Divi Thomae de Aquino* in « *D. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici Opera omnia* ». Romae, apud Haeredes Antonii Bladii, 1570, t. XVIII; in-fol.

Bernadot, (M. V.—), O. Pr. *Le texte authentique du Cantique spirituel de Saint Jean de la Croix* in Supplément à la *Vie Spirituelle Ascétique et Mystique*, t. VII, num. 6 (Mars, 1923), pp. [154] - [161].

Bernardus (S.—), (1090-1153). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 182-185. Parisiis, 1854-1855.

Bernardus a Bononia, O. Min. Cap. *Bibliotheca Scriptorum Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum.* Venetiis, apud Sebastianum Coleti, 1747. in-fol.

Beyerlinck (Laurentius—), († 1627). *Magnum theatrum vitae humanae.* Coloniae Agrippinae, 1631. 21 t. in 8 vol. in-fol.

Biblia sacra cum glossa ordinaria a Strabo Fuldensi *Monacho Benedict. collecta... et Postilla* Nic. Lirani Franc. *cum additionibus* Pauli Burgensis Episc. *ac* Matthiae Thoringi *replicis Theolog. Duacensium studio emendatis.* Antverpiae, apud Ioannem Meursium, 1634. 6 t. in-fol.

Biblia sacra vulgatae editionis Sixti V Pont. Max. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita. Ed.

critica P. Michaelis Hetzenauer, O. Min. Cap. Editio altera emendatior. Ratisbonae et Romae, Fr. Pustet, 1922. in-8°.

Bibliotheca Carmelitico-Lusitana, historica, critica, chronologica, auctore P. N. Carmelitano. Romae, Generosus Salomonius, 1754, in-4°.

Blasius a Conceptione, C. D. (1603-1694). *Metaphysica in tres libros divisa.* Parisiis, sumpt. Dionysii Thierry, 1642. in-4°.

Blosius (Ludovicus—), O. S. B. (1506-1566). *Opera quae quidem conscripsit omnia.* Coloniae Agrippinae, 1572. in- fol.

Bochius (Achilles—) (1488-1562). *Symbolicarum quaestionum, de universo genere, quas serio ludebat, libri quinque.* Bononiae, apud societatem typographiae Bononiensis, 1624. In 4°.

Boetius (A. M. Sev.—), (c. 470-524 vel 526). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 63. Parisiis, 1847.

Bollandus (Ioannes—), S. I. (1596-1665). *Acta Sanctorum quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur.* Parisiis, V. Palmé, 1863 sqq. Varii tomi infol.; nondum completa.

Bonaventura (S.—), O. Min., Cardin. (1221-1274). *Opera omnia.* Ed. cura et studio A. C. Peltier. Parisiis, L. Vivès, 1864-1871. 15 t. in-8°.

— *Opera omnia.* Ad Aquas claras (Quaracchi), 1882-1902. 10 t. in-fol.

Bonelli (Benedictus—). *Podromus ad opera omnia S. Bonaventurae.* Venetiis, Bassani, 1767.

Brassicanus (Alex.—). *Epistola in S. Eucherium.* Migne, P. L., t. 50. Parisiis, 1846, col. 669-702.

Bulletin Hispanique, t. XXIV (1922). Bordeaux, Feret & Fils.

Caietanus (Thomas de Vio—), O. Pr., Cardin. (1468-1534). *Commentaria in Summam theologiae S. Thomae Aquinatis.* in-fol., t. IV-XII *Operum omnium S. Thomae Aquinatis* editionis Leoninae. Romae, typ. polyglotta, 1888-1906.

— *Epistolae Pauli et aliorum Apostolorum ad graecam veritatem castigatae, et per... iuxta sensum litteralem enarratae. Quibus accesserunt Actus Apostolorum commentariis eiusdem illustrati.* Parisiis, Hier. et Dion. de Marnef, 1550. in-8°.

Calepinus (Ambrosius—), O. S. Aug. (1440-1510 vel 1511). *Pentaglottos.* Antverpiae, typis Aegidii Copenii Diesth, 1546. in-4°.

Cassianus (Ioannes—) (c. 360-c. 435). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 49-50. Parisiis, 1846.

Catharinus (Ambrosius—), O. Pr. (1487-1553).

Cavallera (Ferdinand—), S. I. in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. VI, num. 23 (Juillet, 1925), pp. 307-316.

Chevalier (Fr. Ph.—), O. S. B. *Le cantique spirituel de saint Jean de la Croix a-t-il été interpolé?* in *Bulletin Hispanique*, t. XXIV, num. 4 (oct.-déc., 1922), pp. 307-342. Bordeaux, Feret & Fils.

— *Le Cantique spirituel interpolé* in Supplément à la *Vie Spirituelle Ascétique et Mystique*, t. XIV, num. 4-5 (juill.-août, 1926), pp. [109]-[162] et t. XV, num. 4 (janv., 1927), pp. [69]-[109].

Christophorus a S. Ioseph, C. D. Cf. Cristobal de San Joseph.

La Ciudad de Dios, revista religiosa, cientifica, y literaria, dedicada al gran Padre San Agustín y redactada por alumnos de su Orden. El Escorial (Madrid), t. XXXI-XXXII (1893-1894).

Clemens Alexandrinus (c. 145-215 vel 216). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 8-9. Parisiis, 1857.

Colonia (Dominicus de—), S. I. (1658-1741). *Bibliothèque Janséniste, ou Catalogue alphabétique des livres Jansénistes, Quesnellistes, Baianistes, ou suspects de ces erreurs.* Lyon, 1722, 1731; Bruxelles, 1739 et 1744. (In *Indice libr. prohib.*).

Commentarii in Mysticam Theologiam S. Dionysii Areopagitae, Augustae Vindelicorum, 1519. in-8°.

Conceptos del amor divino. Ms. 17.875 Bibliothecae nationalis Matritensis.

Concilia. Cf. Labbeus.

Corderius (Balthasar—), S. I. (1592-1650). *S. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae exstant, et commentarii quibus illustrantur*. Migne, P. G., t. 3-4, Parisiis, 1857. — (1ª editio Corderii : Antverpiae, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti, 1634, 2 t. in-fol.; altera ed. auctior Parisiis, apud Antonium Stephanum, 1644, 2 t. in-fol.).

Cornelius a Lapide (Petrus—, alias Cornelissen van den Steen), S. I. (1567-1637). *Commentaria in Scripturam Sacram*. Parisiis, L. Vivès, 1857-1861. 23 t. in-8°.

Cosmas de Villiers, O. Carm. (1683-1758). *Bibliotheca Carmelitana notis criticis et dissertationibus illustrata*. Aurelianis, I. Rouzeau-Montaut, 1752. 2 t. in-fol.

Cristobal de San Joseph, C. D. (XVIII s.). Eius Ms. asservatur in conventu Carmelitarum Discalceatorum, Burgis.

Cyrillus Hierosolymitanus (c. 313 vel 315-387). *Opera omnia*. Migne, P. G. t. 33. Parisiis, 1857.

Dallaeus (Ioannes—). *De scriptis, quae sub Dionysii Areopagitae et Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur, libri duo*. Genevae, sumpt. Ioannis Antonii et Samuelis De Tournes, 1666. in-4° (In *Indice libr. proh*).

David Augustanus, O. Min. († 1271 vel 1272). *De profectu religiosorum* in « *Opera omnia S. Bonaventurae* » editionis Peltier, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, t. XII, pp. 327-442. Deest in ed. Quaracchi.

— *Speculum disciplinae ad novitios*, ed. cit., t. XII, pp. 443-497. In ed. Quaracchi, 1882-1902, t. VIII, pp. 583-622.

Defensa o Apologia de el libro intitulado Subida del alma a Dios, y entrada de el alma al Parayso Espiritual escrito en dos tomos. Ms. huius operis anonymi in conventu nostro Burgensi asservatur.

Delrio (Martinus—) S. I. (1551-1608). *Disquisitionum magicarum libri sex in tres tomos partiti*. Lugduni, apud Io. Pillehotte, 1604. 3 t.

— *Vindiciae Areopagiticae contra Iosephum Scaligerum*. Antverpiae, ex officina Plantiniana, apud Ioannem Moretum, 1607, in-8°. — Quaedam excerpta huius operis inveniuntur apud Migne, P. G., t. 4, col. 953-982.

Denzinger (Henricus—)—Bannwart (Clemens—) S. I. *Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum*. Editio 10. Friburgi Brisgoviae, sumpt. Herder, 1908 in-8°.

Dictionnaire de Théologie catholique, Paris, Letouzey et Ané, 1903 sqq. Plures tomi in-4°; opus nondum absolutum.

Didacus a Iesu, C. D. (1570-1621). *Apuntamientos y advertencias en tres discursos para más fácil inteligencia de las frases místicas y doctrina de las Obras espirituales de nuestro Padre San Juan de la Cruz*, in editione critica *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz*. Toledo, Viuda é Hijos de J. Peláez, 1912-1914, t. III, pp. 465-502. — Iª ed. Alcalá de Henares 1618, ad calcem operum S. Ioannis a Cruce; IIª ed. Barcelona, 1619, ad calcem eorundem operum. — Cf. Ioannes a Cruce.

Dionysius Areopagita (Pseudo—) (V s.) *Opera Dionysii. Veteris et nove* (sic) *translationis etiam novissime ipsius Marsilii Ficini cum commentariis Hugonis. Alberti. Thome* (sic). *Ambrosii Oratoris. Linconiensis. et Vercellensis*. Argentinae, 1502. 3 t. in-4°.

— *D. Dionysii Areopagitae Opera omnia quae extant. Eiusdem vita. Scho-*

lia incerti authoris in librum de Ecclesiastica Hierarchia. Quae omnia nunc primum a Ioachimo Perionio *Benedictino... interprete, conversa sunt.* Lovanii, apud Ioannem Bogardum, 1566. in-8°.

— *Versio operum S. Dionysii Areopagitae* (Ioannis Scoti Erigenae). Migne, P. L., t. 122, Parisiis, 1853.

— *Opera omnia quae exstant, et commentarii quibus illustrantur* (ed. Corderii). Migne, P. G., t. 3-4, Parisiis, 1857. Cf. Corderius pro eius 2 primis editionibus.

Dionysius Cartusianus (alias van Ryckel) (1402-1471). *Opera omnia.* Monstrolii-Tornaci, typis Cartusiae S. Mariae de Pratis, 1896-1912. 41 t. in-8°.

Dominicus a Iesu Maria, C. D. (1559-1630). *Sententiario spirituale, documenti, et pratiche affettive, nelle tre Vie della Perfettione Christiana, Purgativa, illuminativa, et unitiva.* Roma, Mancini, 1676. 3 t. in-4°.

— *Sentences spirituelles, documens, et pratiques affectives pour les trois voyes de la perfection Chrestienne, Purgative, Illuminative, et Unitive, divisées en trois parties.* Paris, Michel Sonnius, 1623-1625. 3 t. in-12°.

Dominicus a Ss. Trinitate, C. D. (1616-1687). *Bibliotheca theologica septem libris distincta.* Romae, typis Phil. Mariae Mancini, 1666-1676. 7 t. in-fol.

Dubourg (Petrus—), S. I., *La date de la Theologia mystica* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. VIII, num. 30 (avril 1927), pp. 156-161.

Durantel (J.—) *Saint Thomas et le Pseudo-Denis.* Paris, Félix Alcan, 1919. in-8°.

Edouard d'Alençon in *Dictionnaire de théologie catholique*, t. VI, col. 2190-2191, voce *Henri de Baume.*

Elias Cretensis (XI-XII s.) *Commentarii in S Gregorii Nazianzeni orationes XIX.* Migne, P. G., t. 36, Parisiis, 1858, col. 737-902.

Elogios de los Varones... Cf. Emmanuel a S. Thoma, C. D., qui probabiliter huius operis auctor est.

Emmanuel a S. Thoma (Traggia), C. D. (XVIII s.) *Elogios de los Varones y Mugeres ilustres de la Reforma de la Serafica M. Sta Theresa de Jesus.* Ms. bibliothecae Marchionis de Benavites y de San Juan de Piedras Albas, Abulae.

Eucherius (S.—), Episc. Lugdunensis († 449 vel 450). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 50. Parisiis, 1846.

Eugenio de San José, C. D. *Algunos reparos a un artículo de Fr. Ph. Chevalier O. S. B. sobre el Cántico espiritual de San Juan de la Cruz* in *Mensajero de Santa Teresa y de San Juan de la Cruz*, t. V, num. 4-5 jun.-jul., 1927), pp. 103-113 et 142-146.

Eusebius, Episc. Caesariensis (265-340). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 19-20. Parisiis, 1857.

Euthymius Zigabenus (XI-XII s.) *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 128-131. Parisiis, 1864-1865.

Feliciana a S. Ioseph, C. D. (1564-1652). *Instruccion de religiosas con titulo de « Recreacion espiritual » compuesto en dos dialogos.* Zaragoza, por Domingo la Puyada, 1654. in-4°.—Ad calcem operis *Vida de la Venerable Madre Feliciana de San Joseph, Carm. Desc. priora del convento de S. Joseph de Zaragoza, por D. Miguel Batista de Lanuza.* Ib., 1654, in-4°.

Felix de Alamin, O. Min. Cap. *Espejo de verdadera y falsa contemplacion.* Madrid, por Antonio de Zafra, 1695. in-4°. (In *Indice libr. proh.*, decr. 30 iul. 1708).

Fernando de Matha (?) *Breve compendio de la eminentisima perfeccion cristiana.* Cf. Lopez Navarro.

Ficinus (Marsilius—) (1433-1499) *Commentum in « De mystica theologia »* in tomo III *Operum* Dionysii Areopagitae, ed. Argentinae, 1502.

Florencio del Niño Jesús, C. D. *Reparos a la critica de un critico* in

Mensajero de Santa Teresa, t. I-II (1923-1924), num. 6, 9-12, 1; pp. 170-177, 284-289, 323-328, 361-367, 404-413, 21-28.

Forasteiro admirado.

Franciscus a S. Maria, C. D. (1567-1649). *Luz de las maravillas que Dios ha obrado desde el principio del mundo en las almas de sus Profetas y amigos, asi en la ley Natural y escrita, como en la Evangelica de Gracia.* Valladolid, her. de Diego Fernandez de Cordova, 1607. in-4°. — Hoc opus proprio suo nomine edidit Leander de Granada, O. S. B.

— *Historia Prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen.* t. I Matriti, 1630, in fol.; t. II Ms.

— *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia; hecha por santa Teresa de Jesus en la antiquisima Religion, fundada por el gran Profeta Elias.* Madrid, 1644-1739. 7 t. in-fol. Franciscus a S. M. duorum priorum auctor est, ceteri vero tomi aliis Auctoribus debentur; t. VIII ms. asservatur apud. PP. Carm. Disc., Burgis.

Franciscus a S. Thoma, C.D. († 1707). *Medula mystica, sacada de las divinas letras, de los santos Padres, y de los mas classicos doctores mysticos, y escolasticos.* I[a] ed. Madrid, 1695; II[a] ed. *añadida por su autor*, Madrid, Manuel Ruiz de Murga, 1702.

Fuente (Michael de la—), O. Carm. Calc. (1573-1625 vel 1626). *Libro de las tres vidas del hombre, corporal, racional y espiritual.* Barcelona, La verdadera ciencia Española, 1887. in-8°.

Gabriel a S. Vincentio, C. D. (1601-1671). *In universam Primam partem Summae Angelicae.* Romae, typis Philippi Mariae Mancini, 1664. in-4°

Gams (Pius Bonifacius—). *Series episcoporum Ecclesiae catholicae quot quot innotuerunt a beato Petro.* Ratisbonae, typis et sumptibus Georgii Iosephi Manz, 1873. in-4°.

Gerardo de San Juan de la Cruz, C. D. († 1922). Cf. Ioannes a Cruce. (S.—).

Gerson (Ioannes le Charlier de—) (1363-1429). *Opera omnia.* Antverpiae, sumptibus Societatis, 1706. 5 t. in-fol.

Glossa ordinaria. Cf. *Biblia sacra cum glossa ordinaria.*

Grabmann. *Bayerische Benediktinermystik am Ausgang des Mittel-Alters* in *Benediktin. Monatschrift*, 1920, pp. 96-102.

— *Der Benediktinermystiker Johannes von Kastl, der Verfasser des Büchleins « De adhaerendo Deo »* in *Tübinger Theologische Quartalschrift*, 1920, pp. 186-235.

— *Mittelalterliches Geistesleben. Abhandlungen zur Geschichte der Scholastik und Mystik.* München, Huber, 1926.

Gratianus (alias Hieronymus a Matre Dei) C. D. (1545-1614). *Obras.* Madrid, por la viuda de Alonso Martin, 1616. in-fol.

Gregorius Magnus (S.—), Papa (540-604). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 75-79. Parisiis, 1849.

Gregorius de Valentia. Cf. Valentia.

Grosthead (Robertus—) Episc. Lincolniensis (c. 1175-1253). *De Mystica Theologia cum commento.* Exstat in ed. *Operum Dionysii*, Argentinae, 1502, t. I, fol. CCLXIIII[v]-CCLXXI[v]. Cf. Dionysius Areopagita.

Gualterus (Iacobus—), S. I. (+1636). *Tabula chronographica status Ecclesiae Catholicae a Christo nato ad annum* 1614... Coloniae Agrippinae, sumptibus Petri Henningii, 1616.

Gulielmus, O. Cist. (+1149). *Epistola seu tractatus ad fratres de Monte Dei.* Migne, P. L., t. 184, Parisiis, 1854, col. 307-364.

Gulielmus de Lanicia, O. Min. *Dieta salutis.* in « *Opera omnia S. Bonaventurae* » editionis Peltier, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, t. VIII, pp. 247-346. Deest in ed. Quaracchi.

Halloix (Petrus—) S. I. (1571-1656). *Vita S. Dionysii Areopagitae* et *De S. Dionysii Areopagitae vita et operibus quaestiones quatuor.* Migne, P. G., t. 4, Parisiis, 1857, col. 695-870; 869-954.

Harphius (Henricus—, alias van Erp), O. Min. (+1477). *Theologiae mysticae, sive in Cantica Canticorum, ...libri.* Coloniae Agrippinae, apud Haeredes Arnoldi Birckmanni, 1564. in-fol.

Hermannus a S. Norberto, C. D. († 1686). *Cibus solidus perfectorum. Sive de proposito et voto seraphico S. M^tris N. Teresiae faciendi semper quidquid intelligeret esse perfectius libri duo.* Antverpiae, Ioan. Franc. Crabbens, 1670. in-18°.

Hersentius (Carolus—), Orat. (c. 1580-1665) *In D. Dionysii Areopagitae De Mystica Treologia librum Apparatus, Interpretatio, Notae, Commentarii, Paraphrasis.* Parisiis, apud Thomam Blaise, 1626. in-8°.

Hieronymus (S.—). (344-420). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 22-30. Parisiis, 1845-1846.

Hieronymus a Matre Dei, C. D. Cf. Gratianus.

Horozco y Covarruvias (Ioannes de—) seu Covarrubias y Orozco (Ioannes de—) (†1608). *Tratado de la verdadera y falsa prophecia.* Segovia, por Juan de la Cuesta, 1588. in-8°. — Hoc opus quod ipse publicavit, non suum erat, sed patrui sui Didaci Covarrubias y Leiva (1512-1577).

Hugo de Balma, Cartusianus (XIII s.). *De mystica theologia;* in « *Opera omnia S. Bonaventurae* », ed. Peltier, t. VIII, pp. 1-54; Parisiis, L. Vivès, 1866. Deest in ed. Quaracchi.

Hugo de S. Victore (1097-1141). *Opera omnia.* Migne. P. L., t. 175-177. Parisiis, 1854.

Huyben (I.—), O. S. B. *Le « De adhaerendo Deo »* in *La Vie spirituelle*, t. VII, num. 38 (nov. 1922), pp. [22]-[37]; num. 40 (janv. 1923), pp. [80]-[101].

Ignatius (S.—) martyr (+107). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 5. Parisiis, 1857.

Ignatius (S.— de Loyola), S. I. (1491-1556). *Exercitia spiritualia S. I.* Romae, apud Antonium Bladum, 1548. in-8°.

— *Exercicios Spirituales del P. Ignacio de Loyola.* En Roma, en el Collegio Romano de la Compañia de Jesus, 1615. in-16°.

Ildephonsus a S. Hieronymo, C. D. (+1669). *Vida, virtudes y milagros de la Prodigiosa Virgen y Madre Ana de San Agustin, C. D., fundadora del convento de Valera y compañera de N. M. S. T. de J. en la fundacion de Villa nueva de lajarra* (sic). Madrid, Francisco Nieto, 1668. in-4°.

Indice ultimo de los libros prohibidos y mandados expurgar: para todos los reynos y señorios del catolico rey de las Españas, El Señor Don Carlos IV. Contiene en resumen todos los Libros puestos en el Indice Expurgatorio del año 1747, *y en los Edictos posteriores, asta fin de Diciembre de* 1789. Madrid, Don Antonio de Sancha, 1790. in-4°.

Index librorum prohibitorum Leonis XIII Summi Pontificis auctoritate recognitus Ssmi D. N. Pii PP. XI iussu editus. Romae, typ. polygl. Vaticanis, 1922. in-8°.

Ioannes a S. Antonio, O. F. Min. Disc. *Bibliotheca universa franciscana sive Alumnorum trium Ordinum S. P. N. Francisci.* Matriti, Ex typographia Causae V. Matris de Agreda, 1732-1733. 3 t. in-fol.

Ioannes Castellensis, O. S. B. (XIV-XV s.). *De adhaerendo Deo* in « *B. Alberti Magni Opera omnia* », Parisiis, Vivès 1890-1899, t. XXXVII, pp. 523-543.

Ioannes a Cruce (S.—) C. D. (1542-1591). *Obras Espirituales que encaminan un alma a la perfecta union con Dios.* Alcalá de Henares, en casa de Ana de Salinas, Viuda de Andrés Sanchez de Ezpe-

leta, 1618. in-4° (Iª ed.). - IIª ed., Barcelona, Sebastian de Cormellas, 1619. in-4°.

— *Obras misticas y espirituales del V. P. F. Juan de la Cruz.* Madrid, por Gregorio Rodriguez, 1649.

— *Obras del Místico Doctor San Juan de la Cruz.* Edición crítica... con introducciones y notas del P. Gerardo de S. Juan de la Cruz, C. D. Toledo, Vª é Hijos de J. Peláez, 1912-1914. 3 t. in-8°.

— *Opera mystica* (versio latina P. Andreae a Iesu, C. D.). Coloniae Agrippinae, sumpt. Haered. Bernard. Gualtheri, 1639. in-4°.

Ioannes Cyparissiotus (XIV s.). *Expositio eorum quae de Deo a theologis dicuntur in decem decades partita.* Migne, P. G., t. 152, Parisiis, 1866, col. 737-992.

Ioannes Damascenus (S.—) († c. 749). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 94-96. Parisiis, 1860.

Ioannes a Iesu Maria, (Vener.—), C. D. (1564-1615). *Opera omnia.* Coloniae Agrippinae, apud Iudocum Kalcovium, 1650, 4 t. in-fol.

— *Opera omnia.* Florentiae (typis variis), 1771-1774. 3 t. in-fol. cura P. Ildephonsi a S. Aloysio, C. D.

Ioseph a Iesu Maria (Quiroga), C. D. (1562-1629). *Subida del alma a Dios y Entrada en el Parayso Espiritual.* Salamanca, En la imprenta de Maria Estevez, viuda, 1694. in-8°. — Hoc opus ex duabus partibus constat: 1) *Subida del alma a Dios que aspira a la divina union*, pp. 1-210; 2) *Entrada del alma al Parayso Espiritual (que es la segunda parte de la Subida del alma a Dios y Entrada en el Parayso Espiritual)*, pp. 211-480. Indices, pp. 481-520.

— *Apologia mistica en defensa de la contemplacion divina contra algunos maestros escolasticos que se oponen a ella*, ... (in-4°, pp. 246) Ms. 4287 Bibliothecae nationalis Matritensis; item Ms. 4478 (in-4°, pp. 261).

— *Tratado de la oracion y contemplacion sacado de la doctrina de la bienaventurada Madre Teresa de Jesus y del venerable Padre Fray Juan de la Cruz.* Ms. 8452 Bibliothecae nationalis Matritensis. — 15 capitula ad minus partim vel totaliter huius operis edita fuerunt a P. Gabriel Lopez Navarro (O. S. Francisci de Paula) in opere *Mistica theologia*, Matriti, 1641 et 1651; cf. Lopez Navarro.

— *Concordancia de la doctrina de Nuestra Madre Santa Teresa de Jesus con la de la sagrada Escritura, Santos Padres, etc...* Hoc opus Patris Iosephi a Iesu Maria fuit editum Barcinone, 1667, a Bernardino Planes, Cartusiano Montis Alegre (Cataluña) sub titulo: *Concordancia mistica en la cual se trata de las tres vias, purgativa, iluminativa y unitiva, y se declara y concuerda entre sí la doctrina de la Santa Madre Teresa de Jesus con la de los Santos y Maestros de la vida espiritual, que á lo mistico y escolastico an tratado de oracion y contemplacion.* Licet nomen proprium in fronte operis posuerit Planes, in epistola dedicatoria fatetur opus non sibi esse proprium.

Ioseph a Spiritu Sancto, C. D. (1609-1674). *Cadena mystica Carmelitana de los autores Carmelitas Descalzos.* Madrid, Antonio Gonçalez de Reyes, 1678. in-fol.

— *Enucleatio Mysticae Theologiae S. Dionysii Areopagitae, episcopi et martyris, per quaestiones et resolutiones scholastico-mysticas, tam in librum, quem inscripsit de Mystica Theologia: quam in diversas alias sententias illam concernentes, a reliquis eiusdem Ss. Doctoris superstitibus libris sedulo depromptas, atque in duas partes divisa.* Ad calcem tomi II *Operum omnium* Thomae a Iesu, C. D., Coloniae Agrippinae, apud Ioan. Wilhelmum Friessem iuniorem, 1684, pp. 455-602. — in-fol.

— *Primera Parte del Camino espiritual de oracion y contemplacion. Donde se trata de lo que deve hazer el que quisiere tener oracion: desde el principio de su conversion hasta llegar a la fin de la perfeccion, repartido en tres tratados.* Ms. 6533 Bibliothecae nationalis Matritensis.
— Septem tomi *Sermonum*, quorum tituli, etc. videri possunt supra, pp. XVII-XVIII.

Ioseph a Spiritu Sancto, C. D. (1667-1736). *Cursus theologiae mystico-scholasticae in sex tomos divisus.* (Ed. P. Anastasii a S. Paulo, C. D.) Brugis, apud Carolum Beyart, 1924 sqq. 2 t. in-8° (ed. nondum absoluta).

Ioseph a S. Theresia, C. D. (XVII s.). Tomus quartus operis *Reforma de los Descalzos de Nuestra Señora del Carmen de la Primitiva observancia.* Madrid, Julian Paredes, 1684. in-fol.

Isidorus a S. Ioseph-Petrus a S. Andrea, C. D. *Historia generalis Fratrum Discalceatorum Ordinis B. Virginis Mariae de Monte Carmelo Congregationis S. Eliae.* Romae, ex typ. Philippi Mariae Mancini, 1668-1671. 2 t. in-fol.

Labbeus (Philippus—), S. I. (1607-1667) — Cossartius (Gabriel—), S. I. (1615-1674). *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta quae olim quarta parte prodiit auctior.* Ed. Coleti. Venetiis, 1728-1733. 21 t. in-fol.

Laurentius Iustinianus (S.—). (1382-1456). *Opera omnia.* Venetiis, apud Hermolaum Albritium, 1721. in-fol.

Leander de Granada, O. S. B. (XVI-XVII s.). Cf. Franciscus a S. Maria, C. D.

Ledesma (Petrus de—), O. Pr. († 1616). *De divina perfectione, infinitate et magnitudine.* Salmanticae, Ioan. et Andr. Renaut, 1596, in-fol.

Lincolniensis. Cf. Grosthead.

Lopez Navarro (Gabriel—), O. S. Francisci de Paula. (XVII s.) *Mistica theologia.* Madrid, 1641. — Altera ed. « *ab auctore emendata et aucta* » Madrid, en la Imprenta real, 1651. — Totum hoc opus (praeter tractatum primum) deprompsit Lopez Navarro ex scriptis S. M. N. Theresiae a Iesu et S. P. N. Ioannis a Cruce, sed praesertim ex scriptis P. Iosephi a Iesu Maria. Caput seu tractatus decimus et ultimus est opus apocryphum P. N. Ioannis a Cruce *Breve compendio de la eminentisima perfeccion cristiana;* opus quod probabiliter debetur P. Fernando de Matha. — Cf. Ioseph a Iesu Maria, C. D.

Lorinus (Ioannes—) S. I. (1559-1634). *Commentariorum in librum Psalmorum.* Moguntiae, sumpt. Ioan. Davidis Zunneri, 1678. 3 t. in-fol.

Louis de la Trinité, C. D. *Le procès de la béatification de saint Jean de la Croix et le « Cantique spirituel »* in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, t. XVI, num. 1-2 (janv.-avril, 1927), pp. 39-50 et 165-187.

Maldonatus (Ioannes—), S. I. (1533-1583). *Commentarii in quatuor evangelistas.* (Editio Conradi Martini) Moguntiae, sumpt. Francisci Kirchhennii, 1853. 2 t. in-8°.

Mantuanus (Beatus Baptista—), O. Carm. (1448-1516). *Opera omnia in quatuor tomos distincta.* (Editio Laurentii Cupaeri, O. Carm.) Antverpiae, apud Ioannem Bellerum, 1576. 4 t. in-18°.

Marie-Amand de saint Joseph, C. D. *Remarques sur l'édition critique des oeuvres de saint Jean de la Croix* in *La Vie Spirituelle*, t. IX, num. 2 (nov. 1923), pp. [43]-[47].

Martialis a S. Ioanne Baptista, C. D. (1666-1736). *Bibliotheca scriptorum utriusque Congregationis et sexus Carmelitarum Excalceatorum.* Burdigalae, typis Petri Sejourne, 1730, in-4°.

Maximus (S.—) (VII s.). *Scholia in libros et epistolas S. Dionysii Areopagitae.* Migne, P. G., t. 4, col. 13-432; 527-576 (Parisiis, 1857).

Medina (Bartholomaeus—), O. Pr. († 1581). *Scholastica commentaria in D. Thomae Aquinatis Doct. Angelici Primam secundae.* Coloniae Agrippinae, sumpt. Petri Henningii, 1619, in-fol.

— *Scholastica commentaria in D. Thomae Aquinatis Doct. Angelici Tertiae partis quinquaginta novem priores quaestiones.* ib., 1618, in-fol.

Mensajero de Santa Teresa. Madrid, 15 de Marzo, 1923 sqq.

Migne (Iacobus Paulus—) (1800-1875) *Patrologiae cursus completus*: Series I latina, 222 t. in-4°, Parisiis, 1841 sqq,; Series II graeca, 166 t. in-4°, Parisiis, 1857 sqq.

Miguélez (Fr. Manuel F.—) *Jansenismo y Regalismo en España* in *La Ciudad de Dios*, t. XXXI (1893), pp. 241-253; 321-334; 418-436; 481-490; 561-569; t. XXXII (1894), pp. 5-16; 189-199; 241-258.

Moles (Vincentius—) (s. XVII). *Philosophia naturalis sacrosancti corporis Iesu Christi.* Antverpiae, apud H. Aertssens, 1639, in-4°.

Molina (Luodovicus—) S. I. (1536-1600). *Commentaria in Primam D. Thomae partem in duos tomos divisa.* Lugduni, sumpt. Ludovici Prost, 1622. in-fol.

Monsignanus (Eliseus—)—Ximenez (Ioseph Albertus—), O. Carm. *Bullarium Carmelitanum.* Romae, ex typ. Georgii Plachi et ex typ. Hermathenaea, 1715-1768. 4 t. in-fol.

Montesinos (Ludovicus de—) (1552-1620 vel 1621). *Commentaria in Primam secundae Divi Thomae Aquinatis.* Compluti, apud Viduam Ioannis Gratiani de Antisco, 1621-1622. 2 t. in-fol.

Moratius (Carolus Iosephus—), Cartus. *Theatrum chronologicum sacri Cartusiensis Ordinis.* Taurini, apud Ioannem Sinibaldum, 1681. in-4°.

Nicolaus I (papa 858-867). *Epistolae et decreta.* Migne, P. L., t. 119, col. 769-1211 (Parisiis, 1852).

Nicolaus a Iesu Maria, C. D. († 1660). *Phrasium mysticae theologiae V. P. F. Ioannis a Cruce Carmelitarum Excalceatorum Parentis primi Elucidatio.* Coloniae Agrippinae, sumpt. Haered. Bernard. Gualtheri, 1639. in-4°. — Ia ed. Compluti, apud Ioannem de Orduña, 1631, in-4°, pp. viii-360.

Origenes (185-254). *Opera omnia.* Migne, P. G., t. 11-17. Parisiis, 1857-1860.

Pachymera (Georgius—) († 1308). *Paraphrasis in libros et epistolas S. Dionysii Areopagitae.* Migne, P. G., t. 3-4. Parisiis, 1857.

Palafox y Mendoza (Ioannes de—), Episc. (1600-1659). Cf. Theresia a Iesu.

Papebrochius (Daniel—) S. I. (1628-1714). Cf. Bollandus.

Pererius (Benedictus—Valentinus), S. I. (1535-1610). *Secundus tomus selectarum disputationum in sacram Scripturam, continens centum octoginta octo Disputationes super Epistola* (sic) *beati Pauli ad Romanos.* Ingolstadii, ex typographia Adami Sartorii, 1603. in-4°

Perionius (Ioachim—), O. S. B. († 1559). Cf. Dionysius Areopagita.

Petrus a Iesu Maria seu Petrus de la Serna, O. B. M. de Mercede *In Apocalypsim.* Matriti, ex off. Iuliani de Paredes, 1670. 2 t. in-fol.

Philippus a Ss. Trinitate, C. D. (1603-1671). *Summa Philosophica ex mira Principis Philosophorum Aristotelis et Doctoris Angelici D. Thomae doctrina iuxta legitimam Scholae Thomisticae intelligentiam composita.* Lugduni, Anton. Jullieron, 1648. in-fol.

— *Summa theologiae mysticae.* Ed. cura P. Bertholdi-Ignatii a S. Anna, C. D. Bruxellis, Alfredus Vromant, 1874, 3 t. in-8°. (Ia ed. Lugduni, 1656).

Pierius Valerianus (Ioannes—). *Hieroglyphica, sive de sacris Aegyptiorum aliarumque gentium literis, Commentariorum libri LVIII.* Fran-

cofurti ad Moenum, sumptibus Christiani Kirchneri, typis Wendelini Moewaldi, 1678. in-4°

Pizanus de Leon (Franciscus—), O. B. M. de Mercede. *Compendium totius mysticae theologiae ex doctrina Sanctorum Patrum maiori ex parte concinatum.* Matriti, in typographia Regni, 1649. in-18°.

Planes (Bernardinus—), Cartus. Cf. Ioseph a Iesu Maria, C. D.

Pythagoras (VI s. a. C.) *Symbola.* Venetiis, in aedibus Aldi, MIIID. in-fol.

Quétif (Iacobus—) — Echard (Iacobus—), O. Pr. *Scriptores Ordinis Praedicatorum recensiti, notisque historicis et criticis illustrati.* Lutetiae Parisiorum, apud J. B. Christophorum Ballard, et Nicolaum Simart, 1719-1721. 2 t. in-fol.

Revue d'Ascétique et de Mystique. Toulouse-Paris, 1920 et suiv.

Revue des sciences philosophiques et théologiques, t. XVI (1927).

Ribera (Franciscus de—), S. I. (1537-1591) *Vida de Santa Teresa de Jesus Fundadora de las Descalzas y Descalzos Carmelitas escrita por... en el año* 1590. (Ed. de P. Inocente Palacios de la Asunción). Madrid, Francisco Lizcano, 1863. in-8°.

Richardus a S. Victore. († 1173). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 196. Parisiis, 1855.

Rodulphus de Bibraco, O. Min. (XIV s.). *De septem itineribus aeternitatis.* in « *Opera omnia S. Bonaventurae* » editionis Peltier, Parisiis, L. Vivès, 1864-1871, t. VIII, pp. 393-482. Deest in ed. Quaracchi.

Ruusbroec (Ioannes van—), (1293-1381). *Opera omnia: a R. F. Laurentio Surio Carthusiano, ex Belgico Idiomate in Latinum conversa, et denuo quam diligentissime recusa.* Coloniae Agrippinae, apud Arnoldum Quentelium, 1609. in-4°

— *Werken van Jan van Ruusbroec.* Maetschappy der Vlaemsche Bibliophilen. Gent, C. Annoot - Broeckman, 1858-1868. 6 t. in-4°

Salmanticenses (XVII-XVIII s.). *Collegii Salmanticensis Carmelitarum Discalceatorum Cursus theologicus Summam theologicam Ang. Doct. D. Thomae complectens* (i. e. Cursus dogmaticus). Parisiis, V. Palmé, 1870-1882. 20 t. in-8°.

Salmerón (Alphonsus—), S. I. (1515-1585). *Commentarii in Evangelicam Historiam, et in Acta Apostolorum.* Coloniae Agrippinae, apud Antonium Hierat et Ioannem Gymnicum, 1612-1615. 16 t. in-8° vol. in-fol.

Sandaeus (Maximilianus - alias Vander Sandt), S. I. (1578-1656). *Theologia mystica seu Contemplatio divina Religiosorum a calumniis vindicata.* Moguntiae, impensis Ioannis Theobaldi Schönwetteri, 1627. in-4°.

Sbaralea (Hyacinthus—), O. M. Conv. *Supplementum et castigatio ad Scriptores trium Ordinum S. Francisci.* Romae, apud Linum Contedini, 1806. in-fol. — *ib.*, ed. Attilius Nardecchia, 1908-1921. 2 t. in-fol. (litterae A-Q).

Scaliger (Joseph, Julius, Caesar, F. —) (1540-1609). *Elenchus Trihaeresii Nicolai Serarii* in opere *Trium Scriptorum illustrium De tribus Judaeorum sectis syntagma. In quo Nicolai Serarii, Johannis Drusii, Josephi Scaligeri, Opuscula quae eo pertinent, cum aliis, iunctim exhibentur.* Delphis, apud Adrianum Beman, 1703, in-4°.

Scotus (Ioannes Duns—) O. Min. (c. 1265-1308). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1891-1895. 26 t. in-8°.

Scotus (Ioannes—Erigena) (s. IX). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 122. Parisiis, 1853.

Scultetus (Abraham—) *Medulla theologiae Patrum: qui a temporibus Apostolorum ad Concilium usq. Nicenum floruerunt.* Ambergae, ex typographeio Forsteriano, 1598. in-4°. (In *Indice libr. prob.*).

Silverio de Santa Teresa, C. D. Cf. Theresia a Iesu (S.—).

Simeon Metaphrastes (X s.) *Vita et conversatio Sancti Dionysii Areopagitae.* Migne, P. G., t. 4, col. 589-608, Parisiis, 1857.

Simon a S. Paulo, O. D. (1572-1622). *Riforma dell'huomo. Opera spirituale. Divisa in due parti.* Venetia, per Zuame Parè, 1694. 2 t. in-4°.

Sommervogel (Carlos—), S. I. *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus.* Bruxelles, Oscar Schepens, 1890-1911, 11 t. in-4°.

Soto (Dominicus—), O. Pr. (1494-1560). *Commentaria in quartum Sententiarum.* Salmanticae, I. B. a Terranova, 1568. 2 t. in-fol. — *Id.* Duaci, ex typ. Petri Borremans, 1613. in-fol.

— *De natura et gratia libri tres.* Salmanticae, I. B. a Terranova, 1570. in-fol.

Suarez (Franciscus—), S. I. (1548-1617). *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1856-1878. 28 t. in-8°

Taulerus (Ioannes—), O. Pr. (c. 1300-1361). *Tam de tempore quam de sanctis homiliae, Operaque... ab ipso interprete Laurentio Surio recognita et... diligentissime nunc iterum excusa.* Coloniae Agrippinae, ex officina Haeredum Ioannis Quentel, 1553. in-fol.

Tertullianus (160-240). *Opera omnia.* Migne, P. L., t. 1-2. Parisiis, 1844.

Theresia a Iesu (S.—), C. D. (1515-1582). *Obras de Sta. Teresa de Jesús editadas y anotadas por el* P. Silverio de Santa Teresa, C. D. Burgos, « El Monte Carmelo », 1915-1924. 9 t. in-8°.

— *Cartas de Santa Teresa de Jesus.* Madrid, Jos. Doblado, 1778. 4 t. in-4°, quorum I est *Con notas del Excmo y R.mo Sr. D. Juan de Palafox y Mendoza, obispo de Osma;* ceteri tres *Con notas del R. P. Fr. Antonio de San Joseph, C. D.*

— *Lettres de Sainte Thérèse* traduites par le R. P. Grégoire de S. Joseph, C. D. 2ª ed., Rome, Pustet, 1905. 3 t. in-8°.

— *Opera... Studio et opera Mathiae Martinez Middelburgii ex hispanico sermone in latinum conversa.* Coloniae Agrippinae, apud Ioannem Hinckium, 1626-1627. 2 t. in-4°.

Thomas a Iesu,- C. D. -(1564-1627). *Opera omnia.* Coloniae Agrippinae, apud Ioann. Wilhelmum Friessem iuniorem, 1684. 2 t. in-fol.

Thomas Aquinas (S.—), O. Pr. (1225-1274). *Opera omnia iussu impensaque Leonis* XIII *P. M. edita.* Romae, typ. polyglotta, 1882 sqq. (Hucusque 14 t. in-fol.; editio nondum absoluta).

— *Opera omnia.* Parisiis, L. Vivès, 1871-1876. 34 t. in-8°.

— *Opera omnia.* Romae, apud Haeredes Antonii Bladii, 1570. 18 t. in-fol.

Thomas Gallus († 1246). *De mystica theologia* in *Commentariis in Mysticam Theologiam S. Dionysii Areopagitae,* Augustae Vindelicorum 1519. in-8°.

Thyraeus (Petrus—), S. I. (1546-1601) *De apparitionibus spirituum tractatus duo.* Coloniae Agrippinae, ex off. Mater. Cholini, 1600. In-4°.

Toletus (Franciscus—), S. I., Cardin. (1532-1596). *In Summam theologiae S. Thomae Aquinatis Enarratio.* Romae, Marietti, 1869. 4 t. In-4°.

Trithemius (Ioannes—), O. S. B. (1462-1516). *Opera historica, quotquot hactenus reperiri potuerunt, omnia.* Francofurti, typis Wechelianis, 1601. 2 t. in-fol.

Tübinger Theologische Quartalschrift (1920).

Turrecremata seu Torquemada, Cardin., O. Pr., († 1468). *Revelationes S. Birgittae olim a Card. Turrecremata recognita et a Gonsalvo Duranto a Sancto Angelo in Vado Presb..... notis illustrata.* Coloniae Agrippinae, ex off. Antonii Boetzeri Haeredum, 1628.

Vacant-Mangenot, etc. *Dictionnaire de théologie catholique.* Paris, Letouzey et Ané, 1903 sqq. Plures to-

mi in-4°; opus nondum absolutum.

Vadatera (Alphonsus de—), Episc. Genuensis, O. Erem. S. Aug. *Epistola pro defensione revelationum S. Birgittae*, apud Ioannem de Turrecremata, *Revelationes S. Birgittae*. Coloniae Agrippinae, 1628, pp. 476ª-487ᵇ.

Valentia (Gregorius de—), S. I. (1551-1603). *Commentariorum theologicorum tomi quatuor*. Ingolstadii, ex typ. Adami Sartorii, 1603. 4 t. in-fol.

Vallgornera (Thomas a—), O. Pr. (1595-1665). *Mystica theologia Divi Thomae utriusque Theologiae scholasticae et mysticae Principis*. Editio tertia (J. J. Berthier). Augustae Taurinorum, P. Marietti, 1911. 2 t. in-8° (Iª ed. Barcinone, 1662).

Vandermoere (Ioseph—), S. I. *Acta S. Teresiae a Iesu, Carmelitarum strictioris observantiae parentis, Commentario et observationibus illustrata*. Bruxellis, typis Alphonsi Greuse, 1845. in-fol.

Vazquez (Gabriel—), S. I. (1549 vel 1551-1604). *Commentariorum ac Disputationum in Primam*. Antverpiae, apud Petr. et Ioan. Belleros, 1620-1621. 2 t. in-fol.

— *Commentariorum ac Disputationum in Primam Secundae*. Ib., 1621. 2 t. in-fol.

Vega (Andreas—), O. Min. obs. († 1560). *Tridentini Decreti de iustificatione expositio et defensio, libris XV distincta, totam doctrinam iustificationis complectentibus*. Compluti, Andreas de Angulo, 1564. in-fol.

Velluga (Ludovicus—). *Vitae duorum qui primas obtinent sedes in regno Dei, Christi scilicet, atque Deiparae; cum duobus praeludiis*. Conchae, ex off. Salvatoris a Viader, 1631. in-8°.

Vercellensis. Cf. Thomas Gallus.

Victoria (Franciscus de—), O. Pr., (c. 1480-1546). *Relectiones theologicae*. Matriti, ex off. Martini, 1765. in-8°.

Vie Spirituelle Ascétique et Mystique (*La*—). Saint-Maximin (Var), Octobre 1919 et suiv.

Viller (Marcellus—), S. I. *Le « Speculum monachorum » et la « Dévotion moderne »* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. III, num. 9 (Janvier, 1922), pp. 45-56.

— *Harphius ou Bourcelli? La Prima collatio de la Theologia mystica* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. III, num. 10 (Avril, 1922), pp. 155-162.

Vincentius Ferrerius (S.—), O. Pr. (1355-1419). *Opuscula ascetica*. Editio nova, Curante R. P. Matthaeo Joseph Rousset, O. Pr. Parisiis, P. Lethielleux, 1899, in-18°.

Virgilius (Publius Maro—), (70-19 ante Chr.). *Oeuvres complètes*. Collection Nisard. Paris, J. J. Dubochet, 1843.

Waddingus (Lucas—), O. Min. (1588-1657). *Scriptores Ordinis Minorum*. Romae, 1650. in-fol.

— Romae, apud Linum Contedini, 1806. in-fol.

Wilmart (Andreas—), O. S. B. *Les écrits spirituels des deux Guigues* in *Revue d'Ascétique et de Mystique*, t. V, num. 17-18 (Janv.-Avril, 1924), pp. 59-79; 127-158.

INDEX ONOMASTICUS AUCTORUM

(Numeri paginas designant)

Adrianus I 2
Aesopus 144
Agatho (S.—) 2
Alamin. Cf. Felix de Alamin
Albertus Magnus (B.—) 278, 289
Alcherus Clarevallensis 32
Almaricus 97
Alonso de S. Geronimo 16
Alphonsus a Iesu Maria 252, 253
Alvarez (Didacus—) XIX
Alvarez de Paz 112, 119, 123, 125, 253, 276, 283
Ambrosius (S.—) 81, 288, 289
Ambrosius Camaldulensis 216
Ambrosius a S. Godefrido XXVII
Anastasius Nyssenus 2
Anastasius a S. Paulo XI, XIX, 9, 106
Anastasius Sinaita 2
Andreas Cretensis 2
Andreas ab Incarnatione XIX, XX
Anna a S. Augustino 16
Antolinez (Dominicus—) XIX
Antonius ab Annuntiatione XXII
Antonius a Cruce 18, 119
Antonius a S. Ioseph 12
Antonius a Spiritu Sancto 6, 16, 31, 32, 57, 71
Appolinarius 246
Arius 246
Araujo (Franciscus de—) XIX, 107
Aristoteles 30, 31, 33, 34, 35, 42, 48, 59, 84, 121, 205, 206, 212, 219
Athanasius (S.—) 2
Augustinus (S.—) 32, 38, 59, 61, 66, 77, 117, 119, 217, 269, 288
Aureolus (Petrus—) 47
Autore (S.—) 56, 59
Balma. Cf. Hugo de Balma.
Baltasar de S. Catharina de Siena 57, 73, 74
Bañez (Dominicus—) XIX, 21, 40, 97
Barbosa (Didacus—) IX, X, XI, XV, XVIII
Baronius (Carolus—) 1, 2, 4
Bartholomaeus a S. Angelo-Henricus M. a Ss. Sacramento XV, XIX
Bartholomaeus a Martyribus 255
Baruzi (Jean—) 83
Basilius (S.—) 149
Bellarminus 3
Benedict. Monatschrift 289
Bergomo (Petrus de—) 78
Bernadot (M. V.—) 83
Bernardus (S.—) 32, 41, 81, 107, 117, 119, 122, 124, 255, 276, 288
Bernardus a Bononia XX
Berthier (J. J.—) 287
Beyerlinck (Laurentius—) 29
Biblia S. cum glossa ordinaria 33, 91
Biblioth. Carm. Lusitana IX, X, XI, XV, XVIII
Blasius a Conceptione 98, 150, 156
Blosius (Ludovicus—) XXII, 59
Bochius (Achilles—) 142
Boetius (A. M. Sev.—) 155
Bonaventura (S.—) 32, 56, 57, 61, 81, 117, 272, 273, 283, 284, 285, 288, 289
Bonelli (Benedictus—) 32, 57
Brassicanus (Alex.—) 142
Budaeus (Gulielmus—) 3
Bulletin Hispanique 83
Caietanus (Thomas de Vio—) 117, 289
Calepinus (Ambrosius—) 29
Cassianus (Ioannes—) 255
Catharinus (Ambrosius) 289
Cavallera (Ferdinand—) 83
Chevalier (Fr. Ph.—) XIX, 83
Chrysostomus (S. Ioannes—) 4
Christophorus a S. Ioseph XX, XXI, XXII
Ciudad de Dios (La—) XXIII
Clemens Alexandrinus (S.—) 95
Colonia (Dominicus de—) XXIII
Commentarii in Mysticam Theologiam S. Dion. Areop. 59
Conceptos del amor de Dios XVIII
Concilia 2, 22, 97, 106, 111, 157, 288, 290
Corderius XV, XXIX, 3, 24, 33, 53, 55, 71, 93, 100, 103, 130, 134, 147, 151, 152, 158, 159
Cornelius a Lapide 95, 156, 282, 289
Cosmas de Villiers IX, XV

Cristobal de S. Joseph XX, XXI, XXII
Cyrillus Hierosolimitanus (S.—) 95
Dallaeus (Ioannes—) 1
David Augustanus 117, 289
Defensa o Apologia de... « subida del alma » XXI, XXII, XXIII
Delrio (Martinus—) 1, 2, 3, 4, 106, 107, 117
Denzinger-Bannwart 22, 97, 106, 111, 157, 288, 290
Deti (Joan.-Bapt.-Card.) XXVI
Dict. de Théol. catholique XI, 9, 56, 59
Didacus a Iesu XIX, 81, 90, 91, 281, 283
Dionysius Alexandrinus 1
Dionysius Areopagita. Loci non indicantur, quia nimis numerosi sunt.
Dionysius Cartusianus 30, 32, 33, 46, 49, 52, 56, 59, 61, 66, 90, 117, 118, 121, 255
Dionysius Rhetor 1
Dominicus a Iesu Maria 257, 258
Dominicus a Ss. Trinitate 6, 16, 31, 57, 71, 73
Donatus 143
Dubourg 56
Durantel (J.—) 1, 2, 163
Eck (Joannes—) 59
Echardus (Senior) 289
Edouard d'Alençon 56
Elias Cretensis 2
Elogios de los Varones IX
Elymas 236
Emmanuel a S. Thoma IX
Erasmus (Didacus—) 3
Eucherius (S.—) 142
Eugenio de S. José 83
Eusebius (S.—) 3, 4, 109
Euthymius Zigabenus 2
Feliciana a S. Ioseph 15, 16, 70
Felix de Alamin XX, XXI, XXII
Felix de Molina XX
Felix de los Molinos XX
Fernando de Matha 9
Ficinus (Marsilius—) 102, 103
Flavius Lucius Dexter 4
Florencio del Niño Jesús 83
Fonseca 43
Forasteiro admirado XVIII
Franciscus a S. Maria XII, XIII, XX, 106, 107, 119
Franciscus a S. Thoma XXII
Fuente (Michael de la—) 57, 61, 76, 108, 112, 114, 125, 128
Gabriel a S. Vincentio 73, 136, 137, 148, 150, 154.
Gams (Pius Bonif.—) IX
Gerardo de S. Juan de la Cruz XIX, XXI, 83
Gerson (Ioan. le Charlier de—) 56 61, 66, 107
Grabmann 289
Gratianus (alias Hieronymus a Matre Dei) XII, XIII, 18, 19, 57, 73, 85, 114, 119, 121, 284.
Gregorius Magnus (S.—) 2, 33, 52, 60, 284.
Gregorius Nazianzenus (S.—) 3
Gregorius de Valentia. Cf. Valentia.
Grosthead (Robertus — Episc. Lincolniensis) 59, 106, 271
Gualterus (Iacobus—) 3
Gulielmus, O. Cist. 81, 288.
Gulielmus de Lanicia 283
Halloix (Petrus—) 3, 5
Harphius (Henricus—) 52
Henricus de Balma. Cf. Hugo de Balma
Hermannus a S. Norberto 274
Hersentius (Carolus—) 53, 54
Hesychius 144
Hieronymus (S.—) 117
Hieronymus a Matre Dei. Cfr. Gratianus
Horozco y Covarruvias (Ioannes de—) 106, 107
Hugo de Balma 56, 58, 59, 272
Hugo de S. Victore XVI, 32, 34, 163, 189, 256, 259, 260, 264, 266, 273, 277, 283, 284
Huyben (I.—) 289
Ignatius (S.—) 3, 4, 5
Ignatius de Loyola (S.—) XVIII.
Ildephonsus a S. Hieronymo 16
Indice ultimo (1790) XX, XXIII
Index libr. proh. XX, XXI, XXII, XXIII
Innocentius XI, XXI
Ioannes a S. Antonio XX
Ioannes Castellensis 289
Ioannes a Cruce (S.—) XVIII, XXI, XXII, XXVI, 14, 15, 18, 32, 63, 64, 65, 69, 70, 72, 74, 83, 90, 104, 110,

112, 114, 125, 126, 127, 128, 217, 261, 262, 276, 278, 281, 282, 283, 286
Ioannes Cyparissiotus 142
Ioannes Damascenus (S.—) 2
Ioannes a Iesu Maria 6, 15, 31, 57, 59, 60, 61, 70, 253, 284
Ioannes Saracenus 216
Ioseph a Iesu Maria XIX, XXI, XXII, XXIII, 9, 15, 16, 18, 63, 65, 67, 70, 125, 126, 129, 179, 180, 181, 183, 186, 187, 197, 204, 205, 209, 217, 228, 230, 249, 259, 260, 263, 264, 266, 272, 277, 278, 284, 285
Ioseph a Spiritu Sancto (Lusitanus) IX, X, XVIII, XXII, XXVII, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13, 15, 16, 17, 18, 19, 39, 53, 54, 55, 63, 65, 66, 70, 71, 90, 96, 104, 126, 164, 186, 211, 258, 261, 262, 263, 264, 265, 268, 269, 272, 273, 276, 279, 280, 290.
Ioseph a Spiritu Sancto (Hispanus) XI, 9, 106
Ioseph a S. Theresia IX, XV
Isidorus a S. Ioseph — Petrus a S. Andrea XIX
Iustinus 142
Labbeus-Cossartius 2, 22, 97, 106, 111, 157, 288, 290
Lanuza (Michael-Bapt.—) 15
Laurentius Iustinianus (S.—) 255, 288
Leander de Granada XIII, 106, 107, 119
Ledesma (Petrus de—) 97
Lincolniensis Cfr. Grosthead
Lopez Navarro (Gabriel—) 9
Lorinus (Ioannes—) 289
Louis de la Trinité 83
Ludovicus de León XIX
Lyra 138
Maldonatus (Ioannes—) 106
Mantuanus (B. Bapt.—) XXIV
Marie-Amand de S. Joseph 83
Martialis a S. Ioan. Bapt. IX, XV, XIX
Martinus I (S.—) 2
Maximus (S.—) XVI, 1, 30, 53, 94, 128, 131, 132, 148, 158, 190, 193, 196, 199, 246
Medina (Barthol.—) 107, 118
Mensajero de S. Teresa 83
Miguélez (Fr. Manuel F.—) XXIII.
Mocenicus 117.
Moles (Vincentius—) 121
Molina (Ludovicus—) 43
Molinos (Michael de—) XXII, XXIII
Monsignanus—Ximenez 253
Montesinos (Ludovicus de—) 75
Moratius (Carol. Ios.—) 10
Nestorius 246
Nicolaus I (S.—) 2, 4, 95
Nicolaus a Iesu Maria XIX, XX, 32, 35, 63, 73, 74, 81, 90, 91, 96, 128, 255, 281
Noris (Henricus—Card.) XXIII
Origenes 95, 109
Pachymera (Georgius—) XVI, 28, 53, 71, 94, 128, 148, 155, 158, 190—201, 248, 250, 260
Palafox y Mendoza 12
Papebrochius (Daniel—) 3
Paulus ab omnibus Sanctis XI, XIV, XV, XXVII
Pererius (Benedictus—) 289
Perierius Valerianus (Ioan.—) 144
Perionius (Ioachim—) XV, XXIX, 24, 93, 100, 130, 133, 147, 151, 158, 190-201, 216, 245, 248
Petrus a Iesu Maria 50, 283, 285, 286, 287, 288, 290, 291
Philippus a Ss. Trinitate XIV, 6, 16, 18, 21, 31, 32, 35, 47, 50, 57, 59, 60, 61, 70, 83, 150, 258, 259, 268, 284, 287, 288, 291
Pizanus de León (Franciscus—) 91, 283, 288
Planes (Bernardinus—) 10
Pontius de León (Basilius—) XIX
Poza (Ioan-Bapt.—) XIX, XX
Pythagoras 142
Quétif-Echard 287
Ravago (Franciscus—) XXII, XXIII
Rev. d'Ascét. et de Myst. 56, 81, 83, 117
Rev. des Sciences philos. et théol. 83
Ribera (Franciscus de—) 107
Richardus a S. Victore 117, 118, 276
Rodulphus de Bibraco 32, 57, 59, 61, 81, 273, 285, 289
Ruardus Trapperus 289
Rubeis (J. F. Bern. M. de—) 2
Ruusbroec (Ioan. van—) 64, 276, 289

Salmanticenses 21, 22, 23, 47, 48, 62, 72, 73, 74, 79, 80, 85, 86, 87, 88, 92, 96, 105, 111, 123, 148, 150, 154, 155, 156, 251
Salmeron (Alphonsus—) 144
Sandaeus (Maximil.—) 142
Sbaralea (Hyacinthus—) XX
Scaliger (Ioseph—) 3
Scotus (Ioan. Duns—) 36, 47, 50, 157
Scotus (Ioan.-Erigena) 4, 95, 163-189
Scultetus (Abraham—) 1, 95
Silverio de S. Teresa XVIII, XIX
Simeon Metaphrastes 2
Simon a S. Paulo 69, 72
Sommervogel (Carlos—) XX, XXII
Soto (Dominicus—) 75
Suarez (Franciscus—) 35, 43, 47, 72, 74, 75, 107, 115, 122, 154, 255, 271, 282
Taulerus (Ioannes—) 59, 278, 289
Tertullianus 109
Theodoretus 142
Theresia a Iesu (S.—) XI, XVIII, XXVI, 11, 12, 15, 18, 19, 20, 33, 49, 51, 60, 70, 73, 74, 77, 78, 79, 80, 82, 84, 113, 114, 125, 126, 179, 183, 204, 205, 209, 217, 255, 269, 274, 277, 278, 279
Thianensis 31
Thomas a Iesu XII, XIV, XV, 18, 21, 31, 32, 33, 47, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 64, 66, 116, 117, 284.
Thomas Aquinas (S.—). Loci non indicantur, quia nimis numerosi sunt.
Thomas Gallus 59
Thyraeus (Petrus—) 106
Toletus (Franciscus—) 31
Torres (Card.—) XXVI
Trithemius (Ioan.—) 107
Tübinger Theol. Quartalschrift 289
Turrecremata (Card.—) 107
Vacant-Mangenot XI, 9, 56, 59
Vadatera (Alphons. de—) 107
Valentia (Greg. de—) 31, 47, 48
Valla (Laurentius—) 3
Vallgornera (Thomas a—) 281, 286, 287
Vandermoere (Ioseph—) XXVI
Vazquez (Gabriel—) 36, 41, 48, 75
Vega (Andreas—) 289
Velluga (Ludovicus—) 106, 107, 122
Vercellensis. Cf. Thomas Gallus
Victoria (Franciscus de—) 75
Vie Spirituelle (La—) 83, 289
Viller (Marcellus—) 52, 117
Vincentius Ferrerius (S.—) 255
Virgilius (P. M.—) 140
Wachendorff (Beda—) XXV
Waddingus (Lucas—) XX, 32
Wilmart (Andreas—) 81

INDEX SYNOPTICUS

	Pag.
Ratio huius novae editionis	VII
Vita et Opera Patris Ioseph a Spiritu Sancto	IX
Breve S. Dionysii elogium	XXIV
Censurae	XXV
Prologus	XXVII

ENUCLEATIONIS MYSTICAE THEOLOGIAE

PARS PRIMA

DE MYSTICA THEOLOGIA

Quaestiones prooemiales circa titulum libri Sancti Dionysii

	Pag.
QUAEST. I Utrum Sanctus Dionysius Areopagita fuerit auctor huius libri *Mysticae Theologiae?*	1
Q. II Utrum pro certo tenendum sit Timotheum illum, cui Dionysius haec scripsit, fuisse discipulum illum Pauli notissimum et celeberrimum?	4
Q. III Quid nomine theologiae mysticae intelligatur in hoc titulo?	5
Q. IV Utrum theologia mystica sit idem habitus cum alia theologia saltem supernaturali?	6
Q. V Utrum aliqua meditatio proprie possit dici theologia mystica?	7
Q. VI Utrum aliqua contemplatio acquisita possit theologia mystica nuncupari?	8
Q. VII Utrum in aliqua ex supernaturalibus recollectionibus partis sensitivae exerceatur mystica theologia?	11
Q. VIII Utrum in aliqua purgatione passiva sive sensibili, sive spirituali exerceatur theologia mystica?	13
Q. IX Quaenam contemplatio infusa dicenda proprie sit theologia mystica?	16
Q. X Utrum in omni contemplatione theologiae mysticae inveniatur raptus vel in omni raptu theologia mystica?	18
Q. XI Utrum omnis contemplatio sit supernaturalis et infusa; ac proinde inepta sit divisio in infusam et acquisitam?	21

Quaestiones scholastico-mysticae in capita Theologiae Mysticae

Caput I: Quaenam sit divina caligo? §. I.	24
QUAEST. I Quomodo possit intelligi caligo quae sit divina, et quomodo hoc pertineat ad theologiam mysticam?	25
Q. II In quo sensu dicatur Trinitas praestantior essentia, divinitate et bonitate: seu supernaturalis, et supraquam divina, et bona?	26
Q. III Quodnam sit fastigium mysticorum scriptorum seu oraculorum plusquam indemonstrabile, etc.	28
Q. IV Quomodo mysteria theologiae seu fidei, ut contemplantur in mystica theologia, dicantur simplicia, absoluta et immutabilia?	29
Q. V Utrum contemplatio mysticae theologiae vel aliqua contemplatio viae fiat sine conversione ad phantasmata?	31

Q. VI An et quomodo Deus possit a nobis naturaliter cognosci? . . 36
Q. VII Quomodo Deus tam ut Unus quam ut Trinus possit luce supernaturali in hac vita cognosci? 38
Q. VIII Utrum praedictae cognitiones fiant per aliquam speciem creatam repraesentativam Dei? 40
Dub. I Quaenam species inserviant ad cognitionem ordinariam quam habemus per fidem? 41
Dub. II Quaenam species requirantur ad cognitionem Dei evidentem in attestante? 42
Dub. III Utrum per solas praedictas species naturales et sine novo lumine infuso, praeterquam fidei, possit Deus cognosci et mysteria divina maiori claritate et certitudine quam ordinaria ipsius fidei? 43
Dub. IV Quaenam species inserviant contemplationi infusae per affirmationem? 44
Dub. V Utrum ad contemplationem Dei per remotionem et negationem requiratur aliqua species? 45
Dub. VI Quaenam species concurrat ad ultimum et perfectiorem gradum contemplationis theologiae mysticae infusae? . . . 47
Dub. VII Utrum probabilis sit opinio quae asserit essentiam divinam loco speciei impressae uniri intellectui creato in ista suprema contemplatione theologiae mysticae? 50
Q. IX Quare caligo ista dicatur silentii docentis obscura et arcana? . 51
Q. X Quomodo in hac caligine mentes carentes oculis pulcherrimis splendoribus adimpleantur? 53
Q. XI Utrum sub nomine theologiae mysticae debeat includi illa suprema contemplatio quam pro tertio eius gradu saepius inculcavimus? 56
Q. XII An praetermittendo sensus et mentis actiones seu intellectuales operationes, ut Dionysius monet, constituatur anima in ista contemplatione sine ulla prorsus intellectus operatione? . . . 58
Q. XIII Utrum saltem ex illis et similibus verbis Dionysii debeamus colligere hanc contemplationem potius in actu voluntatis quam intellectus consistere? 60
Q. XIV Quomodo relinquenda sunt ab intellectu omnia quae sub sensum cadunt et animo cernuntur, seu sensibilia et intelligibilia omnia et ea quae sunt, et quae non sunt? 62
Q. XV Utrum in hac contemplatione per negationem omnium sensibilium sistendum sit in aliquo conceptu Dei absoluto? . . . 65
Q. XVI Utrum sensibilia et intelligibilia omnia relinquenda sint non solum ab intellectu contemplante, sed etiam a potentiis affectivis et appetitivis? 68
Q. XVII De quanam unione loquatur Dionysius, dum monet Timotheum ut per praedictam remotionem se exercitet ad unionem et coniunctionem cum Deo? 71
Dub. I Quid et quotuplex sit unio mentis cum Deo? . . . 72
Dub. II Quinam sint gradus unionis actualis et quaenam dicatur unio affectiva et effectiva? 76
Dub. III Quare unio fruitiva sic appelletur? 78
Dub. IV Utrum unio transformativa sit eadem cum fruitiva iam explicata? 81
Dub. V Utrum praedictae uniones fiant ex parte Dei per aliquem illapsum et quid ei correspondeat ex parte animae? 85

Dub. VI Utrum in omni actuali unione detur novus illapsus? . 89

Prosequitur Caput I, §. 2 93
Q. XVIII Cur mystica theologia debeat abscondi a rudioribus et quare etiam philosophi gentiles dicantur rudiores ad cognoscendum Deum? 94
Q. XIX Quaenam sunt perfectiones quas possumus de Deo affirmare et quomodo? 96
Q. XX Quomodo praedictae perfectiones debeant removeri et negari de Deo in contemplatione mystica? 98

Prosequitur Caput I, §. 3. 100
Q. XXI Quomodo intelligatur theologiam esse magnam et minimam et similiter Evangelium? 102
Q. XXII Quid intelligat Dionysius per sancta fastigia, lumina, sonos ac sermones, et quomodo ista transcendenda? 103
Q. XXIII Quid et quotuplex visio et revelatio supernaturalis? . . 105
Q. XXIV Qua certitudine tenendum sit dari revelationes et prophetias et quomodo verae a falsis discernantur? 106
Q. XXV Quomodo fiant visiones corporales et externae et qualiter removendae sint? 108
Q. XXVI Qualiter fiant visiones imaginariae quae dicuntur spirituales, et an similiter removendae sint? 112
Q. XXVII Utrum in somno aut raptu, in quo visiones imaginariae et intellectuales solent fieri, inveniatur libertas ad meritum sufficiens? 116
Q. XXVIII Quomodo fiant visiones intellectuales et an etiam vitandae sint in contemplatione mystica? 123
Q. XXIX Quomodo fiant locutiones spirituales et quaenam ex illis removendae sint? 127
Q. XXX Quomodo qui Deo unitur dum eum contemplatur in caligine, totus fiat ipsius, neque ullius, neque suus, neque alterius? . 128

Caput II: Quomodo oporteat uniri et laudes referre Auctori omnium, qui est super omnia? 130
Q. XXXI Quomodo intelligenda quae in hoc capite docet Sanctus Doctor? 131

Caput III: Quae sint affirmantes de Deo locutiones et quae negantes? 133
Q. XXXII Quaenam sint theologicae informationes, de quibus hic loquitur D. Dionysius? 135
Q. XXXIII Quaenam pertractet Sanctus Dionysius in libro *De Divinis Nominibus* et in libro *De Theologia Symbolica*, quorum hic meminit? 138
Q. XXXIV Utrum theologia symbolica seu metaphorica comprehendat omnia ad quae se extendit sensus figurativus, et sensus iste se extendat ad omnes figuras et tropos, de quibus agunt rhetorici? . 139
Q. XXXV Quid denique sit theologia symbolica generaliter sumpta, quibus etiam nominibus appelletur et quomodo dividatur? . . 146
Q. XXXVI Quomodo se habeat mystica theologia ad symbolicam et ad alias enumeratas in hoc capite illaeque inter se? 145

Caput IV: Quod nihil rerum sensibilium sit is qui omnis rei sensibilis secundum excellentiam est Auctor? 147

Q. XXXVII Quare hic dicat Sanctus Doctor Deum essentia, vita, ratione et mente non carere, cum in sequenti capite ea ipsa de illo neget? 147
Q. XXXVIII Quomodo negentur de Deo omnes rationes sensibiles et materiales quae in hoc capite referuntur? 149

Caput V: Nihil esse eorum quae ratione intelliguntur, qui omnium intellectilium est Auctor? 151
Q. XXXIX Quomodo intelligendus D. Dionysius in prioribus huius ultimi capitis verbis? 152
Q. XL Quomodo intelligenda quae dicit Sanctus Doctor in sequentibus huius capitis verbis? 154
QUAESTIO ULTIMA: Quomodo intelligenda et explicanda quae docet D. Dionysius in posterioribus verbis huius ultimi capitis et totius libri *Theologiae Mysticae?* 157

PARS SECUNDA

DE DOCUMENTIS MYSTICIS EX RELIQUIS LIBRIS S. DIONYSII

De Caelesti Hierarchia

CAPUT I. Quod divina illuminatio, secundum bonitatem variae improvisa proveniens, manet simpla; et non hoc solum, sed unificat illuminata 163
CAP. II. Quod pulchre divina et caelestia etiam per dissimilia symbola manifestantur 166
CAP. III. Quid est hierarchia et quae per hierarchiam utilitas . . 170
CAP. IV. Quid significat angelorum cognominatio 172
CAP. V. Quare omnes caelestes essentiae communiter angeli dicuntur et specialiter proprias, praeterquam primi et secundi ordinum, habent agnominationes 174
CAP. VI. Quae sit prima caelestium essentiarum dispositio, quae media et ultima 175
CAP. VII. De Seraphim, Cherubim et Thronis, hoc est, de prima angelorum hierarchia 175
CAP. VIII. De Dominationibus, et Virtutibus et Potestatibus et de media eorum hierarchia 183
CAP. IX. De Principatibus, Archangelis et Angelis, et de ultima eorum hierarchia 184
CAP. X. Synagogae angelicae ordinationis repetitio 185
CAP. XI. Quare omnes caelestes essentiae communiter virtutes caelestes nominantur 187
CAP. XII. Quare secundum homines hierarchiae angeli vocantur . . 187
CAP. XIII. Quare a Seraphim dicitur purgatus fuisse propheta Isaias 187
CAP. XIV. Quid significet angelicus numerus? 189
CAP. XV. Quae sunt formativae angelicarum virtutum imagines et quae deinde, id est, et reliqua 189
Documenta 23 quae inde eruuntur, ibi videri possunt.

De Ecclesiastica Hierarchia

CAP. I. Quae sit traditio Ecclesiae hierarchicae et quis eius scopus? 190
CAP. II. De iis quae in illustratione fiunt 191
CAP. III. De iis quae in Synaxi perficiuntur 194
CAP. IV. De iis quae in unguento perficiuntur 195
CAP. V. De sacris ordinibus eorumque virtutibus et actionibus . . 198
CAP. VI. De ordinibus qui initiantur 199
CAP. VII. De iis quae fiunt in iis qui dormierunt 200
Documenta quae inde eruuntur, exstant a docum. 24 usque ad 38.

De Divinis Nominibus

CAPUT I. Quae sermonis intentio et quae de *Divinis Nominibus* traditio? 202
CAP. II. De copulata et distincta theologia, et quae sit divina unio et distinctio? 217
CAP. III. Quae sit vis orationis, et de beato Hierotheo, et de religione, et conscriptione theologica 219
CAP. IV. De bono, malo, pulchro, amore, extasi, zelo; et quod malum neque ens sit, neque ex entibus, neque in entibus . . . 220
CAP. V. De ente seu existente et exemplaribus 230
CAP. VI. De vita 231
CAP. VII. De sapientia, mente, ratione, veritate, et fide . . . 231
CAP. VIII. De virtute, iustitia, salvatione, liberatione, in quo et de inaequalitate 236
CAP. IX. De magno, parvo, eodem, alio, simili, dissimili, statu, motu, aequalitate 237
CAP. X. De omnipotente, antiquo dierum; item de aevo seu aeternitate et tempore 238
CAP. XI. De pace, et quid sit per se esse, et per vitam esse, etc. . 238
CAP. XII. De Sancto sanctorum, Rege regum, Domino dominorum, Deo deorum 240
CAP. XIII. De perfecto et uno 241
Documenta mystica huius libri exstant a docum. 39 usque ad 76.

Epistolae

EPIST. I Caio monacho 244
EPIST. II. eidem Caio 245
EPIST. III. eidem Caio 245
EPIST. IV. eidem Caio 245
EPIST. V. Dorotheo ministro seu diacono 245
EPIST. VI. Sosipatro sacerdoti 246
EPIST. VII. Polycarpo Antistiti 246
EPIST. VIII. Demophilo monacho. De propria operatione et clementia 247
EPIST. IX. Tito Episcopo roganti quae sit domus sapientiae, quis crater, et quisnam cibus eius et potus? 248
EPIST. X. Ioanni Theologo, Apostolo et Evangelistae in Patmo exsulanti 249
Documenta mystica huius libri includuntur a doc. 77 usque ad 86.

APPENDIX

DUBITATIONUM ET RESOLUTIONUM MYSTICARUM

DUBITATIO I. Quisnam sit finis et scopus vitae christianae et quis religiosae, praesertim carmelitanae, quibusque indigeat assecutio eius? 251
Resolutiones huius dubitationis sunt 12.
DUB. II. Quotuplex sit via qua nobis ad perfectam contemplationem et cum Deo unionem incedendum? 256
Resolutiones huius sunt a 13 usque ad 16.
DUB. III. Quomodo procedendum sit in via purgativa activa? . . 259
Resolutiones huius sunt a 17 usque ad 27.
DUB. IV. De via purgativa passiva 262
Resolutiones huius sunt a 28 usque ad 31.
DUB. V. Quomodo procedendum in via illuminativa activa? . . 263
Resolutiones huius sunt a 32 usque ad 50.
DUB. VI. Quomodo procedatur in via illuminativa passiva? . . 267
Resolutiones huius sunt a 51 usque ad 62.
DUB. VII. Qualiter procedatur in via unitiva activa utriusque partis 270
Resolutiones eius sunt a 63 usque ad 80.
DUB. VIII. Quaenam pertineant ad viam unitivam passivam tam partis cognoscitivae quam appetitivae? 274
Resolutiones eius sunt a 81 usque ad 92.
Synopsis huius dubitationis VIII in fine 279
DUB. IX. Utrum sicut Deus tangit animam in unione vel in ordine ad illam, possimus etiam dicere quod anima aliquomodo tangat et gustet Deum? 280
DUB. X. Utrum certitudo seu revelatio status gratiae et praedestinationis aeternae debeatur congruentia aut per modum proprietatis supremo gradui mysticae theologiae ratione unionis fruitivae et coniugalis? 287

INDICES

Index rerum notabilium 293
citantur 303
Index onomasticus auctorum 316
Index synopticus 320

ERRATA ET ADDENDA

p. XI, linea 27, loco *Sequenta* lege *Sequentia.*

p. XVI, linea 32, post *illuminativae* lege *et unitivae, tum....*

p. XIX, nota (38), linea 2, lege:... *Iuan de la Cruz.* I[a] ed. Alcala de Hermares, en casa de Ana Salinas, 1618 ad calcem operum (*Obras Espirituales*) S. Ioannis a Cruce; II[a] ed. Barcelona,...

p. XIX, nota (39), linea 2, lege:... *Compluti*, 1631; *ad calcem Operum Sancti Ioannis a Cruce postea Coloniae Agrippinae, apud Gualtherum*, 1639.

p. XX, nota (46), linea 10, loco *Bolonia* lege *Bononia.*

p. XXII, nota (52), linea 2, loco *1691* lege 1695.

p. 1, col. 2, linea 13-14, lege *archiepiscopus.*

p. 1, col. 2, linea 16, loco *Areopagitate* lege *Areopagitae.*

p. 47, col. 1, nota (12) linea 1, deleatur « *Cardin.* »; siquidem, licet in titulo huius editionis romanae (1596-1605) *Commentariorum* Petri Aureoli legatur: *Petri Aureoli / Verberii / Ordinis Minorum / Achiepiscopi Aquensis / S. R. E. Cardinalis. / Commentariorum / ...*, Petrus Aureolus Cardinalis non fuit, quamvis aliqui auctores id asserant.

p. 56, col. 2, nota (5), linea 3, loco *opuscoli* lege *opusculi.*

p. 95, col. 2, linea 27, deleatur *iam.*

p. 113, col. 1, linea 18, loco *intendum* lege *interdum.*

p. 117, col. 1, linea ultima, loco *a quoad* lege *a quo ad.*

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV5080.D54J68 C001
ENUCLEATIO MYSTICAE THEOLOGIAE S. DIONYS
WITHDRAWN
3 0311 00037 9482

BV
5080 38317
.D54J68 Jose del Espiritu Santo
AUTHOR
ENUCLEATIO MYSTICAE THEOLOGIAE S.
TITLE
DIONYSII AREOPAGITAE.....
DATE DUE

3 0311 00037 9482